47032/B

SCHLEGEL, J.C.T.

55350

SYLLOGE SELECTIORUM OPUSCULORUM

DE

MIRABILI SYMPATHIA,

quae

Partes inter diverſas corporis humani intercedit:

edita cura

IO. CHRIST. TRAUG. SCHLEGEL,

Doctoris Medicinae, atque Chirurgiae, et Medici apud Longoſaliſſenſes.

Lipſiae,

Impenſis Car. Frider. Schneider.

1787.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

VIRIS

eruditione perſpicacitate meri-

tisque ſummis ornatiſſimis

PATRONIS atque FAUTORIBUS

indulgentiſſimis æſtumatiſſimis

optimis

DOMINO
IOANNI FRIDERICO
IAHN
Medicinæ Doctori
excellentiſſimo
Sereniſſ. Elect. Saxon. Archiatro
& Aulæ Conſiliario.

DOMINO
GOTTLOB CHRIST.
DEMIANI
Medicinæ Doctori
excellentiſſimo
Sereniſſ. Elect. Saxon. Archiatro
& Aulæ Conſiliario

Hanc Syllogen
conſecrat,
ſeſe resque ſuas de meliori
commendat
IOAN. CHRIST. TRAUGOTT SCHLEGEL.

PRAEFATIO.

Permultum ſane intereſt, medici pernoſcant inter partes corporis humani, in ſtatu ſano atque morboſo, commercium, quod mediante admiranda ſympathia exiſtere ſolet; cum, hac cognitione, certior indicatio curatoria formari, & methodus medendi morbis magis rationalis excogitari atque adhiberi poteſt.

Ut autem hanc doctrinam pathologicam penitius perſpiciamus, neceſſe ſit animo attento ea penſitare, quæ Viri Celeberr., ex quibus, REGA, WHYTT, LANGHANS, RAHN, & præcipue HALLERUS, perſcrutator ille naturæ ſagaciſſimus, primi nominandi ſunt, in ſcriptis ſuis hac de re doctiſſime explorata habuerunt.

Nuperrime quoque, non minori ſtudio

dio, compaſſionum doctrinam, ſcitu ſumme neceſſariam, ex inſtituto, ut magis illuſtretur, medici aliqui Batavi tractarunt, Viri nempe Cl. MICHELL, JAS, VEEGENS & ANEMAET, quorum ſcripta, primum in academia Batavina, quæ Leidæ eſt; defenſa, hac Sylloge vero nunc conjunctim, mea cura, ſunt recuſa: quam ad operam inſignis thematis, in iſtis pertractati, dignitas, & apud nos raritas ipſorum exemplorum, me permoverunt.

Opuſcula, hac Sylloge contenta, & nova editione digna, ſic recuſa, omnino in exemplis apud nos perrara occurrere, bibliophilis ſatis ſuperque notum eſt. Scias etiam, L. B. diſſertationes fere omnes, academiis Batavinis in lucem emiſſas, nunquam ibidem venales, ſæpe, anno elapſo, vix ac ne vix quidem, vel quovis pretio, comparari poſſe: ipſe enim hasce non poſſiderem, niſi ab Illuſtri Viro,

EDU-

EDUARDO SANDIFORT, Patrono atque Fautore meo ſumme venerabili, accepiſſem; cujus benevolentiæ ac munificentiæ eas me debere animo gratiſſimo publice profiteor.

Laudibus tandem extollendi ſunt Viri Clar., qui in fontes Sympathiæ mirabilis inter diverſas partes C. H. inquirere, & phœnomena ejus, utut in ægrotantibus apparent, accuratius deſcribere, variasque morborum multiplicium cauſſas, quæ exinde originem ducunt, tradere, illisque medendi congruam methodum docere, omni cum ſtudio laudabili ſunt conati.

Non dubito denique, Lectores æquos de ſententia, hic prolata, mecum conſentientes, meisque conatibus, incrementa ſcientiæ medicæ magis magisque, quantum in me ſitum ſit, promovendi atque propagandi, fore applaudentes. Dabam Longo-Saliſſæ, die 24. Aug. MDCCLXXXVI.

CONSPECTUS
contentorum.

I.

Jani Petersen Michell, diſſ. *de mirabili, quæ caput inter & partes generationi dicatas intercedit, ſympathia.* L. B. 1781.

Sectio ejusdem *prima.*

De phœnomenis ex illa ſympathia, tum in ſanum, tum in morboſum corporis ſtatum, redundantibus.

Introductio. - - - Pag. 1

Cap. I. Illas capitis affectiones, quæ ex mutationibus vario ætatis ſtadio contingentibus utriusque ſexus genitalibus deducendæ ſunt, continens. 4

§. 1. Mutationes in viris, tempore pubertatis, tam quoad ſenſus internos, quam externos, obſervandæ. - - - 4

§. 2. Mutationes, quas eodem tempore, quoad memoratas functiones, ſubit ſexus ſequior. 9

§. 3. Quæ in coitu patiantur utriusque ſexus animales functiones? - - 18

§. 4. Quid a conceptu & graviditate, quoad has functiones, patiantur fœminæ? - 20

§. 5. Quas harum functionum mutationes partus inducat & puerperium? - - 22

§. 6. Quæ in ſtatu effœto phœnomena eluceſcant, quoad functiones memoratas? - 23

Cap.

Cap. II. Affectiones capitis a genitalium functionis anomalia, in utroque ſexu ortum ducentes, continens.

§. 1. Dolores capitis. - - Pag. 26

§. 2. Oculi affectiones. - - 32

§. 3. Narium affectiones. - - 38

§. 4. Aurium affectiones. - - 41

§. 5. Faciei Affectiones. - - 43

§. 6. Linguæ & oris affectiones. - 48

§. 7. Vertigo. - - 51

§. 8. Convulſiones. - - 53

§. 9. Affectus ſoporoſi. - - 72

§. 10. Paralyſes. - - 74

§. 11. Deliria. - - 76

Cap. III. Symptomata functionis ſexualis læſæ, a capitis affectionibus oriunda.

§. 1. Symptomata ſexus virilis læſæ functionis; ab affectionibus capitis orta continens. 85

§. 2. Symptomata ſexus fœminei ex eodem fonte. - - - 93

§. 3. De imaginationis gravidarum effectu ſpeciatim in fœtus nonnulla. - 99

Sectio altera.

Quædam corollaria ex præcedentibus, quoad diagnoſin & curationem capitis & genitalium morborum, continens.

Introductio. - - - 107

Cap. I. Signa, quæ ex functionis animalis perturbatione ad diagnoſin anomaliæ functionis genitalis, elici poſſunt.

§. 1

§. 1. Capitis affectionum ex memoratis cauſſis orientium diagnoſis. - - Pag. 110

§. 2. Quæ ſigna genitalium labes in capite exhibet. - - - 112

Cap. II. Signa in genitalibus conſpicua ad diagnoſin morborum capitis facientia.

§. 1. Signa in genitalibus ad diagnoſin morborum capitis facientia, in variis morbis a variis obſervata. - - - 115

§. 2. Signa in genitalibus conſpicua, quæ maniæ diagnoſin illuſtrant. - 117

Cap. III. Medicamenta, quæ genitalibus applicata morbor. capitis therapiæ maxime conveniunt.

§. 1. Corollarium ex prioribus ad ſanationem morborum capitis ex memorato fonte ſpectans 119

§. 2. Remedia quædam, quæ genitalibus admota morb. capitis tollunt, eorumq. agendi modus 120

§. 3. De caſtratione, ut remedio, nonnulla. 125

§. 4. Alia quædam memorans remedia, eorumque in caput & genitalia agendi modum indagans. 128

§. 5. Veneris uſum in morbis capitis ſympathicis prodeſſe probatur. - - 132

Sectio tertia.

In cauſſas Sympathiæ, quæ caput inter partesque generationi dicatas intercedit, inquirens.

Introductio. - - - - 137

Cap. I. Fontes Sympathiæ exponens.

§. 1. Fontes Sympathiæ motoriæ. 139

§. 2. Fontes Sympathiæ ſenſitivæ. 143

§. 3.

§. 3. Sympathia mixta. - Pag. 147
Cap. II. Objectiones contra propoſitam hypotheſin dilutæ.
§. 1. Cl. *Rob. Whyttii* objectiones cont. 149
§. 2. Objectiones Cl. Whyttii diluuntur. 150

II.

PETRI IAS, diſſ. *de mirabili, quæ pectus inter & ventriculum intercedit, Sympathia.* L. B. 1784.

Sectio ejusdem *prima*.

Exhibens illos effectus, quibus tam in ſano quam morboſo corporis ſtatu hæc doctrina ſeſe manifeſtat.

Introductio. - - 153
Cap. I. §. 1. Mutuum, quod pectus inter & ventriculum in ſtatu ſano intercedit, commercium exponens. - - - 156
§. 2. Circulationis momenta ex digeſtione oriunda. - - - 158
§. 3. Momenta reſpirationis ex eodem fonte deducenda. - - - 160
§. 4. Commoda a cordis actione in digeſtionem redundantia. - - - 161
§. 5. Digeſtionis effectus ex reſpiratione repetendi. - - - 162
Cap. II. Affectiones pectoris morboſas, vitio ventriculi natas exponens.
§. 1. Vitia pulmonum & partium thoracem continentium ex memorato fonte ortum ducentia. 164
§. 2. Vitia cordis. - - 172
§. 3. Febres gaſtricæ. - 180

§. 4.

§. 4. Affectiones diaphragmatis. Pag. 193

§. 5. Affectiones œſophagi. - 196

Cap. III. Symptomata digeſtionis læſæ a pectoris morbis oriunda.

§. 1. Symptomata intemperiei ventriculi læſæ, eiusque depravatæ functionis, a vitio pulmonum aliarumque vicinarum partium orta, continens. 199

§. 2. Symptomata cordis ventriculum ejusque functionem turbantia. - - 202

§. 3. Affectiones ventriculi læſi, diaphragmatis vitio inductæ. - - 205

§. 4. Symptomata functionis ventriculi læſæ, ab œſophagi morbis oriunda. - 207

Sectio ſecunda.

Diagnoſin & curationem pectoris & ventriculi morborum, ex memorato fonte naſcentium, complectens.

Introductio. - - - 210

Cap. I. Signa in pectore conſpicua, ad diagnoſin anomaliæ functionis naturalis inprimis facientia.

§. 1. Pectoris morborum, ex memoratis cauſſis naſcentium, diagnoſis. - - 212

§. 2. Quæ ſigna varia ventriculi labes in pectore exhibet. - - - 214

§. 3. Signa in pectore conſpicua, quæ tuſſis diagnoſin formant. - - 216

Cap. II. Signa, quæ ex digeſtionis anomalia ad diagnoſin variorum pectoris morborum petuntur.

§. 1.

§. 1. Signa in ventriculo occurrentia, quæ pectoris morborum diagnoſin illuſtrant. Pag. 220
§. 2. Quæ ſigna pleuritis bilioſa in ventriculo exhibet. - - - - 222
Cap. III. Medicamenta, ad ſanationem morborum ex memorato fonte naſcentium, in variis morbis a variis auctoribus laudata, continens.
§. 1. Medicamenta, quæ ventriculo ingeſta pectoris morborum therapiæ maxime conveniunt. 226
§. 2. Remedia quædam externa pectori applicata, eorumque in ventriculum & pectus agendi modus 243

Sectio tertia.

Sympathiæ, quæ ventriculum inter & pectus intercedit, fontes indagans.
Introductio. - - 252
Cap. unicum. Varias conditiones probabiles, quibus partium Sympathia innititur, exponens.
§. 1. Sympathia nervoſa. - 255
§. 2. Syſtema ſanguineum. - 259
§. 3. Continuitas membranarum. - 261
§. 4. An & in fabricæ aut humorum, quos partes ſecernunt accipiuntve, ſimilitudine? - 264
§. 5. Vicinia partium. - 267
§. 6. Vis vitalis. - - 269

III.

Diderici Veegens, diſſ. *de Sympathia inter ventriculum & caput, præcipue in ſtatu præternaturali.* L. B. 1784.
Introductio. - - 274
Cap. I. De ventriculo, ejusque functione. 276
Cap. II. De affection. capitis a ventriculo oriundis.
§. 1. Dolores capitis. - - 287
§. 2. Oculi affectiones. - 291
§. 3. Narium affectiones. - 293
§. 4. Aurium affectiones. - 296

§. 5.

§. 5. Faciei affectiones. - Pag. 298
§. 6. Linguæ & oris affectiones. - 300
§. 7. Vertigo. - - 305
§. 8. Affectus ſoporoſi. - - 306
§. 9. Paralyſes. - - 311
§. 10. Deliria. - - 312
§. 11. Convulſiones. - - 316
Cap. III. Continens nonnulla de diagnoſi & cura affectionum harum ſympathicarum. - 322
Cap. IV. De cauſſis Sympathiæ ventriculum inter & caput. - - 348

IV.

Iacobi Anemaet, diſſ. *de mirabili, quæ mammas inter & uterum intercedit, Sympathia.* L. B. 1784.
Introductio. - - 357

Sectio prima.

Cap. I. De mamm. fabrica, earumque functione. 358
Cap. II. De uteri fabrica, ejusque functione. 370
Cap. III. Mirabilem mammas inter & uterum ſympathiam, & ex ea redundantes functiones exhibens. - - - - 385

Sectio ſecunda.

Cap. I. De mammarum morbis conſenſualibus. 396
Cap. II. De morbis uteri conſenſualibus. 409
Cap. III. Regulas, quibus hi morbi avertantur, exhibens. - - - 416

I. IANI

I.

IANI PETERSEN MICHELL,

Amſtelaedamenſis,

Diſſertatio medica inauguralis,

De Mirabili, quae caput inter et partes generationi dicatas intercedit, Sympathia.

Lugduni Batavorum,

d. XIX. Maji, 1781.

SECTIO PRIMA.

DE PHÆNOMENIS EX ILLA SYMPATHIA, TUM IN SANUM, TUM IN MORBOSUM CORPORIS STATUM, REDUNDANTIBUS.

INTRODUCTIO.

Vetuſtiſſimis jam temporibus, Univerſalem, & Particularem, quæ inter plerasque partes intercedit, Sympathiam, genuinis Medicis fuiſſe obſervatam & ſummopere in Praxi atten-

tam, docent HIPPOCRATIS & GALENI ſcripta; quorum prior paſſim in ſcriptis illa notavit Symptomata, ex Sympathia promanantia: alter ex profeſſo de iis agere operæ duxit pretium. Licet autem quoad obſervanda ex hoc fonte profluentia phænomena, Veteres multum profecerint, cauſſarum tamen doctrina inculta fere manſit. *Vaporum* nomen hypotheticum GALENO in uſu fuit, ad cauſſas Sympathiæ explicandas; quem quum ſequentis ævi Auctores ad amuſſim ſecuti ſint, hæc hypotheſis vix fuit correcta: donec ſanguinis circulatio, ab HARVÆO inventa, diſtributio nervorum a WILLISIO accuratius inveſtigata, Recentioribus anſam dederunt ulterius in cauſſas horum Phænomenorum inquirendi.

Sanguineo hinc Syſtemati alii, alii vicinitati, ſitui, ſimilitudini functionis partium Phænomenorum adſcripſerunt cauſſam, ut inter alios RIVERIUS, BAGLIVIUS, aliique non minoris ſubſellii viri: alii in membranis Sympathiæ fontes maxime collocarunt, ut cel. ETTMULLERUS & præſtantiſſ. REGA *a*) aliique.

Plurimi vero inter Recentiores WILLISIUM ſecuti,

a) Qui librum ſcripſit egregium de *Sympathia*, omnino inter optimos, qui de hac materie ſcripti ſunt, locandum, cui titulus eſt *Diſſertatio Medica de Sympathia, ſeu de conſenſu partium corporis humani* &c, *Harlemi* 1721.

ſecuti, Sympathiam nerveo Syſtemati ſoli attribuerunt, inter quos eminent VIEUSSENSIUS, BOERHAVIUS, KAUIUS, SWIETENIUS, HÆNIUS, WINSLOWIUS, PETITUS, WHYTTIUS, HALLERUS aliique, qui priores ſequuti, nerveo Syſtemati, ſuo tamen quisque modo, Sympathiam adſcripſerunt.

Neque hæcce tentamina fructu caruiſſe, (licet cauſſæ Sympathiæ vix recte explicitæ videantur) Recentiorum ſcripta convincunt, quibus ventriculi cum capite, cum cute & toto fere corpore, oculorum cum viſceribus abdominalibus, cutis cum inteſtinis, uteri cum toto corpore Sympathia, tam in ſano, quam in morboſo corporis ſtatu adeo eſt probata, & claræ luci expoſita, ut vix exſtet, cui ex meliori luto præcordia finxit Phœbus, quin palam hujus Sympathiæ leges effectibus conſpicuas, in N. C. adnoſcat.

Neque ignota inter utriusque ſexus genitalia & caput Sympathia fuit Veteribus: ipſe enim Medicinæ Auctor HIPPOCRATES hanc adſtruit; tamen, (licet uteri Sympathia pluribus fuerit indagata) quum ex profeſſo de illa Sympathia, quæ inter utriusque ſexus animalitatis & generationis organa obſervatur, nunquam, quantum quidem mihi conſtat, actum ſit, obſervationes Auctorum, quæ Sympathiæ hujus doctrinam ſpectant, collegi, & in ordinem digeſſi, ut hæc

doctrina ſua utilitate in Praxi Medica ſeſe commendans, clariori luce ſiſteretur.

Hinc, quum curvi norma rectum, & Sympathiæ morboſæ, quæ in ſano ſtatu obſervatur, fundamentum præbeat, primum de naturali, quæ inter memoratas partes adeſt, Sympathia agere; dein morbos ex illa Sympathia promanantes, Auctoribus notatos, breviter memorare, & ex hiſce corollaria quædam practica ex obſervationibus ſponte fluentia, vel legitima argumentatione inde deducta proponere decrevi, ut eo facilior ſit, quam adjungere animus eſt, in cauſſas hujus Sympathiæ inveſtigatio.

CAPUT PRIMUM.

Illas Capitis Affectiones, quæ ex Mutationibus, vario Ætatis ſtadio contingentibus utriusque ſexus Genitalibus, deducendæ ſunt, continens.

§. I.

Mutationes in Viris, tempore Pubertatis, tam quoad ſenſus internos, quam externos, obſervandæ.

Si ſtatutas ab AUCTORE NATURÆ Oeconomiæ Animalis leges Philoſophice conſideremus, ſi ſpeciales, quibus Ætatis Mutationes reſtrinxit, terminos, qua Phyſiologum decet, attentione

tentione, indagemus, miremur oportet harum conſtantiam & ſimplicitatem, qua poſita, ordo Naturæ elegans, nec in minimis non obſervabilis, eluceſcit: harum exemplum ſiſtat determinata Ætatum Mutatio, qua fœtum infans, infantem puer, puerum juvenis, juvenem vir, virum tandem ſenex excipiat. Miremur, inquam, haſce Naturæ leges, verum magis miremur, qui ingenio humano magis pateſcunt, harum legum in quocunque individuo effectus; quid, quod mirandæ illius legis ſpecimen ille gradus exiſtat, quo puer in juvenem mutatus, novum quaſi corpus induit, ut ab impotente, timido, innocuo, ſegni, puber, irritabilis, audax & ad procreandam ſuæ ſpeciei ſobolem aptus & idoneus fiat. Pubertatem huncce gradum Ætatis vocare Phyſiologi ſolent, qui plerumque inter duodecimum & decimum quartum annum incidit; licet dentur exempla, ubi vel citius vel ſerius etiam puberes facti ſunt: Verum, præterquam quod temperamentum & ſingularis corporum conſtitutio, cœlum & regio hic multum faciant, exceptiones hæ, & Naturæ ludentis quaſi exempla, generalem & ab ævo ſtatutam regulam deſtruere non valent. Circa hanc igitur ætatem, corpore jam pro majori parte ad debitum incrementum deducto, minori igitur humorum copia indigente, aſſumta alimenta majori vi digeruntur, concoquuntur, aſſimilantur, ſecretiones juges, copioſiores, humorum ad digeſtionem & chylificationem faci-

entium major vis, ipſaque ſanguificatio laudabilius procedit, hinc quaſi plethora naſcitur vera, quam quum Natura corrigere, imminuere conetur, ipſis his conaminibus ſanguinem deducit ad ea vaſa, quæ minori gaudent reſiſtentia; atqui dum generationis organi vaſa nondum evoluta, tenera in puero ſunt, pellitur ſanguis in ea, & vi determinata derivatrice, ipſa teſtium vaſa dilatantur, ſtimulantur, irritantur, majori quam antea vi ad eos determinato humorum impetu, hinc reagentibus vaſis ſummopere irritabilibus in minora minoraque deducitur ſanguis vaſcula, intricatiſſima teſtium vaſculorum glomera evolvuntur; dilatantur, & ex determinata Naturæ lege elaborare incipiunt illum liquorem album, ſubpellucidum, viſcoſum, glutinoſum, qui gremio fœminæ exceptus, quo, latet, modo, accedente ab ea vel liquore vel ovulo, res difficile enodanda, primordium conſtituit novi ejusdem ſpeciei animalis.

Evolutis præſcripto modo Genitalibus, calor ad eas partes increſcit, ſemen elaboratum, ſecretum, per ſingulares (Phyſiologis hoc tempore notos) canales defertur ad veſiculas, quas ſeminales vocant, ubi ulterius adſervatur & pleniorem ſubit elaborationem. In his itaque veſiculis ſtagnans liquor ſua ἐνεργείᾳ afficit nervos harum partium, ſtimulo ſingulari, neque ulli alii, præter hunc liquorem proprio, incitantur nervi, incitantur vires corporis irritabiles, hinc eodem pror-

prorſus, quoad adſumtum vini hauſtum famelici, vel quoad perceptum volatilium odorem naribus appoſitum, ſyncoptici vires, libidinis ſcintilla ſub levi cinere latens & ad levem cauſſam eruptura, in flammam erumpit, & Genitalis functionis initia, qua ſexus alterum, vehementia quadam appetit, ad ſuæ ſpeciei ſobolem propagandam, ſtruit.

In his veſiculis ſtagnans elaboratiſſimus liquor a venis reſorbentibus, in omni omnino corporis receptaculo, ut ex recentiori Anatome conſtat, inveniendis reſorbetur, & in ſanguinem deducitur, & ad vigorem & robur partium augendum maxime facit, ita ut, qui brevi tempore ante puer erat, juvenis factus, puerile cum virili corpore commutaſſe quaſi videatur.

Barba enim virilitatis ſignum mentum cingit, pubes a Natura obſcœnas partes abſcondente, pilis ornatur; vox mutatur, βαρύτονα fit; ſenſus externi & interni acutiores fiunt, ita ut, quae brevi ante puero ἀδιάφορα, nunc juveni maxime adaptentur: in obſcœnis colloquiis, quæ puer absque ulla animi adfectione auſcultabat, erubeſcit juvenis, ſtimulumque, quo puer carebat, juvenis ſentit, quo ſui ſimilem propagare incitatur.

Timor, quem puerum decebat, juvenem deſerit, ad omnia paratus, vix quæ animæ & corpori nocere poſſunt, attendit, ruit in amplexus nocuos vel innocuos, ſalutares vel lethales, prout a genio feliciori vel infeliciori ducatur. Hæc

ratio etiam eſt, cur vir ſummis laudibusdignus, quo brevi, quod doleo, tempore, me Præceptore & in Phyſiologicis duce uſum fuiſſe glorior, Magni Fratris Frater F. B. ALBINUS *b*) ſcripſerit, *Nullus adfectus animi eſt, quem minus compeſcunt: trahuntur ruuntque eo absque diſcrimine omnes.*

Hæc itaque quum ſeſe ita habeant, an mirabilis illa Sympathia inter caput partesque Generationi dicatas, non eluceſcit? an pro mero, ut quidam volunt, figmento & ludentis cerebri phantasmate habenda ſit, liquere ex propoſitis poteſt. Conſtet mirum non eſſe, quum talem mutationem puerile corpus, ut viriles ageret functiones, ſubeat, ipſum idemque corpus multis prædiſpoſitum reddi morbis, quos infantes vel pueri nunquam paſſi fuiſſent: mirum non eſſe, quod ſummi Artis noſtræ Principes HIPPOCRATES v. g., HOFFMANNUS, SWIETENIUS, GAUBIUS aliique, obſervarunt multos morbos ipſo hoc ſtadio principium ducere, aliosque decurſum ipſo hoc tempore abſolvere, mirum non eſſe Eunuchos, ſpadones, aliosque hujus farinæ homines, quum privilegiis a facultate ſexuali maxime in humanum corpus redundantibus, careant, morbis etiam ab eadem functione ortum trahentibus, non affici. Conſtet, ut in ſano ſtatu hæc Sympathia memoratas inter partes ſemper obſervatur.

b) In egregio opuſculo *de Natura Hominis* p. 232.

tur, ſic & in morboſo determinatas eſſe ejus Sympathiæ leges, nec niſi pro vario temperamento, corporis conſtitutione, irritabilitate majori vel minori, variare; quod, quum proprie hujus loci non ſit, poſtea luculentiſſime ex capitis morborum inde orientium conſpectu patebit.

§. II.

Mutationes, quas eodem tempore, quoad memoratas functiones, ſubit Sexus ſequior.

Si fœminei ſexus Oeconomiam vel obiter conſpiciamus, vix fieri poteſt, quin in oculos incurrat earum exquiſita ſenſilitas corporis, tenerior compages, mirabilis uteri cum omnibus totius corporis partibus Sympathia, major animæ agilitas, vivacitas & mobilitas, quæ jam a priori evincunt, omnes cauſſas externas, vel internas, validiores in earum corpora effectus, & inde profluentes, per corporis mentisque inexplicabile commercium, in animam fortiores impreſſiones eſſe producturas. Hinc etiam illa, quæ, Pubertatis tempore, in fœminis obſervatur mutatio, absque ulla vitii organici ſolidorum, vel morboſi fluidorum ſtatus præſentia, tantis ſæpe ſtipatur, ex fontibus memoratis orientibus, ſymptomatibus, ut non raro periculum vitæ inde oriatur.

Ab ævis enim ſtatuta lex eſt, ut etiam hic Sexus poſt annum duodecimum mutationes ſubeat, qua ad ſemen maſculinum excipiendum, fovendum, indeque ortum hominis initium per novem

menſes ferendum & ad maturum fœtum usque nutriendum aptæ fiunt fœminæ.

Hoc pubertatis tempore, *Mutationes prorſus ſingulares, ex conſtanti Naturæ lege, in corporibus virginum excitantur*, (verba ſunt ill. Archiatri G. VAN DOEVEREN *c*), Præceptoris ad rogum venerandi, cujus Prælectiones de Morbis Mulierum mihi, in difficili horum phænomenorum adumbratione, præluxiſſe lætus glorior) increſcunt enim brevi & ſæpe mirabiliter puellæ, ut prius puſilla paucis menſibus notabilem longitudinem adquirat virgo: ſanguis tunc abundans plethoram facit, quia omnis non abſumitur ad incrementum, pro maxima parte jam peractum, excitantur vires Naturæ, quibus ſanguis pellitur in Genitalia, uterum & pelvim, hinc capacitatis illius oſſeæ amplitudo augetur, & ſic apta diſponitur ad fœtum geſtandum & edendum, majori ſpatio itaque viſcera hanc pelvim replentia gaudent, hinc reſiſtentia ibidem minuta, ſanguis ruit in vaſa nondum evoluta, hæc evolvuntur, dilatantur & ſic uterus, Miraculum illud Naturæ (ex magni SWAMMERDAMMII paraphraſi) aptus fit & idoneus ad functiones, quas poſtea peragere debet, præſtandas.

Videtur veroſimiliter, ut cl. VAN DOEVEREN ſolita ingenii perſpicuitate in jam laudatis Prælectionibus docuit, eo tempore in fœminis fieri ſecretio materiæ cujusdam ſeminalis ſubtiliſſimæ,

c) *Prim. Lin. de cogn. & cur. Mulier. morb.* §. 16.

mæ, quæ ſuo ſtimulo profert mutationes adhuc dum memorandas: atque mihi videtur hujus liquoris exiſtentia probabilis ex eo, quod

1. Effectus pubertatis tempore in ſexu ſequiori conſpicui vix explicabiles ſint, absque talis materiei concurſu.
2. Effectus mox memorati maxime conveniant cum iis, qui in potiori ſexu obſervantur, ex ipſo ſemine ortum ducentes.
3. Seminalis illa materies effectus profert in ſequiori ſexu, qui in potiori, juxta leges determinatos, ex ipſo ſemine oriuntur: innuo illa exempla, ubi virginibus barba in mento increvit, vox virilis fuit facta, & tanta accedit mutatio, ut externam virilis habitus formam induxerint.
4. Morbi fœminei Varii a menſtruatione anomala non repetendi, vulgo irritabilitati nimiæ adſcripti, v. g. Paſſio Hyſterica; quae ſæpe oritur, ubi nullum omnino uteri vitium organicum adeſt, quum tamen cauſſam in utero hærere ipſæ ſentiant ægræ & fateantur.
5. Docet hoc etiam Furor uterinus & epilepſia, eorumque periodicus reditus: hi enim morbi ſæpe oriuntur, ubi nullum vitium organicum adeſt genitalium, nulla menſtruationis anomalia, quum tamen ex utero ortum

tum eos morbos ſæpe, imo priorem ſemper ducere tam certum, quam quod certiſſimum.

6. Docent hoc morborum ſupra memoratorum cauſſæ, v. g. Veneris abſtinentia nimia, amor fruſtratus, vel & nimius, quæ certe in commune ſenſorium & genitalia agentes cauſſæ, imaginationem depravando & materiam ſeminalem corrumpendo, promum condum horum morborum conſtituunt.

7. Idem monſtrare videntur horum morborum ſymptomata, præter topica enim uteri mala, adeſt enormis ad Venerem appetitus, dolor ad uteri regionem, pruritus, imo ſæpe per effluxum materiæ ex genitalibus paroxysmus ſolvitur *d*) & hoc ſæpe fit, cum nullum omnino adſit, vel uteri, vel genitalium vitium organicum, imo ne menſtruatio quidem anomala.

8. Neque diſſimilia docent horum morborum exitus & curatio: vix enim, niſi menſtruorum anomalia adeſt, & ne tunc quidem, niſi prudentiſſime, conveniunt antihyſterica illa calida, ſtimulantia, emmenagoga, quæ in Paſſione Hyſterica, Furore uteri

d) V. HOFFMANN *Med. Rat. Syſt. T.* IV. *P.* III. *pag.* 164. & ASTRUC *Mal. des Femmes, Tom.* IV. *p.* 65. 80.

uteri & Epilepſia ex eodem ortum ducente, a multis commendantur; hæc enim uteri actuoſitatem ſtimulantia, ſtimulo ipſam cauſſam morbi augent, quæ optime, per remedia craſin humorum corrigentia, & ſolidorum ſenſilitatem minuentia tolleretur: ſic materies ſeminalis corrigeretur, & acritas ſubigeretur, ſolidaque contra ſtimulum armarentur; hinc Cortex Peruvianus, Martialia, temperantia, antiſpasmodica, emollientia tanti in his morbis ſunt uſus.

9. Probabilitas exiſtentiæ hujus liquoris multum inde augetur, quod conſtat, hos morbos ſæpe minui, imo ex integro non raro tolli, titillatione partium genitalium prudenti, vellicatione pilorum, aliisque hujus generis remediis, quæ poſt optima revellentia & derivantia fruſtra applicita morbum ſæpe tollunt: unde videtur elici poſſe hæc remedia non agere ſola vi revellente, derivante, verum & ſingulari quadam actione materiam illam, morbum cauſſantem, provocare, quum conſtet hos morbos per effluxum talis materiei ſæpe ſolvi.

10. Sed et, quod magis eſt, ipſe coitus, Auctore HIPPOCRATE, ſæpe in deſperato caſu morborum horum ſanationem abſolvit, qui cujuscumque generis remediis reſtitiſſet: hoc autem coitu videtur excerni ſingu-

gularis ille humor, qui qualitate & forte quantitate in his morbis peccare videtur.

11. Robur his addit uteri fabrica vaſculoſa, & ovariorum analogia cum teſtibus, quæ docere omnino videntur materiei cujusdam ſecretionem.

12. Neque parum mihi videtur probare analogia ab aliis organis petita; vix enim in H. C. organon adeſt, appetitui cuidam deſtinatum, quod non habeat liquidum quoddam, ſtimuli vice gerens, quo irritatum excitat ſenſationem in mente rei, quam appetimus, & organon ad accipiendum vel expellendum adaptatur. Ventriculus v. g. & inteſtina ſucco gaſtrico, enterico & bile, veſica urina, alvus fœcibus ſtimulatur, ideam famis, vel & ſordium expulſionis excitat in mente, & ipſum organon ſuo determinato ſtimulo ad agendum diſponitur & incitatur: quid itaque, quum omnia organa tali ſtimulo gaudeant, uterus tali careret, quum nullus, in quo vehementius ruimus omnes, appetitus detur.

13. Ipſi Viri celebres, qui ſeminis exiſtentiam non admittere videntur in ſexu ſequiori, horum argumentorum vim percepiſſe videntur; *ſtimuli Venerei* nomine uſi: quid enim per hunc ſtimulum intelligerent, niſi liquidum illum uterum & genitalia ad Vene-

Venerem incitantem: ipſe hypotheſibus inſenſiſſimus, ſupra laudatus cl. ALBINUS *e*) ſequentibus verbis ſe ab hac hypotheſi haud alienum fuiſſe docet, „*Igniculi venerei incitant faciuntque, ut appetat ſexus alter alterum* &c. ibi enim per igniculos illos ſtimulum venereum intelligi, ſatis clarum mihi videtur.

14. Morbi præterea uteri & ovariorum, quos cum aliis organis ſecretoriis communes habent, ulterius ſententiam meam adſtruunt: ſcirrhus v. g. cancer, carcinomata, aliaque hujus generis mala, organa generationis frequentiſſime infeſtant.

15. His argumentis colophonem adjiciat Autopſia; in mulierum enim, quæ diu a venere abſtinuerant, defunctarum utero materiam ſeminalem ſe vidiſſe adſerit, non minimi ſubſellii Medicus, JO. FERNELIUS *f*), & uterum hyſteromaniacæ hunc liquorem magna copia continuiſſe vidit ARNAUD *g*).

Hæc itaque quum ita ſint, ſive ille liquor in ipſa uteri ſubſtantia ſecernatur, ſive in ovariis præparetur, ſive, quod etiam HALLERI ſententia agnoſcere videtur, in ipſis ovis contineatur, ſive ejusdem generis ſit liquor, ac qui ex va-

gin*æ*

e) *L. c.* §. 1403.

f) *Medicin. univerſ. lib.* VII. *cap.* VI. *p. m.* 177.

g) In libr. cit. apud. HALLERUM. *El. phyſiol. T.* 8. *p.* 14.

ginæ cryptis in coitu excernatur, (quod minus probabile), ſive illud fluidum concurrat ad hominis primordium formandum, ſive cum maſculino ſemine miſceatur, ſive reſorptus aliis inſerviat uſibus, perinde eſt, neque horum myſteriorum probabilem rationem indagandi, hic locus: ſufficiat, me liquoris talis in fœmineo corpore præſentiam probabilem duntaxat reddidiſſe.

Hic itaque ſtimulus, apto natus tempore, mutationes in corpore excitat magnas: pubes efflorefcit, mammæ ſororiari incipiunt, earumque fabrica evoluta, aptæ fiunt ad functiones debitas peragendas, tum ut pulchritudinem augerent formæ, tum ut voluptatis Venereæ pro parte ſiſterent ſedem, tum denique, ut fœtui ex gremio Matris dias luminis auras ſalutanti, nutrimentum, illo ætatis ſtadio aptum & idoneum, procurarent.

Congeſtiones oriuntur ad uterum vicinasque partes, hinc calor, titillatio, ardor, dolor, tormina, tenesmi accedunt ſæpe, quibus, ex mirabili capitis cum utero ſympathia, cephalalgia, vertigo, lividus circa palpebras circulus, oculorum ſplendor, vel & obſuſcatio ex nervorum fibrarumque uteri & vicinarum partium tenſione, criſpatione oriunda, ſæpe accedunt; donec Natura, ex determinata lege, partes ſenſiles incitat ita, ut per oſcula dilatata, eretismo incitato, vaſcula uteri ſanguinem propellant, qui excretus, fluxus menſtrui nomine venit ideo, quod omni menſe in omni fœmina generationis negotio

gotio

gotio apta redire obſervatur, plus minus enumeratis ſymptomatibus ſtipatus *h)*.

En jam, quæ brevi ante Puella, virgo facta, vix novi ſtatus mutationem intelligendo apta, per ſtimulum ſeminalem aptitudinis ſuæ ad generationis negotium perceptionem experitur, & mirabilem ſentit irritationem ad coitum ſtimulantem: hinc cum viro jungitur, incitant igniculi genitalia, turgent, tument, & ad minimum de generationis negotio elapſum verbulum, timidæ præ pudore puellæ, roſeo tinguntur genæ colore.

Quum vero talis virgo irritabilior, calidior, appetitu fruſtratur, ſæpius Melancholia, paranoiæ, enthuſiasmi, ecſtaſes, maniæ eroticæ, imo ipſa *ὑςερομανία* aliique animi morbi ad naturæ ſtimulos inobſequioſam puniunt.

Verum, ſi limites intra determinatos maneat hic ſtimulus, ſexus amabilis etiam ſenſus externi & interni hoc tempore fiunt acutiores, animi ſumma accedit agilitas, major in animi adfectiones proclivitas, ita quidem ut, quae puellam non afficie-

h) Conf. VAN DOEVEREN *Pr. Lin. cit* §. XVI. ad quam cl. Præceptor in prælectionibus pluribus commentatus eſt: & diſſertationem doct. MUILMAN, in qua disquiritur, *An ex celebrata hactenus opinione de plethora univerſali vel particulari, vera fluxus menſtrui cauſſa explicari poſſit?* L. B. 1772.

afficiebant, virginem in iram conjiciant, quæ puellæ riſum, virgini pudorem moveant: puella formam vix curans a minimis ineptiis movetur & afficitur, quum brevi poſt virgo facta vix, præter formæ venuſtatem & pulchritudinem, alia æſtimat.

Hæc igitur ſufficiunt ad probandum Sympathiæ dictæ, in ſexus utriusque ſano ſtatu, maxime pubertatis tempore, ſe monſtrantis præſentiam.

§. III.

Quæ in coitu patiantur utriusque ſexus animales functiones?

Incitant igniculi genitalia, omniaque aptantur ad dandum & accipiendum, commiſcent ſexus corpora, ut egregie F. B. ALBINUS *h)*, & epileptice quaſi ambo agitantur, donec prorumpens ex utriusque genitalibus ſeminalis liquor, animæ mixtionem & extinctionem cum corporis reſolutione quaſi paralytica producat: quam reditus animi ad ſe cum laſſitudine quadam inſequitur.

Recte igitur veteres et ſpeciatim DEMOCRITUS *Epilepſiæ brevis* nomine coitum inſignierunt *i)*: ſymptomata enim, quæ illum comitantur,

h) L. c.
i) Vid. præſtant. diſſ. viri doct. practici egregii J. HOVII *de epilepſia L. Bat. A. 1736. p. 7.*

tur, animæ & corporis convulſionem indicant: vix enim, cum vir vel fœmina ad illud opus incitatur, ullus ſtimulus Venereo major, vix ubi corpora miſcentur, anima rationalibus fungitur proprietatibus, vix re peracta vivunt: convelluntur omnes in coitu muſculi, mens vix ſibi conſtat, nulli rei niſi voluptati intenta, quæ extra ſe, negligit: æque ac paroxysmus epilepticus corpus non ſolum in motus convulſivos, ſed & mentem extra ſe rapit, fulmine quaſi ſenſus conquaſſante, & corporis vires animique ita debellante, ut, quæ in paroxysmo acciderint, poſt hunc neſciat Epilepticus.

Differentia in eo eſt, quod apud ſe rediens epilepticus ſtuporem ſentiat & quaſi paralyſin cum mentis perturbatione; poſt coitum vero ſexus gratæ actionis haud inmemor, opus vel repetat; vel, ſi repetendi ſtimulus abeſt, naſcatur triſtitia & averſatio, donec renati igniculi denuo impellant.

Oculorum ſplendor perit, languidus corporis habitus, torpor in utroque ſexu poſt coitum, quid patiantur corpus & anima in coitu, docent. Mirum itaque non eſt, æque viros ac fœminas maxime pati in functione hac Sexuali: voluptas, ſi modica, recreat, ſi immodica, immodice debilitat; mirum non eſt, morbos viriles & fœmineos hac actione ſæpe ſanari, vel augeri, vel etiam oriri; mirum non eſt, quum tanta muta-

tio fiat corporis & animi, etiam animi deliquium, epilepſiam, apoplexiam aliosque capitis morbos in ipſa hac functione initium ſuum habuiſſe, quod probare ſecundo Capite annitar.

§. IV.

Quid a conceptu & graviditate, quoad has functiones, patiantur fœminæ?

Scopus coitus eſt conceptio, ut ſcilicet potitus ſexus ſexu, hominem, conjunctis corporibus animisque, cudent *k)*.

Cum itaque ſanus cum ſana coit, effectus coitus eſt fœminæ imprægnatio. Uterus, ζῶον ἐν τῷ ζώῳ a Veteribus dictus, meliori nomine *Miraculi Naturæ* a SWAMMERDAMMIO inſignitus, videtur in coitu humorem illum ſeminalem recipere, &, incognito mortalibus modo, cum fœminæ liquore forte ſeminali miſcere, ut ex utriusque liquore exſurgat illud, quod hominem dein conſtituit. Conceptum hoc hominis principium miro omnino modo in corpus & animum agit: mœſta fit poſt coitum fœmina & ἀδιάφορα, horret, dentibus fremit, ex HIPPOCRATIS obſervatione, palleſcit, livet facies, ephelide quandoque afficitur, oculi ſplendore privantur, corporis laſſitudo, inſomnia, agrypnia, meticuloſitas, melancholia, pica, malacia, animi mobilitas accedunt; imo animi

k) Vid. ALBINUM *l. c.* §. 1403.

animi deliquia, vertigines, cephalalgiæ, cardialgiæ ſæpe a conceptu in irritabiliſſimis obſervantur: quae omnia ſymptomata male a plethora deducuntur, in ipſum enim ſæpe tempus incurrunt, quo vacant a menſtruatione, ipſoque, quo menſtrua paterentur tempore, gravidæ ab omnibus his ſymptomatibus ſponte liberantur, licet menſtrua retineantur: ſymptomata autem ex plethora gravidarum promanantia, hic recenſere noſtri fori non eſt, quippe qui illa ſolum ſymptomata ex memorata ſæpius ſympathia profluentia memorare propoſuimus.

Complexa ſymptomata illa, quæ ex illo commercio, plethora, mechanica actione, pondere fœtus, aliisque in graviditate præſentibus cauſſis profluunt, habet doct. DU PORT. *l)* his elegantiſſimis verſiculis.

Horror ab Ardenti coitu, ſemenque retentum,
Suppreſſi menſes, venerisque remiſſior ignis,
Os uteri clauſum, mamma utraque turgida, ventris,
Lumborum, laterumque tumor ſine pondere, livens

 Exor-

l) In libro *de ſignis morbor. edit.* R. SHOMBERG *l.* 4. *p.* 624. Conf. egregius & Helicone digniſſimus poëta J. BROEKHUSIUS *poëm. p.* 474. qui gravidæ picturam ibi dedit perpulchram.

Exortis facies maculis, & ſegnis ocellus,
Nauſea, defectusque leves, Anorexia, Pica,
Conceptam perhibent: lotio ne fide, nec ullis
Ante notis, fœtum quam noris ſede moveri.

§. V.

Quas harum functionum mutationes partus inducat & Puerperium?

Conceptum a congreſſu venereo ovulum per novem menſes ſuo gremio adſervat, fovet, nutrit fœmina, & ad incrementum debitum deducit gravida; quae, cúm per determinatum ſtimulum contracto utero & viribus naturæ adjuto, epileptico non male dicto paroxysmo, fœtum expulit, puerpera vocatur.

Ex partus illo mechanismo pulchre etiam eluceſcit ſympathia, cujus illuſtratione cum maxime adnitimur: ſenſus externi & interni omnes hac violenta actione agunt & patiuntur, omnes intendit vires parturiens, intremiſcit, calet, dum utero caput pellitur in pelvis anguſtias, aquæ formantur; tunc maxime anxia puerpera contrahit abdominales muſculos omnes, unde vi virium parturientis caput fœtus naſcitur, quod corpus ipſum ſequitur, & iterato impetu ſecundinæ expelluntur *m)*.

En

m) Vid. diſſ. meam, quæ inquirit *Synchondrotomia*

En jam gravida ex parturiente puerpera, ſummopere ſenſilis, & animi agilitate miranda prædita, fluxum lochiorum patiens, lætis a ſe productam prolem oculis peragrans, cui nutrimentum ipſa præparat & ſecernit. Tam fortunata vero hæc puerpera a minimis cauſſis in diros & lethales morbos incidere poteſt.

Quidquod magis Sympathiam memoratas inter functiones illuſtret, quam ipſum hoc puerperium? Affectus, imo vulneratus quaſi uterus, corpus non ſolum, ſed ipſam mentem Puerperæ ita afficit, ut a minimis cauſſis, in aliis vitæ ſtadiis vix male afficientibus, irritetur, & a ratione plane aberrans phrenitidi, inſaniæ, maniæ, aliisque hujus generis morbis anſam det, ut innumeris exemplis probat experientia, quorum quædam ſuo loco enarranda venient.

§. VI.

Quæ in ſtatu Effœto Phœnomena eluceſcant, quoad functiones memoratas.

Non per integram vitam utrumque ſexum ad venerem ſufficere recte obſervarunt & an-

 nota-

miæ oſſium pubis utilitatem in partu difficili, Præſide cl. VAN DOEVEREN, nuper defenſam *p.* 12.

notarunt Phyſiologi *n)*: æque mas ac fœmina terminum habent, ultra quem ſui ſimilem procreare nequeunt: differt hic terminus pro varia corporis conſtitutione, temperamento & regione.

Maxime in fœminis conſpicuus hic ſtatus, effœtus audit: eſtque illa ætatis mutatio, qua menſtruus fluxus deſinit, peritque illa aptitudo, qua ad fœtum concipiendum, nutriendum & edendum illæ fuerunt idoneæ.

Circa illam ætatem circulatio lentior, calor minor, appetitus ad venerem quandoque exſtinctus, ſed & ſaepe anomalus, mentis agilitas imminuta, torpor, triſtitia, melancholia fœminas quandoque invadunt, dum variis circa uterum, caput, & totum corpus vexantur moleſtiis: faciei color & venuſta perit forma, oculorum ſplendor obfuſcatur, ipſa formae pulchritudo perit, obſtructio, ſcirrhus, cancer non raro uterum invadit, quos morbus convulſiones, paſſio hyſterica, Metromania, epilepſia, catalepſis, imo ipſa mors non raro terminat. Mirum itaque non eſſe conſtat, DEMOCRITUM *o)* uterum ſexcentarum ærumnarum fontem dixiſſe, mirum non eſſe, BAGLIVIUM

n) ALBINUM l. c. *par.* 1288.
o) In celebri illa epiſtola ad HIPPOCRATEM.

LIVIUM fœminam ob uterum bis eundem morbum pati debere, aſſeruiſſe. Verum mirum eſſe, quosdam omnia hæc memorata ſymptomata corporis compagi ſequioris ſexus teneriori, vi vitali mulierum irritabiliori, & animæ agilitati ſolis adſcripſiſſe: docet hæc contemplatio, veterum de uteri ſympathia doctrinam nequaquam phantaſticam, ſed veris fundamentis nixam eſſe, & licet cauſſa difficillime poſſit explicari, effectus tamen, ſympathiam talem clariſſime demonſtrare: quod ex ſequenti Capite eo clarius eluceſcet, quo verius effecta ex ſympathia illa oriunda ſe in morboſo ſtatu manifeſtiori luci exhibere in eo pateſcet.

CAPUT SECUNDUM.

Affectiones capitis a genitalium functionis anomalia, in utroque ſexu ortum ducentes, continens.

§. I.

Dolores Capitis.

Affectiones Capitis doloroſas in cute, muſculis, externisque partibus reliquis, plerumque ſedem habentes, cephalalgiæ, cephaleæ, hemicraniæ, clavi, & quæ id genus alia dantur, nominibus inſigniuntur, quas iterum, pro varia cauſſa, in diverſas ſpecies diſpeſcuerunt Noſologi recentiores. Noſtrum non eſt de his diviſionibus agere, utpote ad cauſſas ſolum, unde doloroſi hi Capitis affectus proveniant, attendentes, eam Capitis doloris ſpeciem, quæ ex anomalia functionis genitalis ortum ſuum ducat, exemplis illuſtraturi: quod ut fiat eo felicius, id attendendum velim, ut in ſingulis paragraphis, ubi Capitis affectiones varias memorabimus, ne cauſſarum numerus confuſionem pariat, ſequentem diviſionem adoptemus; recenſebo ſcilicet

1. Ea Capitis vitia, quæ a partium generationi dicatarum intemperie, & inde perturbata fun-

functione, ſexui amabili ſoli propria, ortum ducunt.

II. Quæ, ſexui potiori & ſequiori communia, a labefactata genitalium functione Capitis mala oriuntur.

Patet hinc facile, ad priorem claſſem deduci debere uteri inflammationem, quam cum affectione Capitis conjunctam eſſe jam obſervavit HIPPOCRATES *p*) & confirmavit GALENUS *q*): poſterioris ævi Auctores obſervationem hanc ſummorum in arte Virorum ſuis confirmarunt, inter quos SENNERTUM *r*), MERCURIALEM *s*), LANGIUM, JOUBERTUM *t*), & BALLONIUM *v*) nominaſſe ſufficiet: recentiſſimi etiam Obſervatores, iique præſtantiſſimi, hanc affectionem Capitis doloroſam tum ab inflammatione uteri, tum ab ejus ſcirrho & cancro oriri demonſtrarunt, inter quos eminet Anglicum illud decus, SYDENHAMUS, cujus veſtigia preſſerunt C. G. KIESLING *x*), SCHUCHMANNUS *y*), SCHENCK-

p) *De Morb. Mulier. l.* 2. §. 54. *p.* 855. *ed. Lind.*
q) *Epid.* 6. *ſect.* 1. *aph.* 1.
r) *Med. pract. l.* 1. *p.* 3. *ſ.* 1. *cap.* 3. *pag.* 758.
s) *De Morb. Mul. in* SPACHII *Gynæc. p.* 291.
t) Vid. SENNERTUM *l. c.*
v) *Oper. t.* 1. *p.* 71. *&* 85.
x) *De utero poſt part. inflamm. in coll. diſſ. pract.* HALLERI *t.* 4. *p.* 597.
y) *In Eph. N. C. dec.* 3. *ann.* 4. *obſ.* 42.

SCHENCKLER z), RAHNIUS a) &, qui primus fuiſſet memorandus, incomparabilis MORGAGNUS b).

Nec tamen in ſcirrhoſa & cancroſa uteri adfectione veneranda Antiquitas doloroſum ſymptoma in Capite non obſervavit, ut conſtat, ſi ſcripta HIPPOCRATIS c) & H. MERCURIALIS d) evolvamus.

Verum, licet organica fabrica uteri ſana ſit, ex anomalia functionis hanc Capitis affectionem naſci teſtatur Medicinæ parens HIPPOCRATES e); &, qui eum ſecuti ſunt, GALENUS f) & CELSUS g), cephalalgiam adeſſe gravativam, ſi menſtrua ſuperiora peterent, declararunt: Veterumque obſervationes Recentiores comprobarunt, & ab hac cauſſa Viri celeberrimi recte derivarunt illas Capitis dolorum ſpecies, non niſi reſtitutis in integrum menſibus, ſanandas;

z) Qui ex ovariorum morbis caput dolere obſervavit. Vid. HALLERI *diſſ. pract.* l. c. *p.* 420.
a) In præſt. *diſſ. de mir. inter caput & viſcera abdom. commercio p.* 17. *Gott.* 1771. *edit.*
b) *De ſedib. & cauſſ. morb. ep.* 39 *a.* 12.
c) *De morb. Mul. l.* 1. §. 88. *p.* 472.
d) *In* SPACHII *Gynæc. p.* 294.
e) *De morb. Mul. l.* 2. *p.* 526. 527. *Coac. præn. l.* 2.
f) *De loc. aff. l.* 6. *c.* 5.
g) *L.* 2. *c.* 7. *p.* 59.

das, ut PECHLINUS *h*) HEISTERUS *i*), WEPFERUS *k*), W. F. BOENNEKENIUS *l*), J. D. REICHELIUS & D. DE LA ROBERDIERE *m*), GOEKELIUS *n*) aliique, ita ut etiamnum hæc affectio Capitis inter peculiares cephalalgiæ ſpecies merito locum obtineat *o*).

Tantoque minus ſingulares cenſendi ſunt internarum Capitis partium morbi, quum innumeris obſervationibus conſtet, ſanguinis congeſtiones ad Caput, in mulieribus non bene menſtruatis, tam validas, tantoque cum impetu, fieri, ut per ipſam cutem periodice erumpat: narravit in Prælectionibus ſuis Præceptor VAN DOEVEREN, ſe noviſſe illuſtriſſimam Comitem uteri polypo, & nata inde irregulari menſtruatione laborantem, cui ſingulis menſibus ex ſummitate Capitis erumpere ſolebat ſanguis.

Ad noſtrum forum pertinere etiam videntur illæ Capitis affectiones doloroſæ, quæ a menſibus anomalice motis, ſive ut melius dicam, aliena peten-

h) *Obſ. Med. l.* 2. *obſ.* 58.

i) *Mediciniſche und Chirurgiſche Wahrnehmungen*, *p.* 437.

k) *Obſ. de morb. capit. paſſim.*

l) *Obſ. med. pract. de morb. anim. in* C. L. *v.* 11. *p.* 525.

m) Vid. *Comm. Lipſ. v.* 22. *p.* 219.

n) Vid. SCHURIGIUM *parthen. p.* 160.

o) Vid. ill. SAUVAGESII. *Noſolog. meth. p.* 49. & 51, *t.* 2.

petentibus loca, ortum ducunt: illuſtrat hanc ab ea cauſſa ortam cephalalgiam Sereniſſimæ Principis Naſſavicæ Hemicrania Menſtrua, quam in ſingulari tractatu deſcripſit celebris Auctor JOH. ANTONIDES V. D. LINDEN *o**): exſtat C. F. PAULLINI *p*) obſervatio; ubi mulieris menſtruum tempus præibant cephalalgia & levis vertigo, duas pone aures veſiculas producentes, quæ acre ſerum fundebant, & fluentibus menſtruis exſiccabantur, proxime ſequuturi fluxus rurſus prodromi: ſimile quid obſervavit Magnus, Magni BOERHAVII Commentator, SWIETENIUS *q*): pertinent huc illæ cephalalgiæ, quas BONETUS *r*) & STAHLIUS *s*) obſervarunt, ut & illæ, quæ a mortuo fœtu obſervatæ ſunt *t*): ſingularis intemperies uteri cephalalgiam producens, obſervata eſt a BARTHOLINO, quæ non, niſi graviditate, ſanabatur, puerperam rurſus invaſura.

Ad ſecundam harum affectionum claſſem pertinent eæ Capitis affectiones, quæ a ſyphilitico miasmate genitalia occupante per ſympathiam oriuntur; vel & quæ ab eodem ex genitalibus ad caput

*o**) Ed. Lugd. B. 1660.

p) Vid. T. BONETUM *polyalth. t.* 3. *p.* III. *l.* 5. *cap.* 14.

q) *Comm. t.* 3. *p.* 318.

r) *L. c. p.* 132.

s) In *Coll. diſſ. pract.* HALLERI *t.* 4. *p.* 540.

t) Vid. P. FORESTUM *obſ.* 78.

caput depoſito derivandæ ſunt. Hujus ſpeciei eſt illa cephalea, quæ ill. SAUVAGESIO *v*) *ſyphilitica*, celebri ASTRUCCIO *x*) *καρηβαρία venerea* audit. Hæc ratio, cur Magni Nominis Practicus F. HOFFMANNUS *y*) affirmaverit, nullam corporis partem adeo affici memorato miasmate, quam caput: hanc capitis ſympathiam adfectionem obſervarunt HEISTERUS *z*) & WEPFERUS *a*), ne alios memorem.

Vix tamen prætermittere licet obſervationem ſympathiam noſtram quam maxime illuſtrantem, doct. LANGHANS *b*), qua ulcera penis venerea in genitalibus medicamentis antiſyphiliticis profligata & ſanata, paullo poſt, absque ullo alio morboſæ adfectionis ſigno, in faucibus propullulaſſe vidit, ubi tunc remedia antivenerea applicita, ea ad genitalia repulerunt, unde per eadem remedia iterum applicata ad fauces remigrarunt; quod tamdiu iteratum, donec venerei miasmatis vis, ſufficienti Mercurii doſi, eſſet exſtincta.

Nimiam & nimis diu intermiſſam venerem Capitis

v) *Noſol. meth. v. 2. p.* 53.

x) *De morb. vener. t.* 1. *p.* 424.

y) *Oper. t.* 3. *p.* 414. §. 3.

z) *Obſ. chirurg. cit. p.* 704.

a) *Obſ. med. p.* 168. *obſ.* 59.

b) In diſſ. *de Conſenſ. partium C. H. Gotting.* 1749 *p.* 26. §. 37. exſtat etiam apud HALLERUM in *diſſ. pract. coll. t.* 6. *p.* 639.

pitis mala inferre, obſervationes GALENI *c*), HOFFMANNI *d*), SCHURJGII *e*), TISSOTI *f*), SAUVAGESII *g*), aliorumque, docent. Sexus amabilis a nimio coitu vix multum pati quibusdam videtur: ſed obſervationes, æque ac ratio ex analogia ſexus potioris aſſertum probarent, niſi conſtaret, adfectiones Capitis multo graviores, imo lethales a nimia venere in ſequiori ſexu ortas fuiſſe *h*), præterquam quod cephalalgia hyſterica ſæpiſſime a nimia venere ortum ducat *i*).

Quæ obſervationes ad noſtrum ſcopum ſufficiunt, quippe quæ Capitis adfectiones doloroſas ab anomalia functionis ſexualis in utroque ſexu per ſympathiam ſæpe oriri probant.

§. II.

Oculi Affectiones.

Proximum eſt, ut, quum de Capitis affectionibus

c) *L. c.* ubi exemplum exſtat cephalalgiæ ab intermiſſa nimis diu venere.
d) *De noxis ex nimia & intempeſt. venere Op. ſuppl.* 2. *p.* 492. & *ſeqq.*
e) *Spermatol. p.* 274.
f) *De Manuſtupr. p.* 188. & *ſeqq.*
g) In *Hiſt. an. med.* cl. LIEUTAUD *obſ.* 1508. *p.* 356.
h) Vid. SCHURIGIUS *l. c. p.* 272. LIEUTAUD *l. c. obſ.* 1499.
i) Vid. §. 8. ubi de hyſteria agimus.

nibus doloroſis egerimus; ad ſenſuum externorum vitia, ex fonte ſæpius memorato ortum ducentia, transeamus: harum ſenſuum externorum adfectionum agmen ducant illius organi vitia, per quod in ſano ſtatu, quæ extra nos poſita ſunt, ſenſorio noſtro imprimuntur & repræſentantur, ope viſionis.

Venerandus COUS hujus organi cum toto corpore ſympathiam, jam obſervavit & graphice expreſſit *k)*, *oculi* (ait) *prout validi fuerunt, ita etiam corpus:* mirum hinc non eſt, antiquitatem functionis animalis & ſexualis, *fraternitatem* (ut Hippocratico verbo utar) jam obſervaſſe; ſic GALENUS triſtem, caliginoſum oculorum habitum, in hyſteritide vidit *l)*: oculos in uteri exulceratione & cancro compati H. MERCURIALIS *m)*, dolores oculorum a menſibus ſuppreſſis ſæpius obſervari A. BOTTONUS *n)* docuit: non incelebris HIPPOCRATIS commentator M. C. RHEMUS a lochiorum retentione, cæcitatem plenariam ortam fuiſſe obſervavit *o)*: neque, ne Veteres ſolum memorare videar, deſunt recentiores, qui oculorum

k) *Epid. l. 6. ſ. 4. p. 809. vol. 1. ed. Lind.*
l) Vid. M. AKAKIA *de morb. mul. l.* 1. c. 13. in SPACHII *l. c. p.* 765.
m) Vid. SPACHII *Gynæc. p.* 280 & 294.
n) Vid. SPACHIUM *ibid. p.* 253.
o) Vid. SPACHIUM *l. c. p.* 629.

rum morbos ab hac cauſſa viderunt: ſic FREINDIUS *p)* a ſuppreſſis menſibus oculorum gravitatem, BOEHMERUS *q)* ophthalmiam, continuam PECHLINUS *r)*, periodicam PELARGUS *s)*; viſum duplicem WEPFERUS *t)*, cataractam & oculi inflammationem HEISTERUS *v)*, oculi procidentiam ampl. Obſervator TULPIUS *x)*, viſus debilitatem, ſtrabismum, amauroſin, ecchymoſin palpebrarum alii *y)* obſervarunt. Viſum microſcopicum oculi GODARTIO *z)* obſervatum, & amauroſin hyſterico-epilepticam ab alio *a)* notatam, huc referimus: graviditas, partus, puerperium oculos ſæpe ita afficit, ut plenaria inde ſequatur cæcitas *b)*. Mortuus in utero fœtus oculos gravidarum

p) *Emmenolog. p.* 87.
q) *Act. ph. med. v.* IX. *app. p.* 61.
r) *Obſ. ph. med. l.* 1. *p.* 853.
s) *Comm. Norimb. ann.* 1732. *p.* 334.
t) *Obſ. cit.* 41. *p.* 97.
v) *Obſ.* 227. *p.* 388. & *obſ.* 301. *p.* 496. *libri cit.*
x) *Obſ. med. l.* 1. *c.* 28. *p.* 61.
y) Vid. SCHURIGIUM *Parthen. p.* 182. *Comm. Lipſ. vol.* 16. *p.* 74. WOLFFIUM in *Act. ph. med. v.* 7. *p.* 475. HATTIE *Comm. Lipſ. vol.* 6. *p.* 95. HOFFMANNUM *op. t.* 3. *p.* 229.
z) *Recueil. period. t.* 13. *p.* 393. Cf. RAHN *p.* 28. *diſſ. cit.*
a) Vid. *Act. ph. med. t.* 1. *p.* 69.
b) Vid. RAHN *l. c.* BONETUM *Med. ſept. t.* 1. *p.* 245.

darum afficit ſæpe immaniter *c)*, & in hyſteria ſemper oculi compatiuntur, ita quidem ut lachrymis hunc morbum levatum fuiſſe legamus *d)*.

Sanguinem menſtruum ex errore loci oculum petiiſſe & per eum effluxiſſe narrat L. MERCATUS *e)*, & hanc obſervationem DODONÆUS confirmavit *f)*. Recentiores etiam hanc anomaliam obſervarunt, quæ obſervationes collectæ ſunt a SCHURIGIO *g)* & magno HALLERO *h)*, quod etiam anno præterito in Virgine hyſterica ſe obſervaſſe mecum communicavit celeb. Præceptor VAN DOEVEREN: hinc vix eſt ut plura hic exempla producamus.

Sed utrique ſexui frequens eſt ſyphilitica ophthalmia, ill. SAUVAGESIO *i)* in ſymptomaticam & metaſtaticam diviſa, quarum prior in idiopathicam & ſympathicam, ſtricte dictam, dividi meretur, quum conſtet, oculos affici, ſolis genitalibus ſyphilitide adfectis: ipſe obſervavi a virulenta gonorrhœa & teſtibus venereis oculorum inflammationem, increſcentem vel decre-

 ſcen-

c) Vid. HORSTII *obſ. med. p.* 2. *l.* 1. *p.* 69. Cf. VIDIUS *lib* XI. *de cur. membr. c.*32. *p.*729.
d) Vid. *Act. ph. med. t.* 1. *p* 449.
e) Vid. SPACHIUM *l. c. p.*819.
f) *Obſ. med. cap.* 15.
g) *Parthen. p.* 89.
h) *El. phyſ. t.* 7. *p.* 2. *p.* 157.
i) *Noſol. Meth. t.* 2. *p.* 64.

ſcentem pro vario morbi ſtadio, absque ulla ſuſpicione oculi miasmate ſyphilitico adfecti. Ophthalmiam a cauſa venerea quoque vidimus anno elapſo in Collegio practico caſuali VAN DOEVEREN: quam dein verbo adhuc memorabo obſervationem.

Poſterior ſpecies ophthalmiæ venereæ a BAGLIVIO, Z. LUSITANO, CAMERARIO, LUISINO, LOCHERO, S. YVESIO *k)*, BONETO *l)* obſervata eſt. Amauroſis venerea cl. SAUVAGESIO *m)*, chemoſis a repreſſa gonorrhœa expert. SCHMUCKERO *n)* & DAMENO *o)*, amauroſis a carie cranii per luem veneream orta BOTALLO *p)* deſcriptæ ſunt: qui plures oculorum morbos ab eadem cauſſa ortos legere deſiderat, adeat Z. LUSITANUM *q)*, inprimisque venereorum morborum Auctorem claſſicum celebrem ASTRUCIUM *r)*, ut & BALLONIUM *s)*. A Nimio veneris uſu oculorum

k) Citati ſunt hi Auctores apud SAUVAGES *l. c. t.* 2. *p.* 64.
l) *Polyalth t.* 1. *p.* 948. §. 84.
m) *L. c. vol.* 1. *p.* 588.
n) *Chirurg. Wahrnemung p.* 486. & *p.* 523.
o) In tractatu egregio *de tumoribus cyſticis* nuper edito *p.* 82.
p) Vid. LIEUTAUD *l. c. t.* 2. *obſ.* 27.
q) *Cent.* V. *obſ.* 49.
r) *De morb. vener. t.* 2. *p* 402 & 420.
s) *Oper. t.* 3. *p.* 416.

lorum morbos & ipſam amauroſin oriri poſſe inter alios GORTERUS *t)* annotavit.

Hinc in coitu oculos compati, ſuo tempore jam cecinit Poëta:

Crebra Venus nervos, animi vim, Lumina, Corpus,
Debilitat, mollit, ſurripit, orbat, edit.

CASP. AREJES debilitatem oculorum a coitu jam obſervavit *v)*: AËTIUS *x)*, BONACIOLUS *y)* oculos languere, antequam reliquum corpus a coitu langueat, annotarunt; caliginem oculorum ex nimia venere T. A GULDENKLEE *y*)* aliique *z)* obſervarunt: & in ſequiori ab eadem cauſſa hæc oculorum mala oriuntur *a)*. Sic & in utroque ſexu ab onania & tribadismo oculi maxime afficiuntur, ita ut ex nefandis hiſce vitiis viſus caligines, obſcuritates, ſuffuſiones, & ipſam amauroſin oriri poſſe ex variis Auctoribus doceat cl. TISSOTUS *b)*.

t) *De Perſpir. inſenſ. p.* 514, 515.
v) In *Camp. Eliſ. jucund. quæſt.* 46. *p.* 565.
x) Vid. TISSOTUM *de manuſt. p.* 185. *& ſeqq.*
y) *Enneade muliebr.* in SPACHII *l. c. p.* 114.
y)* Vid. HOFFMANNUM *de morb. a nimia venere &c. ſuppl. oper.* II. *p.* I. *p.* 494.
z) Vid. SCHURIGIUM *Gynæc. p.* 122. *ſpermatol. p.* 258. GORTERUM *in cap. de coitu l. c.*
a) Vid. HOFFMANNUM *ibid. p.* 498.
b) Vid. TISSOTUM *ibid. p.* 186. WESPREMI *obſ.*

Memorabili huic paragrapho finem imponamus obſervatione N. DU SAULSAY *c*), ubi juvenis ex nefandi criminis exercitio inſomnis, debilis, ex diſſoluta humorum craſi hæmorrhagia narium vix ſiſtenda & cæcitate laborabat; quæ, licet omnia morbi ſymptomata per aptam medendi methodum fuiſſent profligata, inſanabilis, miſeram ei produxit vitam.

§. III.

Narium Adfectiones.

Ex iisdem, unde Capitis & oculorum adfectiones ortum ducunt, fontibus, nares etiam poſſe affici, ratio ſuadet & confirmat experientia: adeo quidem, ut ab uteri vitiis topicis, menſtruationis anomalia, ſyphilitide, venerisque uſu nimio olfactus organon, æque ac viſus aliæque animalitatis functiones, perturbentur. Sic ab ovarii uterique morboſa degeneratione, catarrhum cum convulſionibus & hemicrania BAUHINUS *d*) obſervavit: imo a graviditate ſæpe ita mutantur

nervi

obſ. med. in HALLER. *diſſ. Pract. vol.* 6. *p.* 815. Conf. tractatus Anglicus, cui titulus ONANIA, *or the heinous ſin of pollution London* 1756. ubi paſſim mala ex nefando crimine enarrata exſtant.

c) Vid. *Comm. de Rebus in Med. &c. vol.* 18. *p.* 213.

d) Vid. LIEUTAUD *hiſt. an Med. p.* 536. *obſ.* 1507. *v.* I.

nervi olfactorii, ut a ſuaviſſimis incitati odoribus totum corpus in motus trahant convulſivos, cum e contrario vix a teterrimis afficiuntur *e*).

Anomalia menſtruorum præterea ad Caput congeſtiones faciens, nullibi frequentiorem ſanguinis efficit eruptionem, quam ad nares, adeo ut Natura in multis hac via utatur ad evacuandam abundantem ſanguinis copiam: ſingularem talem narium hæmorrhagiam obſervavit SCHENCKIUS *f*) in fœmina, cui ſuppreſſa erant menſtrua, eo effectu, ut, ſi ſiſteretur per applicitum digitum, ſanguis oculi canthum peteret & ex eo erumperet: ſalutarem eſſe hanc hæmorrhagiam HIPPOCRATES *g*) jam pronunciavit, & revera ſi ſiſtatur, graviora mala producit; præterquam enim quod in ipſis naribus polypos & ſarcomata producat, ſanguis extravaſatus & repreſſus; apoplexia, oculorum tumores, mania, delirium, phrenitis ex eodem fonte oriri poſſunt; obſervatio Ampl. TULPII *h*) hoc docet, ubi narium hæmorrhagia a ſuppreſſis menſibus orta cum ſiſtebatur, prolapſus oculi oriebatur *i*). Puellam ſingulis menſibus ex naribus menſtruantem

C 4 vidit

e) Vid. BONETUM *l. c. t.* 2. *p.* 366. §. 78 WHYTT *de morb. nerv. p.* 88.
f) *Obſ. med. rar. l.* 1. *obſ.* 1. *p.* 5.
g) *Sect.* 5. *aph.* 33.
h) Vid. *obſ. med. l. c.*
i) De his hæmorrhagiis conf. WHYTT *de morb. nerv. ed. Angl. p.* 179.

vidit cel. ZIMMERMANN, *l*) ut & cl. HALLERUS *l**), memoravitque Præceptor VAN DOEVEREN *m*), qualia plura exempla habet SCHURIGIUS *n*). Sternutationem etiam ex ſuppreſſis menſibus, vel periodo menſtrua, graviditate, appetitu venereo, & ipſo concubitu ortam fuiſſe probat præſt. RAHN *o*): ipſam coryzam ex ſuppreſſis menſtruis ortam obſervavit WEPFERUS *p*).

A miasmate ſyphilitico nares affici notiſſimum eſt, nam infectis genitalibus & proſerpente veneno, vix ulla pars tam cito afficitur, quam olfactus organon: imo a repreſſa per adſtringentia gonorrhœa nares ſæpe afficiuntur, & materies virulenta per metaſtaſin ad eas deponitur, ut localis earum affectio ſit, ſano reliquo corpore *q*). Hinc ulcera narium cacoëthea, ipſaque ozæna, naſci facile poteſt; ab hac cauſſa obſervatur aliquando anosmia, quæ ſyphilitica dicitur SAUVAGESIO; & BALLONIO *r*) etiam obſervata eſt.

Neque

l) *Von der Erfahrung t.* 2 *p.* 418.
*l**) *El. phyſ. l. c.*
m) In *præl de morb. Mul.*
n) *Parthenol. p.* 92 Cf. SWIETENIUM *t.* 4 *p.* 420 *&* *ſeqq.*
o) *Diſſ. cit. p.* 34.
p) *L. c. p.* 757 *obſ.* 156.
q) De his narium affectionibus conſuli meretur ASTRUC *de morb. ven. t.* 1 *p.* 401. 412 *&* 413.
r) Vid. *Noſ. meth. t.* 1 *p.* 750 *t.* 2 *p.* 644.

Neque dubitandum, quin a nimia venere & onania olfactus, ut omnia ſenſus organa, depravetur; languent enim his vitiis dediti, quumque cerebri ἐνεργεία labaſcit, vix poteſt, quin odoratus etiam vigor pereat: hinc in obſervatione doct. DU SAULSAY ante memorata ex onania hæmorrhagia narium enormis notata fuit, & a nimia venere catarrhi, & coryzæ obſervatæ ſunt a G. W. WEDELIO s): a tribadiſmo acutum naſi dolorem ortum ſcribit cel. ZIMMERMANN. t). Et hæc quoad narium adfectiones noſtrum ſcopum ferientia dicta ſunto.

§. IV.

Aurium Adfectiones.

Ab uteri organicis vitiis etiam organon auditus affici, jam ſuo tempore docuit HIPPOCRATES v), cum hyſteritidis ſigna graphice & nervoſe deſcripſit: neque ejus Commentator laudatus M. C. RHEMUS hoc ſymptoma in lochiorum ſuppreſſione non obſervavit x). Menſtruorum etiam ſuppreſſionem & anomaliam hoc ſymptoma producere, innumeræ docent obſervationes, ex quibus paucas ſolum adducam: ex-

G 5 ſtat

s) Vid. SCHURIGIUM *ſpermatol.* p. 280 SAUVAGES *l. c. t.* 2 *p.* 644.

t) *L. c. p.* 405.

v) *De morb. Mul. l.* 2 *c.* 50.

x) Vid. SPACHII *Gynæc. pag.* 629.

ſtat obſervatio apud ill. SWIETENIUM *y)*, qua ex ſuppreſſis menſibus cum immenſa ſymptomatum ſyndrome ſurditas cum tetano fuit obſervata. Aurium tinnitus cum hemicrania periodo menſtrua maxime infeſtans, WEPFERO *z)* obſervatus legitur.

Surditatem fœminam nullo alio, quam graviditatis tempore, invadentem deſcripſit J. LANZONUS *a)*. Menſtrua per aures erupiſſe varii Auctores obſervarunt, quos, quum HALLERUS *b)* & SCHURIGIUS *c)* collegerint, non opus eſt adducere.

Hanc menſtruorum per aures eruptionem cl. WHYTTIUS *d)* etiam obſervavit in fœmina, quæ paullo ante plus, quam quatuor ſanguinis libras per V. S. amiſerat.

Lochiorum fluxum per eandem viam contigiſſe, etiam obſervatum fuiſſe legimus *e)*. Nec rara eſt Cophoſis Syphilitica, deſcripta ab ill. SAUVAGESIO *f)*, & cel. ASTRUCIO *f*)* qui teſtatur in Syphiliticis aurium ſibilum, tinnitum,

y) *Comm. t.* 4 *p.* 418.
z) *Obſ. med. cit. obſ.* 55 *p.* 148.
a) *Act. ph. med. t.* 2 *p.* 179.
b) *El. phyſ. l. c.*
c) *Parthen. pag.* 90.
d) *De morb. nerv.* ed. belg.
e) *Act. phyſ. med. l. c. p.* 369.
f) *L. c. v.* 1 *p.* 761.
f)* *De morb. ven. t.* 1 *p.* 406.

tum, murmur, βαρυηκοΐαν, & ſurditatem frequentia eſſe ſymptomata *g)*: hinc & ab eodem celebri Noſologo δυσηκοΐα Syphilitica deſcribitur *h)*. Neque miratur quispiam, qui magnam, quæ inter genitalia & aurem intercedit, ſympathiam bene perſpexit: hujus ſympathiæ teſtimonia ſunt obſervationes a SCHENCKIO *i)* memoratæ, ubi ab inmiſſione fiſtulæ in urethram Viri iſchuria laborantis obtuſus aurium dolor oriebatur: imo a glandis necroſi ſurditas obſervata fuit. A pilo in aurem lapſo menſtrua ſuppreſſa ſunt, & convulſiones obortae *l)*. Neque inficias ibit a nimia venere hoc organon debilitari, anomaliam concipere, & perturbari, qui præſtantiſſimam HOFFMANNI diſſertationem de noxis ex nimia venere oriundis *l*)*, cum obſervationibus a SCHURIGIO *m)* collectis comparaverit.

§. V.

Faciei Adfectiones.

Quamvis neque vetuſtiorum Phyſiognomicorum, neque noſtro ævo tantopere celebrati LAVATE-

RI,

g) Vid. ASTRUC. *ibid. p.* 402.
h) *L. c. p.* 755. Conf. SWIETENIUS *comm. t.* 2 *p.* 168.
i) *Obſ. med. rar. p.* 508 *obſ.* 18.
l) Vid. HILDANUM *cent.* I. *obſ.* 4.
l)* Vid. *oper. ſuppl.* 2 *l. c.*
m) *Spermatol. p.* 258 *& ſeqq.*

RI, præceptis (dubiis admodum, an certis, non dijudico) imbutus ſit, Oedipum ſane non oportet adeſſe, qui ex bene valentis, pudibundæ licet, Virginis facie præſentes igniculi venerei effectus facile detegat, aut qui ex laſcivæ vultu eruat in illicitos & obſcœnos affectus proclivitatem. Quid ergo mirum, ſi etiam in morboſa valetudine ſympathiam genitalium organorum faciem ſexus ſequioris mirabiliter afficere ſtatuamus: minima enim œconomiæ corporis a ſano ſtatu deviatione mutari faciem, antiqua eſt obſervatio: hinc & ab anomalia functionis genitalis pati eandem, facile patere poteſt: uteri inflammatio faciei ruborem, oculorum ſcintillationem, fulgorem, prominentiam efficit: quum e contrario a ſcirrho, cancro aliisque uteri malis facies livida, fuſca, triſtes oculi & languentes conſpiciuntur. In diro hyſteritidis morbo ſpaſmum cynicum obſervari notiſſimum eſt *n)*: riſum ſardonicum in eodem morbo ſymptoma eſſe ſatis fidum, notat PEZOLD *o)*: a retentis & per anomaliam motis menſtruis vario etiam & haud intelligibili fere modo, facies afficitur; nunc pallet, nunc rubet, nunc puſtulæ oriuntur, ex quibus aliquando menſtruus erumpit ſanguis; talis eſt obſervatio cl. CASENAVE ex Diario cl. VAN DER MONDE, ubi per tubercula in facie menſtruabat mulier

n) Vid. QUARIN *de cur. morb. infl. cap.* 6.
o) *De prognoſi in febr. acut.*

lier quolibet menſe, poſt fuſum ſanguinem diſparentia *p)*: ex palpebris menſtruum ſanguinem erupiſſe STALPARTIUS VAN DER WIEL *q)*, ex genis BARTHOLINUS *r)*, ex omni faciei parte alii *s)* obſervarunt.

Barbam in mulieribus a ſuppreſſis menſibus oriri jam obſervavit HIPPOCRATES *t*). Singularem faciei adfectionem in gravida obſervavit Gallicus Auctor, non minus ſtili elegantia, quam obſervationum accurata depictione celebris A. C. LORRY *v*), qui in fœmina, ſeptimo graviditatis menſe, melancholiam obſervavit cum facie nigerrima, ſolis oculis & labiorum limbo intactis, quæ omnia, rite fluentibus puerperæ lochiis, evanuere. Tumorem gravidæ obortum in labiis, puerperæ lochiis diſparuiſſe notat SCHURIGIUS *x*). Dolorem faciei ex ſuppreſſione menſium in ſtatu effœto, qui ſubito invadebat, ſiniſtram faciei partem, intacta dextra, infeſtans, obſervavit WEPFERUS *y*), qui etiam in puella par-

tis

p) Vid. *Comm. Lipſ. v.* 9 *p.* 450.
q) Vid. *obſ. rar. cent.* 1 *obſ.* 19 *p.* 85 & SCHURIGII *parthen. p.* 90.
r) Vid. SCHURIGII *l. c. p.* 103.
s) *Act. phyſ. med. t.* 6 *p.* 112.
t) Vid. SCHURIGIUM *p.* 184 SCHENCKIUM *p.* 503 *lib. cit.*
v) In præſtantiſſ. libro *de Melanchol. & morbis Melanchol. t.* 1. *pag.* 230.
x) *Parthen. p.* 20.
y) *L. c. p.* 134 *obſ.* 50.

tis ſiniſtræ faciei ſpasmodicam affectionem ex retardatione menſium ortum ducentem annotavit *z*). Paralyſin faciei idem Auctor obſervavit in illa fœmina gravida, quæ a ſuppreſſis menſibus coryzam patiebatur *a*). Faciei ſpasmum in hyſtericis quaſi ridentibus multi Auctores obſervarunt: & in mulieribus nimio fluxu menſium laborantibus idem etiam obſervatus eſt *b*). Mulier gravida puſtula ad naſi radicem vexabatur, puerperio evaneſcente, ſequente vero graviditate ita increſcente, ut totius oculi cum tumore exſtirpationem pati fuerit coacta, quum tamen in gena tumor rediret *c*). In hyſtericis etiam, præter mox memoratum riſum, mira eſt faciei affectio: triſtitiæ ſigna cum riſu & cachinnis alternantia a menſibus ſuppreſſis in virgine hyſterica obſervavit STOCKIUS *d*), quæ fluentibus menſtruis integre fuit ſanata.

Neque impune patitur facies mala, quæ ex nimia venere in totum corpus redundant: docet hoc languidus, pallidus faciei color in iis, quæ lacebroſas libidinis ſcaturigines jugiter delibant; docet hoc vultus ſympathia cum generatione dicatis partibus vulgo nota, ita quidem, ut ex vul-

tu

z) L. *c. obſ.* 109 *p.* 482.
a) Vid. §. 3.
b) Vid. ETMULLERUM *t.* 4 *p.* 394 *obſ.* 286.
c) Vid. WEPFERUM *l. c. obſ.* 173 *p.* 827.
d) Vid. *Comm. Norimb. ann.* 1732 *p.* 173.

tu generationis negotium, virginitatem, valorem tentent prædicere nugatores & aniculæ *e*): quidquid ſit, magnam tamen eſſe inter Caput & genitalia ſympathiam etiam in potiori ſexu docet obſervatio viri, iſchuria laborantis ob carunculas in urethra, unde dolorem frontis habebat acutiſſimum, nec niſi urina profluente remittentem *f*). Sic & a venere mutatur facies; barbam a venere nimis diu intermiſſa in muliere, natam legimus *g*). Fœminarum tribadum vultum puſtulis & ulcusculis cacoëtheis obſeſſum vidit Cel. ZIMMERMANN *h*). A nimia venere obſervatur ſæpe ſpasmus, quem hippum vocant, eſtque inſtabilitas cutis ſub alterum vel utrumque oculum cum nictitatione, tremore, & motu tremulo genæ: hanc etiam ſpasmodicam faciei affectionem in onanizantibus haud infrequenter obſervari in Prælectionibus ſuis docuit celebris Præceptor HAHN. A labe Syphilitica faciem cito ſæpe infici, quotidiana docet experientia, ut de his diſſerere velle, & repetita toties repetere, foret ſupervacaneum: ſi quis exempla deſiderat, adeat inter plurimos cel. ASTRUCIUM, qui, quæ de hoc morbo colligenda, dijudicanda, docenda erant, accuratiſſime collegit & dijudicavit, in ſæpius

e) Conf. SCHURIGII *Gynæcol.* paſſim.
f) Vid. SCHENCKII *obſ. p.* 508 *obſ.* 18.
g) Vid. SPACHII *Gynæc. p.* 926.
h) *L. c. t.* 2 *p.* 405.

pius memorato opere *i*). Videtur autem jure quodam huc Triſmus ille, SAUVAGESIO Syphiliticus dictus *l*) reduci debere.

§. VI.

Linguæ & Oris Adfectiones.

Si ſiti & ardore ex uteri phlegmone afficiuntur lingua & os, ſi aphonia ipſa ex inflammatione hujus viſceris obſervata eſt *m*), partes has in aliis uteri malis non minus pati ratio doceret, niſi experientia ab ævo hæc jam a dubio vindicaverat. Fremitum dentium in uteri ſcirrho obſervavit jam HIPPOCRATES *n*), & in eodem morbo oris fœtorem & ipſa ulcera in illo cavo naſci notavit ROEDERER *o*). Aphoniam a menſibus ſuppreſſis ARETÆUS CAPPADOX *p*), WEPFERUS *q*), HOFFMANNUS *r*), SALMUTH *s*), WHYTT *t*) aliique

i) *De morbis venereis t.* 1 *p.* 400, *& ſeqq.*
l) *Noſol. meth. t.* 2 *p.* 644.
m) Vid. ARET CAPPAT *de morb. ac. t.* 2 *p.* 25 ed. PETITI.
n) *De Nat. Mul. S.* 2 §. 30. 31.
o) *De uteri ſcirrho*: in coll. Diſſ. pract. HALLERI *t.* 4 *p.* 662.
p) *L. c.*
q) *L. c. obſ.* 32 *p.* 61.
r) *Oper. t.* 4 *p.* 1 *S.* 1 *c.* 3 *obſ.* 4 *vol.* 3. *p.* 42.
s) *Obſ. med. ſect.* 3 *obſ.* 28 *p.* 124.
t) *De morb. nerv. p.* 157.

que *v*), annotarunt: ab eadem cauſſa miram linguæ convulſionem ortam memorat WEPFERUS *x*): nigram linguam a relictis poſt partum ſecundinis in utero notarunt alii *y*): & aphoniam hyſtericam inter multos alios ETTMULLERUS obſervaſſe legitur *z*). Sitis inexſtinguibilis a parce fluentibus lochiis obſervata eſt *a*). Narrat SCHENCKIUS *b*) obſervationem fœminæ, quæ a lochiorum vitio dimidiam linguæ partem nigram habeat.

Odontalgia a menſibus ſuppreſſis haud rara eſt; quæ & evulſis omnibus dentibus aliquando perdurat, quod WEPFERUS obſervavit *c*). Vagam fuiſſe aliquando talem odontalgiam legimus *d*). A ſuppreſſis lochiis odontalgiam oriri poſſe docet M. HOFFMANNUS *e*): gravidarum odontalgiam SAUVAGESIUS *f*) deſcripſit, eamque neque

v) SHURIGIUS *parth.* p. 163. *Act. Haffn.* v. I. *obſ.* 7. RUBEUS *in exerc. noct. pag.* 447. *exercit.* 40.
x) *Obſ.* 112. *p.* 495.
y) Vid BONETUM *an. pr. t.* I. *p.* 459 *obſ.* 20.
z) *Oper. t.* 4 *obſ.* 288.
a) Vid. LIEUTAUD *obſ.* 1508 *p.* 356.
b) *L. c. p.* 181. *obſ.* I.
c) *L. c. obſ.* 50. *p.* 134.
d) Ib. *obſ.* 49. *p.* 132.
e) In *Eph. N. C. l. c.* apud RAHN *diſſ. cit. p.* 56.
f) *L. c. v.* 2. *p.* 74.

neque V. S. nec laudano, nec topicis, cedere obſervavit *g*).

Oris ſiccitatem moleſtiſſimam in graviditate obſervavit SCHACHERUS *h*). Per os menſtrua erupiſſe non rarum eſt: rarior eſt fœminæ nunquam niſi per os menſtruantis obſervatio *i*). Salivationem in fœmina dolore uteri & fluore albo laborante vidit cl. WHYTT *l*), & eandem menſium prodromum fuiſſe *m*), vel & ſuppreſſorum ſymptoma *n*), alii obſervarunt. Per ſalivales ductus menſtrua erupiſſe GRUNDELIUS notavit *o*). Ex evulſi dentis alveolo erupiſſe menſtrua, & per gingivas excreta aliquando, obſervationes a SCHURIGIO compilatæ docent *p*). In gravidis ſatis frequentem ſalivationem vidit SAUVAGESIUS, ut inter ptyalismi ſpecies & hæc locum inveniat *q*).

In utroque ſexu a ſyphilitide os afficitur. Ne nunc faucium ardorem, ſiccitatem, ipſaque ulcera

g) Conf. BONETUS *med. ſept. t.* I. *p.* 329.
h) Vid. HALLERI *diſſ. pract. t.* 4. *p.* 555. Conf. *Eph. cit. ann.* 9, 10. *obſ.* 161. *p.* 354.
i) Vid. *Comm. Lipſ. v.* 8. *p.* 461.
l) *De morb. nerv. p.* 143.
m) SCHURIGII *Part. p.* 214.
n) *Vid. Act. phyſ. med. t.* 10. *p.* 98.
o) Vid. SCHURIGII *Parthen. p.* 102.
p) Vid. *Parthen. p.* 94, 95. Conf. HALLERI *El. ph. l. c.*
q) *L. c. p.* 381.

cera venerea, quæ adeſſe poſſunt, non niſi genitalibus infectis, & vel his vix laborantibus *r*), memoremus: aphonia ipſa a gonorrhœa ſuppreſſa legitur orta *s*), imo ptyalismus ſyphiliticus SAUVAGESIO *t*) fuit obſervatus, absque ut æger ullo unquam mercurio fuerit uſus. Gloſſitidem veneream, accedente ſimul oris & faucium phlogoſi, in ulcuſcula cacoëthea terminatam ipſe a ſuppreſſa gonorrhœa obſervavi, nullis omnino mercurialibus, niſi ipſiſſimo ſublimato corroſivo, cedentem. Veneris ſtipendia nimis ſedulo merentes ab his malis ſæpe afficiuntur: docet hoc BALLONII obſervatio viri, qui, præter alia mala, aphoniam inde contraxerat *v*): id confirmat BARTHOLINUS *x*), qui a nimia venere in neomarito præter delirium, agrypniam & moleſtiſſimam ſitim obſervavit; convulſiones linguæ Capitisque lethales ex venere nimis diu intermiſſa ortas fuiſſe notavit Z. LUSITANUS *y*).

§. VII.

Vertigo.

Peculiarem ſibi titulum vindicare videtur illud

 ſym-

r) Vid. LANGHANS *obſervationem l. c.*
s) Vid. BONETUM *Merc. Compit. p.* 19.
t) *V.* 2. *p.* 382.
v) *Oper. t.* 3. *p.* 2.
x) *Obſ. cent.* 6. *hiſt.* 94. *p.* 366.
y) Vid. SCHURIGII *Spermatol. p.* 276.

ſymptoma, quod multorum morborum comes, vel prodromus, a diverſiſſimis & oppoſitis invicem ſibi cauſſis naſcens, ſummam ſæpe Medici attentionem requirit, Vertigo ſcilicet, ſive illa actio depravata ſenſorii communis, & ſpeciatim imaginationis, qua ægro corpus ſuum circumagi, aut quædam ſupra Caput verti, cum tenebricoſo viſu & in lapſum propenſione videtur *z*).

Hæc affectio fœminis familiariſſima eſt ab hyſteria ſæpe ortum ducens, unde vertigo hyſterica SAUVAGESIO *a*) ſingularis eſt ſpecies.

Menſtrua ſuppreſſa & anomala frequentem hujus ſymptomatis cauſſam conſtituunt: hinc gravidis etiam familiaris eſt hæc affectio *b*). Mulierum vertigine a ſuppreſſis menſibus laborantium exempla vix opus eſt ut adducam, quum in obſervationibus enarratis, & ulterius enarrandis, hoc ſymptoma fere perpetuo ſe adjungat: exempla autem, ſi quis deſideret, adeat WEPPERUM *c*) & SCHURIGIUM *d*), ubi plurima collecta exſtant, quibus & a lochiis ſuppreſſis

z) Vid. egregii BALONII *oper. t.* 2. *pag.* 274.
a) *Noſ. meth. v.* 2. *p.* 173.
b) BONETUS in *Med. Sept. t.* 1. *p.* 245. SWIETENIUS *t.* 2. *p.* 326. *t.* 4. *p.* 416, 456.
c) *L. c.* paſſim.
d) *Parth. p.* 181. Conf. *Journal, de med. t.* 30. *p.* 440.

ſis hanc adfectionem haud infrequens oriri conſtare poteſt.

A miasmate venereo frequens adeo eſt, ut cl. SAUVAGESIO placuerit ſingularem etiam ſpeciem hanc proponere *e*): ipſe talem vertiginem in iis, qui gonorrhœa laborant, ſatis frequenter vidi.

Neque liber a vertigine manet uterque ſexus, ſi ſub veneris armis juſto frequentius deſudat, ut obſervationes probant *f*). Sed & ab intermiſſa venere eundem affectum oriri GALENUS *g*) notavit, & obſervationes ulterius confirmant *h*).

§. VIII.

Convulſiones.

Si convulſionum & ſpasmorum theoriam conſideremus, eorum locum inter Capitis affectiones fuiſſe ſtatutum ab optimis Auctoribus non mirabimur, quatenus nempe a ſenſorii communis functione perturbata ſunt derivanda mala: omnis enim ſenſus motusque integritas quum a nervis dependeat, facilis eſt concluſio, quod earumdem principii vitalis facultatum anomalia, cum ner-

 vei

e) *Noſ. meth. v.* 2. & *alibi.*

f) Vid. SCHURIGII *Spermatol. p.* 262 & 265: Cf. HOFFMANNUM in *M. R. S. t.* 3. *p.* 4. §. 10.

g) *De loc. aff. l.* 6. *c.* 5.

h) Conf. SCHURIGIUS *l. c. p.* 276.

vei ſpiritus ataxia ſemper & ubique conjuncta eſſe debeat.

Quum itaque nervorum ſana actio vix ac ne vix quidem absque fontis, unde proveniunt, integra actione conſiſtat, patere facile poteſt, jure merito harum affectionum ſedem non niſi in ſenſorio communi eſſe quærendam; & hæc ratio etiam eſt, cur hac §. eas, quatenus ex genitalium functione perturbata ſympathicæ naſcuntur, adeoque mei fori ſunt, delineare ex optimæ notæ Auctorum annalibus medicis conabor.

Hujus generis morborum agmen ducat, qui nemini nomine non notus, indole & eſſentia plurimos vel in Arte expertiſſimos fugit, Morbus Hyſtericus, a Veteribus & Neotericis ſedulo inquiſitus & naturali delineatus pigmento. Hyſteriam enim innuit HIPPOCRATES, cum de uteris adſcendentibus & deſcendentibus verba facit *i*): neque alium morbum Divi HIPPOCRATIS primus Commentator GALENUS *l*) videtur innuere, cum per arteriam, venam, ligamentum, vel nervum, uterum ſurſum trahi declarat: ſed & per uteri inflationem hyſteriam intellexiſſe HIPPOCRATEM, docet L. MERCATUS *m*), ubi de inflationis uteri

i) *T.* 2. *p.* 404. §. 81. *Ed. Lind.*
l) *Comm.* 3. *in lib. de Art. c.* 100.
m) *De morb. aff.* SPACHII *Gyn. p.* 944.

uteri diagnoſi agit: quæ morbo laborabant ὑϛε-ϱικὰὶ n), vel & ἀποπλίξειν τῆς μητϱὸς, dicebantur o). Strangulatus & Epilepſia uteri non raro vocabatur: vulvæ ſtrangulatus nomine ARETÆUS CAPPADOX p) noſtrum morbum inſigniebat. ABOTTONUS q), qui docte de Mulierum morbis diſſeruit, matricis præfocationem hyſteriam dixit, & morbum ab utero, ut omnes ejus anteſignani, derivavit. Quos ſequuti recentioris ævi Auctores hyſteriæ ſedem in utero ſtabilierunt.

Verum poſtea, quum omnes affectiones ſpasmodicas ab hoc viſcere derivarent, nec abſimiles in Virorum corporibus obſervarentur, factum eſt, ut magni nominis Viri, farraginem harum adfectionum ab utero deducere nequeuntes, omnes eas a ſenſibilitate nimia repetierint, & hyſteriam Fœminarum omnino ſimilem nervoſæ Virorum hypochondriæ declararint, vel & a quacunque omnino parte derivarint. HIGHMORUS nempe morbi fontem ſedemque in pulmonibus quæſivit, C. PISO in capite; WILLISIUS, licet uterum in cauſſa eſſe quandoque conceſſerit, ſedem morbi longe ſæpius in Capite eſſe quærendam declaravit: eaque ſen-

D 4 tentia

n) Vide HIPPOCRAT. *ſect.* 5. *aph.* 35.
o) Vid. GALENUM *de aff. intern. l.* 6. *c.* 6.
p) *De morb. acut. cap.* II. *p. m.* 24.
q) Vid. SPACHII *Gynæc. p.* 368.

tentia eo magis invaluit, quo certius, SYDENHAMUM *r*) in ataxia ſpirituum morbi cauſſam poſuiſſe, conſtat: unde hæc opinio a præſtantiſſimis in Arte Viris, tanti anteſignani lubenter ſequacibus, ut BOERHAVIO, SWIETENIO, WHYTTIO, TISSOTO, FLEMMINGIO adoptata fuit, cum eo tamen discrimine, ut hypochondriaca viſcera, ventriculum v. g. cauſſam morbi conſtituere multi voluerint, ita ut his viſceribus depravatis, & anomalia functionis laborantibus, nervorum ataxia oriretur.

Quæ ſi ita ſe haberent, noſtri fori non eſſent hi morbi couvulſivo-hyſterici, ſed a ventriculo, vel Capite, vel alia parte derivandi: tamen, licet Virorum illorum ſententiam, quod piaculum foret, evertere, vel de ejus fide quidquam detrahere nolim, annotatum velim ſequentia: quod ſcilicet

1. Ataxiam illam ſpirituum ſæpe ab utero derivandam eſſe patet, quum vix ea ante pubertatis tempus obſervetur, maxime cum menſtrua retardata, ſuppreſſa, vel et nimia ſunt.

2. Videtur ſæpe illa eſſe derivanda a materie ſeminali in fœminis corrupta, acri & forte deficiente: probare videntur hanc opinionem

r) In *diſſ. epiſtol. oper. p. m.* 486.

nem illæ obſervationes, quibus paſſione hyſterica defunctarum fœminarum uterus & ovaria fuerunt ſeminali materie turgida, quales mox memorabo: robur addunt illa obſervata, quibus patet, morbum coitu, vel & alia genitalium irritatione, fuiſſe ſanatum *s*), maxime quum conſtet, ſoluto paroxysmo hyſterico humorem album ex genitalibus effluere *t*).

3. Neque ſymptomata propoſitæ ſententiæ contrariantur: licet enim a ventriculo ſæpe incipiat dolor, & inde oriatur anxietas, ſpasmodica ejus conſtrictio, globi ſenſus &c. conſtat tamen ſimul, has partes ab utero poſſe affici, & quum in paſſione hyſterica non ſolum uteri dolor topicus adſit, ſed & functio ejus anomala, rationem vix video, cur cauſſam hujus morbi non in utero ponerem: licet itaque adjungere, non adeo a via aberraſſe DEMOCRITUM, neque in morbi cauſſa adeo hallucinatum fuiſſe, (quod tamen magno SYDENHAMO *v*) videtur) cum *Uterum ſexcentarum ærumnarum innumerarumque calamitatum Auctorem eſſe* dixit.

s) Vid. TISSOT *de l'Onanisme* & SCHURIGII *Spermatologia* paſſim.

t) Vid. HOFFMANNUM *Op. t.* 3. *p.* 53. §. 12. & cel. ASTRUC. *t.* 4. *p.* 65. & 80.

v) *L. c.*

4. Quum itaque hæc vera ſint, non contrariatur noſtræ opinioni morbus idem in Viris obſervatus: veneranda antiquitas hanc difficultatem jam ſolvit, quum eos Affectus ſpasmodicos, qui a ſemine oriuntur, utrique ſexui eſſe proprios GALENUS *x*) jam obſervavit: confirmavit idem modo laudatus BOTTONUS *y*), & omni dubio majus fecit in Medicina præſtantiſſimus ZIMMERMANN *z*), qui hypochondriæ nervoſæ virilis cauſſam venerem vel nimiam, vel nimis diu intermiſſam, vel & onaniam ſæpe conſtituere obſervationibus probavit *a*).

5. Accedit, quod ſæpe adeo luculenta in utero cauſſa ſit obſervabilis, ut duos parietes una fidelia dealbans Medicus, ſi morbi cauſſam bene perſpexerit, ipſam una cum morbo tollat. Obſervationes hic, ut aſſertio probaretur, tum ex Veteribus, tum ex Recentioribus, afferre moleſtum non eſſet, unicam vero, quam ipſe inſtitui, huic ſcopo ſufficere crediderim.

„Fœmina 25 annorum calidi & plethorici temperamenti, conſtitutione corporis ſenſi-

x) L. *antea citato.*
y) L. *c.*
z) L. *c. p.* 392 & 408 *t.* 2.
a) Vid. HOFFMANNUM in *oper. t.* 3. *obſ.* 2, 3. *p.* 59.

ſenſiliſſima gaudens, vix niſi infantum ſolitos morbos perpeſſa, gravida brevi poſt nuptias facta, ſaniſſima, lapſu in ſiniſtrum hypochondrium topicum contraxerat dolorem, qui neglectus & rigida (quam toto graviditatis tempore ſatis adſtrictam gerebat) thorace non multum correctus, partu augebatur non admodum facili, & extractione placentæ ſatis violenta: mortuus autem erat infans & ſigna in Capite vis ei illatæ monſtrabat. Lochia ſatis bene fuerunt evacuata: ſed, menſe poſt puerperium elapſo, dolore ſenſim ſenſimque aucto, hyſteria corripitur, quæ accedentibus animi pathematibus exacerbata fuit. Medicum conſuluit, qui lenioribus antiſpasmodicis & antihyſtericis ſymptomata quidem minuit, absque tamen ut malum curaverit. Hinc impatiens animique pathematibus indulgens ægra, Pharmacopœum, agyrtarum more, vel ſi mavis, empiricorum, jactantem, ſe malum paucis diebus prorſus ſanaturum, conſuluit, qui calidiſſimis antihyſtericis, V. S., magnaque remediorum farragine malum adgrediens, effecit, ut quotidie in pejus rueret, & vix per diem a paroxysmo libera mulier, dolore acutiori & melancholia vexata admodum fuerit. Caſu quodam in auxilium vocor: procatharticas cauſſas animo volvens, & corporis conſtitutionem

con-

conſiderans, cauſſam morbi a lapſu in graviditate, thorace rigida, & violenta placentæ extractione repetens, probabili conjectura in utero mali ſedem hærere ſuſpicabar, & congeſtiones humorum ad uteri partem irritatam, vel quocunque modo læſam, morbi cauſſam proximam conſtituere debere mecum animo conſtituebam: eo quidem magis, quum obſervatio ſymptomatum morbi hanc meam opinionem confirmarent; menſtruorum enim copia nunc minor, nunc major, ardor, pulſatio, dolor ad uterum & circumjacentes partes, vel extra paroxysmum obſervabilia, hanc ad uterum congeſtionem non parum illuſtrabant. Hinc V. S. parva revulſoria in brachio facta, nitrum cum caphura, diætam eupeptam, euchymam, & animi moderamen ei commendavi, quibus uſa morbi levamen non parvum inde retuliſſe mihi viſa eſt. Nauſeoſi autem remedii ſaporem reſpuens ægra, ab hoc remedio deſtitit: &, quum ex juvantibus morbi cauſſa proxima exclareſceret, ad congeſtiones temperandas, ad dolorem plus minus intermittentem tollendum vel palliandum, corticem Peruvianum cum parca doſi camphoræ præſcripſi, quod remedium ſæpius de die caperet; diætam eupeptam euchymam, aquas ſpadanas, animi tandem & corporis quietum moderamen

com-

commendavi, & ut res eo cederet melius, ipſi loco dolenti admoveri curavi emplaſtrum roborans, tonicum: ſperatos ediderunt hæc remedia effectus, omnia ſymptomata minuebantur, menſtrua redeuntia juſta copia, absque ullo hyſteriæ ſymptomate, ſpem curationis ſummam dabant, inprimis, quum doler omnis evanuiſſet. Vixit per tres menſes ſaniſſima, donec lautiorem diætam ambiens morbi præſagia aliquomodo ſenſerit, quæ tamen dein juſto regimine profligata evanuerunt, ita ut ſecunda vice gravida, ad hunc usque diem maxime fruatur ſanitate: patet itaque, hic adfuiſſe vitium uteri topicum, ortum a vi ei illata, quod cum tolleretur, morbus, qui inde tulerat principium, etiam fuit profligatus ".

6. Neque noſtræ ſententiæ roboris quid demunt, quibus in hyſtericarum cadaveribus nullum malum in utero inventum eſt, obſervationes *b*): congeſtiones enim ad uterum, viſceris illius ſpasmi, convulſiones, ſeminis abundantia, ſtagnatio, ſubtilis acritas, forſan & defectus in cauſſa eſſe poſſunt, quominus in cadavere nulla uteri labes conſpiciatur.

7. Nec BONETI *c*) obſervationes, quibus ſerum

b) BONETUS *Anat, pract, t, 3. p, 52,*
c) Vid, *ibid. l, c,*

ſerum in occipite nervorum principia immergens inveniebatur in hyſtericarum cadaveribus, opinioni fidem detrahit: præterquam enim quod non conſtet, talem cauſſam poſſe hyſteriam producere, conſenſus uteri cum occipite & depoſitiones metaſtaticæ a parte patiente in conſentientem, hujus phænomeni explicationem non difficilem faciunt. Hinc & facile ſolvi poſſunt illæ objectiones, quas ex obſervationibus cadaverum hyſtericarum petunt, ubi labes non in utero, ſed in alia parte obſervata eſt: vix enim determinandum, num labes illa morbi cauſſa ſit an effectus.

8. Aſſertionem ulterius probat functionis genitalis perpetua in hyſtericis anomalia. Vix enim exſtare crediderim hyſtericam, quin appetitu venereo nimio, anomalo, vel & ejusdem veneris averſatione laboret; requiri itaque tantum videtur uteri diatheſis ſpasmodica, quæ ſi a levi cauſſa in actum diducitur, facile noſtrum morbum producit. Hinc explicamus, cur oſſificatio & induratio uteri hyſteriam curaverit aliquando, ea quippe ratione, qua ſenſilitatem nimiam abſtulerunt hi morbi frigidi *d*): maxime autem tali modo ſanatur, quum ex modo

d) Vid. LIEUTAUD *l. c. p.* 321. *obſ.* 1370.

do dicta cauſſa oriri videatur, hyſteria libidinoſa SAUVAGESII *e*).

9. Colophonem his adjiciant illæ obſervationes, quibus uterus adfectus totum corpus in conſenſum traxit, ſicque ἀταξία ſpirituum ab utero orta eſt manifeſtiſſirne. Multæ tales apud BONETUM exſtant obſervationes *f*) e quibus hanc aſſertionem clariſſime veram eſſe patet. Ab atreſia oſtii uterini ſuppreſſa menſtrua & hyſteria orta leguntur *g*): a retento ſemine hyſteriam ortam & mortem, in cadavere vaſa ſeminalia ſemine turgentia obſervavit idem Auctor *h*): ab eadem cauſſa hyſteria mortuam & teſtes gypſea materie plenas memoravit *i*). Neque BONETUS ſolus, ſed & RIOLANUS, BAUHINUS, VESALIUS, DIEMERBROEKIUS, HEURNIUS, RIVERIUS, BARBETTE, tales obſervationes in ſcriptis ſuis notarunt *l*). Suppreſſa in ipſa periodo menſtrua hyſteriam lethalemque maniam intu-

e) *Noſol. meth. t.* 2. *p.* 588.
f) *Anat. pr. t.* 3. *p.* 48 *& ſeqq.*
g) *L. c. obſ.* 2.
h) *L. c. obſ.* 4. *p.* 49.
i) *Ibid. l. c.* §. 2.
l) Vid. *ibid. p.* 49, 50. Conf. LIEUTAUD *l. c. p.* 349. *obſ.* 1480. *& ſeqq. vol.* I.

intulerunt *m*). Ab uteri vitio organico, per animi pathemata inducto, obſervata eſt hyſteria *n*): imo lethalis hyſteria ab ovarii vitio orta legitur *o*). Neque ex menſtruorum ſola, ſed & lochii fluxus anomalia, hyſtericæ convulſiones oriuntur *p*): imo ab ipſo ſyphilitico miasmate hyſteria legitur fuiſſe orta *q*). Hyſtericam mulierem ex nimio appetitu veneris delirantem graviditate ſanatam vidit SCHENCKIUS *r*): a veneris abſtinentia nimia ortum vidimus noſtrum morbum *s*): ſed & ab ipſa venere hyſterica paſſio aliquando orta legitur *t*).

Neque hyſteriam ſolam, ſed & Herculeum morbum, ex genitalis functionis perturbatione & anomalia oriri, jam obſervavit CÆLIUS AURELIANUS *u*), experientia ſua probavit celeb. Practicus F. HOFFMANNUS, qui epilepſi-

m) Vid. *Comm. de reb. &c. v.* 11. *p.* 525.
n) Vid. *Comm. cit. v.* 17. *p.* 57.
o) Vid. SCHENCKII *obſ. med. rar. p.* 536.
p) Vid. WEPFERUM in *obſ.* 135. *l. c.* Conf. *Comm. Lipſ. v.* 16. *p.* 69.
q) Vid. *Act. ph. med. t.* 5. *p.* 236.
r) *Obſ. med. rar. p.* 537. *obſ.* 2.
s) Vid. *pag. præced.*
t) Vid. ZIMMERMANN. *l. c. p.* 398. Cf. HOFFMANNUM *op. t.* 3. *p.* 50. *& ſeqq.*
u) *Morb. chron. l.* 1. *c.* 4.

lepſiam menſtrua periodo redeuntem coitu ſanatam vidit *v*). Sæpe talis epilepſia a menſtruis ſuppreſſis orta iisdem fluentibus ſanatur *x*): moſcho ſanatam talem epilepſiam memorat HEINMANNUS *y*): ſed aliquando, licet a ſuppreſſis oriatur menſtruis, iisdem fluentibus morbus non evaneſcit, quod LOCHERUS obſervavit *z*): ratio in eo videtur, quod habituales tum ſpasmi fiant, diu durante morbo, & diatheſi ſpasmodica in corpore fixam ſedem acquirente. Ex ipſa graviditate motus epilepticos oriri obſervarunt multi *a*), FERNELIUS v.g., JACCHINUS, JACOTIUS, LEONUS *b*), aliique *c*) idem notarunt, unde etiam SAUVAGESIUS gravidarum epilepſiam pro ſingulari ſpecie habet *d*). Inor-

v) *Oper. t.* 3. *ſ.* 1. *c.* 1. §. 16 *&* 19. *& obſ.* 5. *p.* 18. *obſ.* 9. *p.* 20. *t.* 4. *p.* 64.
x) *Journ. de med. t.* 30. *p.* 440.
y) *In Adverſ. Med. pract. Berolin* 1778. idiomate Germ. editis.
z) *In obſerv. pract. circa Luem Vener. &c. p.* 54.
a) Conf. SPACHII *Gynæc. p.* 903 -- 907. & *Act. Berol. dec.* 3. *v.* 1. *p.* 51 -- 59.
b) Vid. citatos hos Auctores apud SCHENCKIUM *l. c. p.* 105. & Conf. *ibid. p.* 120.
c) Vid. SCHURIGIUM in *Syllepſiolog.* doct. HOVIUM in præſtantiſſ. diſſ. *de Epilepſia*, ubi exemplum fœminæ legitur, quæ gravida ſemper erat epileptica, & SUE *tr. ſur les accouchem. t.* 2. *p.* 441.
d) *L. c. t.* 1. *p.* 556. Cf. *eph. Germ. dec.* II. *ann.* X. *p.* 161.

Inordinatus fluxus menſtruus epilepſiam etiam producere ETTMULLERUS *e*) aliique *f*) recte docuerunt; & ab ipſo partu difficili BALLONIUS *g*), SAUVAGESIUS *h*), vel & a lochiis ETTMULLERUS *i*) & HOVIUS *l*) hanc convulſionis ſpeciem ortam memorant.

Potior ſexus a ſemine epilepſiam contrahere etiam videtur *m*), & ab onania hunc morbum ſatis frequenter naſci, SAUVAGESIUS *n*) & TISSOTUS *o*) jure ſtatuerunt. Sed ut Venus nimia *p*), ſic & diuturna veneris abſtinentia, noſtrum morbum producere probatur ſæpius memorata ZACUTI LUSITANI obſervatione, qua viri mors ab epilepſia, ex nimis diu intermiſſa venere orta, obſervata legitur. A vaſis ſpermaticis ſemine infarctis epilepſiam oriri poſſe docet SCHENKIUS *q*): qui & epilepſiæ ſpeciem aphrodiſiaſticam deſcribit, qua Viri in paroxysmo ad venerem ſtimulantur, & vivida eorum

e) *Oper. t.* 3. *p.* 303. 304. Cf. *Miſc. N. cur. Dec.* 3. *Ann.* 1. *obſ.* 72.
f) *Comm. Nor. p.* 373 *anni* 1722.
g) *Oper. t.* 2 *p.* 121.
h) L. c. p. 570 Cf. *Comm. Lipſ. ſuppl. dec.* 2 *p.* 201.
i) *Tom.* 3. *p.* 570.
l) *Diſſ. cit. p.* 19.
m) Vid. BONETUM *t.* 1. *An pract. obſ.* 44. *p.* 290.
n) *L. c. v.* 1. *p.* 556.
o) *De l'Onaniſme.*
p) Vid. SCHURIGII *Spermat. p.* 265.
q) *Obſ. med. rar. obſ.* 12, 13. *p.* 104.

rum imaginatio formoſam mulierem ante oculos ſiſtit, & cum ea rem ſibi habere videantur, donec per motus epilepticos excretum ſemen ſinem paroxysmo imponat *q**). „Aphrodiſiaſticam hanc epilepſiæ ſpeciem ſe obſervaſſe mecum communicavit expert. ARDESCH, in milite juveni, qui ad adſpectum fœminæ in animi deliquium & convulſiones incidebat, quum prius titillationem tentiginemque ſentiret non ingratam, cum ſatyriaſi conjunctam: venere dein uſus ſanatus eſt. "

Sed ut in potiori ſexu a nimio ſemine & diutius juſto ſtagnante Viri celebres *r*) epilepſiam obſervarunt, ſic & ab eadem cauſſa in ſequiori hunc morbum oriri probavit cel. ZIMMERMANN. *s*). Sed, quod magis eſt, in ipſo coïtu epilepſiam ortam fuiſſe memoratum eſt *t*): ligatura etiam vaſorum ſpermaticorum in caſtratione, noſtrum morbum *v*), vel & cynicum ſpaſmum, produxiſſe legitur *x*). Miasma

 ſyphi-

*q**) *Obſ.* 5. *p.* 97.

r) HALLERUS *El. phyſ. t.* 7. *p.* 547. FORESTUS *l.* 20. *obſ.* 115.

s) L. c.

t) Vid. SCHURIGIUM *Spermat. p.* 121. Doct. HOVII *laud. diſſ. p.* 13.

v) Vid. J. C. H. THEDEN *Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundartzneykunſt. &c.*

x) Vid. HALLERUS *t.* 7. *p.* 439. *El. phyſ.*

ſyphiliticum ipſam produxiſſe epilepſiam jam annotavit BONETUS *y)*, & obſervationibus confirmavit M. LOCHERUS *y*)*; & MORGAGNUS *z)* epilepſia ſyphilitica laborantem fœminam mercurialibus in lethalem ſoporem dilapſam vidit. Neque epilepſiam ſolam ab hiſce cauſſis in genitalibus organis ſuam ſedem habentibus, ſed & alius generis convulſiones inde oriri, obſervationes docent. Tetanum a menſtruatione ſuppreſſa exortum ex Diario Anglico adnotavit ill. BOERHAVII Commentator SWIETENIUS *a)*: venereum tetanum RIVERIUS *b)*, hyſtericum SAUVAGESIUS obſervavit *c)*: opiſthotonon in gravida SCHENCKIUS *d)*, catalepſin a ſyphilitica cauſſa SAUVAGESIUS *d*)* a menſtruatione ſuppreſſa PEFFAULT & MICHEL *e)*, ut & WEPFERUS *e*)*, adnotarunt *f)*.

„Placu-

y) *T.* I. *obſ.* 3, *p.* 292.
y)* *Tr. cit. p.* 41.
z) *Sepulchr. lib.* 4. *obſ.* 50.
a) *Comm. t.* 4. *p.* 418.
b) Vid. SAUVAGES, *t.* I. *p.* 544.
c) Vid. *ibid. p.* 545.
d) *L. c. p.* 120. *obſ.* 3.
d)* *L. c. t.* I. *p.* 805.
e) Recueil *periodique tom.* 5. *p.* 43. Conf. RAHN *diſſ cit. p.* 68.
e)* *L. c. obſ.* 121. *p.* 558 & 127. *p.* 581.
f) Conf. SCHURIGII *Parthen p.* 163. *Spermatolog. p.* 264.

„Placuit nuper celeberrimo Præceptori G. VAN DOEVEREN mihi occaſionem ſuppeditare adeundi & videndi Puellam ægrotantem 13 annorum, quæ jam per quinque menſes laborabat vera Catalepſi ſæpe totius corporis, ſæpe partium ſingularium, quam in paroxysmis, quotidie quavis fere hora redeuntibus, nocte plerumque minus frequentibus, comitantur omne genus morborum ſpasmodicorum & convulſivorum, uti tetanus univerſalis vel particularis, opiſthotonos, emproſthotonos, pleuroſthotonos, chorea S. Viti, trismus, ſtridor & plura alia mirabiliſſima corporis, nec non Mentis, phænomena: quæ inter in quovis fere inſultu cataleptico adeſt quoque mirabilis illa linguæ volubilitas & motitatio, quam ante paucos annos in Collegio caſuali etiam exhibuit Puella, cujus hiſtoriam & ſanationem deſcripſit doct. Medicus Amſtelodamenſis T. A. LAMBERGEN in Diſſ. Inaugurali *f**), quæque, quod hac occaſione notare liceat, hactenus adulta ſaniſſima vivit. Diligentiſſima inquiſitione pertinacis iſtius mali primariæ cauſæ hactenus detegi potuit nulla, niſi manifeſta plethora pubertatis, cujus effecta ſe quovis trihebdomadali aut menſtruo ſpatio manifeſte commonſtrant, nec parum ad augendos paroxysmos & multiplicanda ſymptomata facere ſolent.“

 Meren-

*f**) *Puellæ Catalepticæ hiſtoriam & ſanationem, nec non de Catalepſi nonnulla exhibente, ann. 1776. L. B. edita pag. 9.*

Merentur hic apponi obſervationes Catalepſeos rariores ex anomalia menſtrua ortæ, vel ſaltem menſtrua periodo exacerbatæ, quas inſtituit & mecum pro more humaniſſime communicavit, expert. ARDESCH, Noſocomii militum Helvetorum hoc tempore Leidæ ſtationem habentium Primarius Chirurgus, quum mox propoſitam celeberrimi PRÆCEPTORIS obſervationem haud parum illuſtrare videantur.

„Prima eſt nobiliſſimæ Virginis ſenſiliſſimæ, temperamenti ſanguinei, a prima juventute convulſionibus laborantis, quæ ſenſim ſenſimque ita increſcebant, ut Catalepſeos cum aliis etiam convulſionum ſpeciebus complicatæ paroxysmo frequenter, & maxime evacuationis menſtruæ tempore, vexaretur: neque a diris hiſce ſpasmodicis adfectionibus liberaretur, niſi ſanguis per pulmones vel ſponte, vel arrificialiter per V. S. (quæ in hoc caſu, quod mirum videtur, hæmoptyſin accelerabant) evacuabatur: menſtrua vix per naturales vias, niſi rariſſime, & tunc quidem admodum parca quantitate, evacuabantur, quum etiam ſimul, evacuatione menſtrua per has vias præſente, Catalepſeos ſymptomata minus vehementia obſervarentur. Quum 24 annum ageret hæc virgo, morbusque deſcripto modo pergeret, neque ullis remediis decreſceret, conſultus expertiſſ. ARDESCH, cum doct. nobiliſſimæ hujus virginis Medico, decrevit, ut

V. S. (utpote quæ cauſſam morbi non tollebat, ſenſilitatemque augebat) omiſſa, opio, cortice Peruviano & floribus Zinci, ſenſilitatem nimiam tollere, motus Naturæ abnormes in periodicos, ſimul cum fluxu menſtruo, reſtituere conarentur; quæ magna quantitate & diu præſcripta remedia, interpoſitis, ſi ſymptomata urgerent, veſicatoriis & clyſmatibus, effecerunt, ut menſtrua parca copia per naturales vias primum evacuarentur, & catalepſeos ſymptomata non niſi tertio ante, & poſt eruptionem menſtruorum die obſervarentur: quæ dein ſenſim ſenſimque, reſtituto in integrum fluxu menſtruo evanuerunt, ita ut nunc jam per 3 annos ſaniſſima vixerit fœmina. — „Vix certo affirmare videtur expert. ARDESCH, num a menſtruorum anomalia catalepſis, num a catalepſi anomalia menſtrua nata fuerit. Mihi videtur omnino utrumque locum habuiſſe, quum motus periodici menſtrui, & pubertatis plethora convulſiones auxerit, ſpaſmique in corpore præſentes menſtruorum fluxus juſtam copiam retinuerint, & ad alias corporis partes deduxerint. Sufficiant hæcce, quum expert. Auctor hanc catalepſin miris omnino & incredibilibus ſtipatam ſymptomatibus, ulteriori eruditorum examini ipſe ſubmittere decreverit. “

„Altera catalepſeos ſimplicis obſervatio inſtituta ab eodem Viro, eſt fœminæ, quæ ex ſuppreſſis per animi pathemata menſtruis hunc mor-

bum contraxerat, quem cortice Peruviano & aurantiorum, aqua ſelterana cum lacte, admodum cicuravit, adeo ut paroxysmi multo minus vehementes ſint. Mirandum autem in hac obſervatione, quod noſtram ſimul materiem valde illuſtrat, animi pathemata paroxysmum nunquam accelerare, vel ejus cauſſam conſtituere, niſi menſtruorum ſupprimendo evacuationem."

„Opiſthotonon, quæ per 10. annos ad minimum, quarto vel quinto ante eruptionem menſtruam die invadebat, & atonia, languore & leipothymia quaſi terminabatur, in affini ſibi matrona, idem obſervavit; eamque diuturno Vitrioli Martis, Aloës Hepaticæ & Spiritu ſulphuris per campanam, pilularum forma inter ſe mixtorum uſu ſanavit: ita quidem ut prophylaxeos ſcopo his remediis adhucdum uſa per ſeptem annos ſaniſſima vixerit."

Et hæc de conſenſualibus convulſionibus, quoad noſtrum ſcopum, dicta ſunto.

§. IX.

Affectus Soporoſi.

Horum morborum principem Apoplexiam, dirum morbi genus, etiam a menſibus ſuppreſſis ortum ducere poſſe, obſervatio docet SCHURIGII *f*), qui & obſervationem ejusdem morbi ab

f) *Parthen* p. 172. Cf. *Eph. Germ. dec.* 2. *ann.* 2. p. 387.

ab anomalia lochiorum orti, aliunde deſumptam, enarrat *g)*. Neque ex hyſterici morbi protheiformium ſymptomatum numero hanc ſoporoſam affectionem exſulare, SYDENHAMUS annotavit; & L. RIVERIUS *h)* talem ſoporoſam affectionem opio curavit, ut & TISSOTUS *i)*. Sympathicas eſſe has apoplexias, anatomia pathologica comprobavit *l)*. Carum hyſtericum SAUVAGESIUS *m)* deſcripſit: & in gravidis hoſce affectus jam obſervavit Artis noſtræ inſtaurator HIPPOCRATES *n)*, & ulterius deſcripſit SCHENCKIUS *o)*, eosque a ſuppreſſis lochiis non raro oriri annotavit FORESTUS *p)*.

Ex nimia venere etiam oritur, apoplexia: ſolus jam ſæpe citatus SCHURIGIUS *q)* ſat magnum ſtrenuorum ſub veneris caſtris militantium apoplectice mortuorum habet catalogum: quamvis & ab intermiſſa nimis diu venere idem

g) *L. c.*
h) *Obſ. cent. 2. obſ. 26.*
i) *Epiſt. de Apopl.* in Cl. SANDIFORTII *theſ. diſſ. v. 2.*
l) Vid. SAUVAGES *t.* I. *p.* 846.
m) *Noſ. meth. t.* I. *pag.* 841. Conf. BONETUS in *Med. ſept. t.* I. *p.* 165.
n) Vid. *t.* I. *p.* 466. *ed. Lind.*
o) *L. c. p.* 80. *obſ.* 2.
p) *Reſp. med. p.* 15.
q) *Sperm. p.* 268. & *Act. phyſ. med. v.* 9. *p.* 222. BONETI *Med. ſept. t.* I. *p.* 165.

morbus ortus legatur r): quod tamen, ſi verum, rarius contingere putem.

Syphilis tot tantaque producens mala, quum cariem, tophos, gummata in cranio, proferat, hunc morbum ſimilesque etiam producere poſſe, ratio docet & comprobat experientia; prætérquam quod venenum illius in ipſam cerebri ſubſtantiam agat, ibique abſceſſus s) aliaque mala, functionem nobiliſſimi hujus viſceris perturbantia & ſoporem producentia, proferat: verum hæc & ſimilia non adeo ad morbos conſenſuales referenda mihi videntur.

§. X.

Paralyſes.

Eædem, quæ ſoporoſos affectus in corpore producunt, cauſſæ, paralyticas etiam affectiones ſympathicas producere queunt; paucis itaque, quæ huc pertinent, abſolvam.

Faciei, linguæ, oculorum paralyſin ſuis ſub titulis jam reſtrinximus, hinc eæ obſervationes ad hanc §. ſunt reducendæ, quibus paucas addere lubet.

Ex fluxus menſtrui retardatione, ſuppreſſione & anomalia paralyſin ortam obſervarunt RIEDLINUS,

Z. LU-

r) vid. SCHURIGIUM in *ſperm. p.* 276.
s) Vid. *Med. Tranſ. v.* 2. *ann.* 1772. *p.* 325.

z, LUSITANUS, SCHENCKIUS & SCHURIGIUS *t)*: quorum Virorum obſervationes Neoterici confirmarunt: cl. LORRYUS ſcilicet, graviſſimus Auctor, hemiplegiam vidit in muliere ortam a menſtruatione difficili, & largo menſium fluxu ſanatam *v)*. Plures obſervationes hinc inde apud Obſervatores leguntur *x)*, ubi & paralyſeos exempla a partu exſtant *y)* obſervata eadem eſt paralyſis a ſuppreſſis lochiis *z)*: ſed & nimiam & intempeſtivam venerem paralyſin intuliſſe docet HILDANI *a)* obſervatio, qua juvenis vulnere capitis leviusculo, nondum conſolidato, ex re cum muliere habita febrem & lethalem contraxit paralyſin. H. AB HEER *b)* a nimia venere levem apoplexiam cum artuum reſolutione paralytica obſervavit, quæ cum tenſione hominem invadebat *c)*. Paralyſin artuum inferiorum in juvene qui a patre in ipſo actu venereo adveniente valde perterritus erat, obſervavit HOFFMANNUS *c*)*. Neque ab intermiſſa longo tempore conſueta venere non oriri poſſet hic morbus, ſi ex eadem cauſ-

t) *Parthen. p.* 172.
v) L. c. *p.* 115. *t.* 1.
x) *Eph. N. C. dec.* 2. *ann.* 2. *obſ.* 116. *Journ. de med. vol.* 18 *p.* 350.
y) *Act. nov. N. C. v.* 3. *obſ.* 59.
z) Conf. *Act. phyſ. med. vol.* 8 *p.* 148, 304, 367.
a) Vid. SCHURIGIUM *ſpermat. p.* 269.
b) Vid. SCHURIGIUM *ibid. p.* 262.
c) Conf. SCHURIGIUS *p.* 247 *l. c.*
c)* *Op. tom.* 3 *obſ.* 2 *p.* 202.

cauſſa nata, apoplexia viſa fuerit *d)*. Syphilitidem paralyſin induxiſſe celeb. ASTRUCCIUS *e)* annotavit.

§. XI.

Deliria.

Nullius morborum ſpeciei originem frequentiorem eſſe abdomine, quam hujus, doct. RAHN *f)* jure ſuo aſſeruit: ſi enim conſideremus, eorum morborum originem ex Primarum Viarum labe, viſcerum hypochondriacorum vitiis organicis, vermibus, fæcibus, atonia viſcerum, eorumque ſpasmo, promum habemus condum, unde tot & tanta ſympathica Capitis mala oriuntur, graphice modo laudato RAHNIO, deſcripta & tradita.

Hisce ſi functionis genitalis commercium cum animalitate ex prioribus non difficile eluceſcens, addamus, non mirum cuipiam videbitur, ex mox memoratæ functionis anomalia mentem ſæpius ita affici, ut aberrantibus a ſano ſtatu, quibus agit, inſtrumentis, ipſa vix ac ne vix quidem ſanas functiones obire potis ſit. Varia omnino ſunt deliria, quæ ex anomalia functionis genitalis ejusque perturbatione ortum ducunt: eadem, quam in

d) Vid. §. præcedentem.
e) De Morb. Ven. t. I. *p.* 424. Cf. WEPFERUS *l. c. obſ.* 147. *p.* 690. & Cl. SAUVAGES *t.* I. *p.* 799.
f) In diſſ. præſt. cit. p. 93.

in prioribus ſecuti ſumus, diviſio viam ſternat in ulteriorem hujus morborum generis inquiſitionem.

A ſuppreſſis menſibus delirium frequens: difficulter menſtruata Maniaca non niſi ſanguiſugis vulvæ applicatis ſanata fuit *g)*: maniam omni periodo menſtrua mulierem infeſtaſſe per novem dies legimus *h)*: difficile provenientia menſtrua produxiſſe maniam *i)* & melancholiam celebres Viri *l)* viderunt. Suppreſſa menſtrua fœminæ maniam induxerant, quam uteri hæmorrhagia ſanatam vidit cl. LIEUTAUD *m)*. Complicatam cum convulſionibus maniam ab hac cauſſa CORDATUS *n)* obſervavit & V. S. ſanavit: ex amenorrhœa maniam lethalem ex accedente broncho annotavit SCHENCKIUS *o)*. Furorem periodo menſtrua redeuntem obſervavit BAUZMANN *p)*. Amneſia ab amenorrhœa etiam orta legitur apud SCHURIGIUM *q)*. Phre-

g) Vid. *Journ. de med. t.* 18. *p.* 18.

h) In *Eph. N. C. Dec.* 2. *ann.* 8. *obſ.* 43.

i) Vid HOFFMANN *t.* 3. *oper. c.* 8. *p.* 254. §. 22. Cf. *Comm. Lipſ. v.* 11. *p.* 525.

l) BONETUS in *Med. ſept. t.* 2. *p.* 421. coll. cum *p.* 405. LORRY *l. c.*

m) *L. c. v.* 1 *p.* 320.

n) Vid. SCHENCKIUS *l. c. p.* 126 *obſ.* 1.

o) *L. c. p.* 138.

p) *Eph. N. C. dec.* 2 *ann.* 8. *obſ.* 48. Conf. *ibid. Cent.* 9 *obſ.* 12.

q) Vid. *Ejus Parthen. p.* 160.

Phrenitidem, furorem uterinum, & dementiam ex eodem ſonte ortam annotavit idem Auctor *r*). Ulcus ipſum uteri mentem afficit, quod HIPPOCRATES *s*) jam obſervavit: melancholiam ab aliis uteri vitiis ſæpe oriri, notavit alius Auctor *t*). Pertinaciſſima menſium ſuppreſſio atrox produxit delirium, hirudinibus autem genitalium interiori parti applicatis ægrota ſanata eſt *v*): in alia hyſteromaniam, dirum morbi genus, produxit, quæ coïtu profligata legitur *x*). Vix itaque delirii genus adeſſe videtur, quod ex amenorrhœa, uterique malis organicis, ortum ducere non valeat *y*).

Gravidæ a fœtu ſæpe mirabiliter afficiuntur, ita ut ipſa quoque illarum mens patiatur: frequens eſt Pica gravidarum, quam cum ill. Noſologo *z*) inter deliria locare mihi videtur conſentaneum: licet enim haud lubenter negarem, ventriculum, ſæpe in his adfectum, aliquando mentem ita poſſe afficere, ut illud ſymptoma oriatur; non

r) *Ibid. p.* 167 & *ſeqq.*
s) *De morb. mul. l.* 1 §. 65 *p.* 456 conf. 88 *p.* 472.
t) BONETUS in *Theſ med. pract. t.* 1 *p.* 691.
v) Vid. SCHURIGIUM *l. c.*
x) Vid. SCHENCKIUS *p.* 137 *obſ.* 2. SCHURIGIUS *l. c.*
y) Plures obſervationes collectæ exſtant apud SCHURIGIUM *l. c.*
z) SAUVAGES *Noſ. meth.* titul. *Veſaniarum.*

non poſſum tamen omnem omnino picam hinc deducere, quum, præter abſurdum illum appetitum, in Pica laborantibus fœminis plura male affectæ mentis ſigna obſerventur *a)*. Mulierem talem obſervavit SCHENCKIUS *b*), quæ ob pisces, quos avidiſſime appetebat, ſibi denegatos, melancholica, aquæ deſiderio ita flagrabat, ut ſingulo fere die 30 ℔. aquæ biberet, quod abſurdum deſiderium, cum melancholia, mox puerperam reliquit: plura talium fœminarum exempla qui deſiderat, SCHURIGIUM *c)* & BONETUM *d*), quippe qui obſervationes tales collegerunt, adeat. Nec gravidis rara ex cl. LORRYI obſervatione *e*) melancholia; quæ partu ſæpe protinus tollitur: rarior eſt mania graviditate ſanata partuque maniacæ infantis *f*): omni graviditate maniaca mulier puerperio ſanabatur *g*): melancholiam gravidæ puerperio ſanatam SCHENCKIUS & LORRYUS viderunt *h)*. Melancholiam gravidæ lochiis curatam BONETUS *i)* memorat.

a) Vid. CURTIUM in *Diſſ. de explic. Conſenſ. part. qui nerv. debetur*, *anno* 1770, *Halæ defenſa*, *p.* 14.
b) *Obſ. med. rar. p.* 546.
c) In *Chylologia*, *p.* 41 *& ſeqq.*
d) In *Theſ. med. pract. p.* 366 §. 7. 8 *p.* 367 §. 15-17.
e) Vid. *l. c. p.* 314 conf. *p.* 366.
f) *Eph. N. C. dec.* 3 *ann.* 3 *obſ.* 61 *p.* 73.
g) *Eph. N. C. cent.* 9 *obſ.* 12 & *dec.* 3 *ann.* 2 *obſ.* 4
h) Vid. *l. c.*
i) *Med. Sept. t.* 2 *p.* 421

morat. Neque ſolam hic innuo nervoſam melancholiam; materies enim in utero ſtagnans melancholiam producit, non niſi per eductionem peccantis materiei ſanandam *l*): ab hac materie ſpasmodicos dolores & tentigines modo laudatus cl. LORRY *m*) obſervavit.

Ut a graviditate ſic & a partu & puerperio ſæpe oritur mania. A partu laborioſo maniam obſervavit PLANCHON *n*), qui & ab inflammati uteri reſolutione delirium, criticum quaſi, ortum adnotavit, congeſtione ad mammas & inde producta lactis ſecretione copioſore ſanatum: maniam a partu primiparæ obſervavit SCHENCKIUS *o*), quocunque partu inſequenti recidivam, & tandem quarto lethalem. Inſaniam a puerperio vidit LUSITANUS *p*). Egregius olim Delphenſis Medicus P. FORESTUS *q*) phrenitidem in ſingulis partubus mulieris, quæ olim vulnere laboraverat in vertice, obſervavit: de melancholia nervea a partu orta pulcherrima obſervatio legi poteſt apud cl. LORRY *r*): a lochiis minori copia

l) *De Melanch. p.* 339.
m) *L. c. p.* 347.
n) Vid. *Comm. Lipſ. vol.* 18 *p.* 212.
o) *L. c. p.* 606.
p) Apud SCHENCKIUM *p.* 606. *obſ.* 9.
q) Ibid. *p.* 607.
r) *L. c. p.* 74.
s) Vid. *Act. phyſ. med. vol.* 9. *p.* 161.
t) Vid. SEEDORF in diſſ. *de Stymatoſi* ſub præſidio Cl. VOGELII defenſa *Gott. ann.* 1765.

copia fluentibus hic morbus etiam ortus fuit *s*).

Nec mulieres ſolæ patiuntur hæc a menſtrui vel lochialis fluxus ſuppreſſione & anomalia; ſed & Viri ex fluxus quaſi menſtrui conſueti ſuppreſſione eadem pati mala, docet obſervatio *t*) viri omni menſe ſtymatoſi laborantis, quæ ſuppreſſa maniam ei lethalem intulit.

Nullæ autem partes ex cl. LORRYI obſervatione delirii adeo feraces ſunt, quam illæ, quæ recipiendo aut ejiciendo ſemini in utroque ſexu a Natura formatæ ſunt *t**), *hæ mentem agunt, eamque ex naturæ ordine convellunt; ſic eſt illa inexplebilis veneris tentigo, quæ dum mentem libidine corrumpit, partes corporis huic turpiſſimo numini dicatas tenſione afficit, ab illis ad imas usque medullas ignem & furias inſinuat, ſi præſertim cupido immoderata non habet, unde ardorem exſtinguat, & in quo ſopita conquieſcat v*). — Hinc mirum non eſt, immaturam venerem delirium & maniam proferre, uti celebris HOFFMANNUS *x*) recte docuit.

s) Vid. *Act. phyſ. med. vol.* 9. *p.* 161.

t) Vid. SEEDORF in diſſ. *de Stymatoſi* ſub præſidio VOGELII defenſa *Gott. ann.* 1765.

*t**) Vid. *l. c. t.* I. *p.* 101. & *p.* 13. *obſ.* 18.

v) Vid. cl. LORRY *l. c. p.* 55.

x) *Oper. t.* 3. *cap.* 8. *p.* 254. & *diſſ. cit. in Suppl. oper.* Conf. SCHURIGII *Spermatol,* paſſim. qui

 exempla

cuit. Sed & ipſa veneris abſtinentia tale diri morbi genus producere, obſervaſſe ſe ſcribit BONETUS y), cum de melancholia virginum & viduarum verba facit, quæ ſæpe ex veneris abſtinentia ortum ducit: hinc oritur Erotica melancholia, quæ pulchre ab eodem Auctore z) deſcripta eſt. Ab affectis genitalibus in ſequiori ſexu dirum illud furoris genus, hyſteromaniam, ſæpe oriri obſervata cl. LORRYI a), ZIMMERMANNI b), LANZONI c), DIEMERBROEKII d), LIEUTAUDII e) aliorumque f) docent.

Imo ipſe hic morbus ſummo gradu quandoque in Viris obſervatus eſt g): ſic & in viro delirium a venereo conflictu, prima matrimonii nocte, BARTHOLINUS h) obſervavit, & fatuitatem amentiamque a venere nimia & aphrodiſiacis remediis ortam memorat SCHENCKIUS i).

Me-

exempla habet fatuitatis, delirii, maniæ &c. ab hac cauſſa ortorum.

y) *Theſ. med. pract. t.* 1. *p.* 691.
z) Vid. *ibid. p.* 692.
a) *L. c. p.* 131.
b) *L. c. t.* 2. *p.* 405.
c) *Miſc. N.C. Dec.* 3. *ann.* 5 & 6 *obſ.* 124 *pag.* 253
d) *Anat. C. H. l.* 1. *c.* 24. *p.* 131.
e) *Hiſt. anat. p.* 349, 350, 351. *t.* 1.
f) Vid. SCHURIGII *Muliebr. p.* 363, 364.
g) Vid. *les Anecdotes de Medecine, anecd.* CXCI.
h) *Cent.* 6. *hiſt.* 94. *p.* 366.
i) *Obſ. med. rar. l. c. p.* 141.

Memoria a nimio Veneris uſu captus legitur celebris ille OVIDIUS Gallicus, GENTIL BERNARD *l*). Delirium, quod a teſtium dolore BONETUS *l**), & mania, quam ab earumdem phlogoſi T. A GUILDENKLEE obſervarunt *m*), huc pertinent. Neque omnino ſanum eſſe commune ſenſorium in iis, qui labe ſyphilitica topica ad genitales partes laborant, experientia me docuit, quum melancholiam nervoſam fere ſemper in his ægrotantibus obſervaverim; conſentire videtur cl. LORRY *n*), qui labem veneream melancholiam nerveam frequentem mentiri adſerit: præterquam quod ex venereo miasmate ſatyriaſis oriatur, quod morbi genus eo nomine ad Capitis referri poteſt morbos, quo ſenſorio communi adfectiones libidinoſas inducendo delirium ad ſolam venerem fixum, (melancholiam eroticam, ſive libidinoſam, nomine non prorſus inepto, diceres) inducit *o*). Tandem huc referri poſſunt SAUVAGESII *Melancholia amatoria p*) *Dæmonomania hyſterica q*), *Paraphroſine hyſterica*

l) Vid. *l'Obſervateur Anglois t.* 1. *p.* 20.
*l**) *Theſ. med. pract. t.* 2. *p.* 1177.
m) Vid. *l. c. l.* 3. *caſ* 46. *p.* 186.
n) *L. c. p.* 99. *t.* 1. *cf. p.* 282.
o) De hac melancholiæ ſpecie vid. ETTMULLERUM & BONETUM in *Theſſ. med. pract. t.* 2. *p.* 1203.
p) *L. c. v.* 2. *p.* 252.
q) *L. c. p.* 267.

car), *Panophobia hyſterica s*), *Agrypnia hyſterica t*), & mox memorata *Satyriaſis venerea v*), quoniam morbi ſunt revera inter deliria locandi, & ab anomalia genitalium ortum ducentes: memorari etiam meretur, & colophonis adinſtar apponi, obſervatio HOFFMANNI *x*), qui phreniticum a repreſſa virulenta gonorrhœa obſervavit *z*).

Quæ quum ita ſeſe habeant, generalioribus morborum Capitis ſpeciebus, quatenus ad noſtrum pertinent forum, abſolutis, progredi jubet inſtituti ratio ad indagandam eam, quæ a Capite ortum ſæpe trahit, partium Genitalium anomaliam: ad cujus inquiſitionem itaque jam maxime me adcingo.

CA-

r) *Ibid. p.* 247.
s) *P.* 224. *ibid.*
t) *P.* 271. *ibid.*
v) *Ibid. l. c.*
x) Vid. *Opèr. Supl. t.* 2. *p.* 310. conf. SAUVAGES *vol.* I. *p.* 461.
z) Cæterum de malis ex nimia venere, nimiaque ejus abſtinentia, orientibus, præter citatos Auctores, evolvi merentur doct. JACQUES *Theſ. an ex negato veneris uſu morbi?* RENEAUME *de virginitate clauſtrali:* & præcipue Gallicus Auctor LIGNAC *de l'homme & de la femme* paſſim, ſed inprimis *part.* 2. *cap.* 3. *p.* 133. & *ſeqq.*

CAPUT TERTIUM.

Symptomata Functionis Sexualis læſæ, a Capitis adfectionibus oriunda.

§. I.

Symptomata, Sexus Virilis læſæ functionis, ab affectionibus Capitis orta, continens.

Quum tot & tantos morbos a Functionis Genitalis anomalia, in utroque ſexu, oriri poſſe, in præcedenti Capite demonſtrare conatus fuerim; inſtituti ratio jubet, paucis etiam expendere illa Genitalium vitia, quæ ab affectionibus Capitis, per ſympathiam cum illis partibus maxime vigentem, oriuntur, & derivandæ ſunt: quæ horum ſymptomatum delineatio ne confuſa ſit,

I. Symptomata ſexus Virilis a memorato ſæpius fonte orientia, memorabo.

II. Fœmineæ ſexualis functionis Anomaliam ab eadem cauſſa ortam illuſtrare conabor.

Quoad primum fontem, eo pertinent Ἀγενεσία, Seminis profluvium, Satyriaſis, & Stymatoſis.

Ἀγενεσία morborum Capitis frequens eſt ſymptoma, jungitque ſe omnibus Capitis morbis frigidis, imo ſæpe etiam calidis, ut cephalalgiæ, phrenitidi &c. Sæpe a melancholia oritur hæc

 impo-

impotentia, neque, niſi morbo ſublato, tollitur: teſtis ſit Archiater Anhaltinus P. SALMUTHUS, qui impotentes, & quidem ex maleficio, ſe imaginantes antimelancholicis ſanavit *a*). Timor, metus, triſtitia, terror, aliaque deprimentia animi pathemata, & perturbationes ſæpe hujus affectionis cauſſas eſſe, quotidiana docet experientia *b*): imo tantis ſæpe pollent viribus, ut vel in ipſo venereo actu ſtimulos plenarie ſuffocent, cauſſasque impotentiæ, ſenſim ſenſimque increſcentes, ſtruant; exemplum ſiſtit obſervatio in Miſcellaneis N. C. *c*) memorata, & a SCHURIGIO *d*) recenſita, Viri, qui ex terrore nuncii triſtis, ipſo coitus tempore accepti, ſeminis ejaculandi impotentia, ſ. diſpermatismo, ſubito correptus erat, indeque teſtem ſcirrhoſum tumidum diu retinuit. Pertinent huc obſervationes incontinentiæ ſeminis a Capitis adfectione ortæ: ſic exſtat GARMANNI *e*) obſervatio, viri doctiſſimi, qui quoties puero nates denudari & ferulis cædi videbat, leipothymice quaſi ſemen ejaculabat, ut & BARTHOLINI *f*) de viro, qui ſub barbæ

a) Vid. *Cent.* 2. *obſ.* 78. Conf. LIGNAC *l. c. t.* 1. *p.* 318. & *ſeqq.*

b) Vid. ill. Pathologiæ Dictator, nuper fato functus, GAUBIUS in *Inſt. Pathol. Med.* §. 820.

c) *Dec.* 3. *ann.* 5, 6. *obſ.* 272. *p.* 622.

d) *Spermat. p.* 74.

e) Vid. SCHURIGIUM *Spermat. p.* 38.

f) Vid. SCHURIGIUM *l. c.*

barbæ raſione talem excretionem patiebatur. Organica vitia Capitis coitu ſæpe ita exaſperantur, ut ipſa mors oriatur *g*). Sed & a vulneribus Capitis noſtrum morbum non ita rarum eſſe, probat obſervatio HILDANI *h*), qui ex capitis contuſione impotentiam memoravit; HIPPOCRATES *i*) teſtatur infecunditatem oriri a ſectione venarum pone aures; BAGLIVIUS *l*) a gravi Capitis contuſione eandem oriri aſſerit affectionem *m*), & a cephalalgia hoc malum notavit BONETUS *n*).

Seminis profluvium ab iisdem cauſſis oriri poſſe vix admonitione indiget; melancholicis etiam non infrequens hoc ſymptoma, accedente teſticuli retractione, videtur; claſſicus Auctor A. C. LORRY *o*) in paroxyſmo melancholico hoc ſeminis profluvium obſervavit; quod in peculiari epilepſiæ ſpecie pro ſigno diagnoſtico habuit BONETUS (ut dein videbimus), & ab ARETÆO in morbo ſontico jam obſervatum eſt *p*).

g) Conf. SCHURIGIUS *Spermatol.* p. 296.
h) *Obſ. Cent. VI. obſ.* 159.
i) *In Oper. t.* I. *p.* 126. 357. *ed. Lind.* Conf. BALLONII *Oper. t.* I. *p.* 88.
l) *Oper. p.* 347.
m) Conf. *Eph. N. C. dec.* 5. *ann.* 4. *obſ.* 104.
n) *Med. Sept. t.* I. *p.* 874.
o) *De Melanchol. t.* I. *p.* 74.
p) Vid. *ed. Petiti p.* 3.

Contrarium his eſt illud vitium, quod *Satyriaſis* dicitur, quæ licet non raro idiopathica, ſæpe tamen ſympathica a Capite obſervatur. Objecta enim amabilia ope viſionis menti repræſentata, in ſano ſtatu utriusque ſexus organa ita afficere obſervantur, ut, voluptuoſa in mente nata idea, generationi dicata organa ad dandum & accipiendum aptet. Mirabilis illa ſympathia, ut in ſano ſtatu *q*) obtinet, ſic & in morboſo: voluptuoſæ enim ideæ, quaſi habituales factæ, mentem continuo irritant & imaginationem depravando ſatyriaſis, ſalacitatis, manuſtuprationis, pollutionis nocturnæ cauſſæ non raro exiſtunt. Exempla ad hoc aſſertum probandum multa adferre poſſem, niſi nauſeam Lectori creare, rem demonſtratam probando, vererer: ſola hic ſufficiet FORESTI *r*) obſervatio, Monachi ex ideis voluptuoſis in ſatyriaſin veneream lapſi, ita ut furore venereo agitari videretur *s*). Sed & apoplexia aliquando ſatyriaſis & ſalacitatis cauſſa fuit, ut in ſene 66 annorum apoplectico obſervavit BIERLINGIUS *t*): in ſuſpenſis hominibus a ſimili forte cauſa frequens eſt *v*). Satyriaſis

q) Vid. *Sect.* I. *cap.* I. §. 2.

r) *Obſ. Med.* l. 26. *obſ.* 10.

s) Plura exempla vid. apud TISSOTUM, SCHURIGIUM in *Spermatol.* l. c. & conf. Anglicus liber. cit. *de Onania* paſſim.

t) *Theſ. theor. pract. p.* 21.

v) Vid. STOLTE Diſſ. *de morte ſuſpenſ. Gron.* 1766. *ed.*

tyriaſis & priapismus, frequenter in epilepſia & hydrophobia & paſſione hypochondriaca obſervantur, quod ex obſervationibus adductis *x*) & adhuc adducendis clarius pateſcet.

Verum & ab indiſpoſitione communis ſenſorii maniaca ſæpiſſime oriuntur hi morbi: probat hujus aſſertionis veritatem catalogus obſervationum in fine §. ult. Capitis præced. ex Auctoribus productus: probant obſervationes LOCHERI, GREDINGII aliorumque: probat omnium luculentiſſime obſervatio, quam mecum amiciſſime communicavit doct. hujus urbis Medicus J. VOEGEN VAN ENGELEN, quam accurate ab ipſo Viro doct. enarratam hic ſiſtere operæ pretium duxi. Scilicet

„Vir 42. annorum, pauperculus, temperamenti admodum cholerici, robuſtus, vitam agens ſedentariam, ſaniſſimus, menſe Julii anno 1778. angina leviter inflammatoria corripiebatur, quæ V. S. & leni cathartico intra triduum ſanatur: — poſtea tamen de moleſtiſſima conquerebatur anxietate circa præcordia, noctu ingraveſcente & teterrimis inſomniis ſtipata, cujus cephalea violentiſſima comes erat; quam paullo poſt delirium ferox, cum valida febre excipiebant; ita quidem ut die X. Aug. ejusdem anni advocatus non dubitarem ægrum vere phre-

F 5 niti-

x) *Cap.* 2.

niticum ſalutare; morbique ſedem ex prægreſſis & præſentibus ſymptomatibus in hypochondriis collocare: hinc morbi curam hoc fundamento adgreſſus ea quidem gaviſus ſum felicitate, ut æger undecimo morbi die naturæ ſalutari conamine, diarrhœa ſcilicet, ex orci faucibus ereptus, & dein per debita medicamina ſanatus fuerit. — Die vero XIII. Octobris denuo opem meam implorabat: — conquerebatur tunc de inſueta titillatione in glande penis, quæ ſæpius de die invadebat, & quam inſequebatur membri virilis erectio & ſcroti corrugatio, cum maxima tentigine & ſalacitate, quæ phænomena aliquamdiu jam obſervata ſanitatis & priſtini vigoris reditui adſcripſerat: hanc vero inſolitam ſalacitatem, quum virium ſubitaneum decrementum exceperit ægritudinem dein ſuſpicabatur: interea temporis ſexies ad minimum de die libidini indulgebat, quum, primum invadente ſalacitate, Venerem ferme duodecies coluiſſet. Facies nunc pallida erat, timidula, triſtis, languentes oculi, vagus intuitus, riſus ſpasmodicus; pupilla erat valde contracta, qualem in nulla unquam morbi cujusdam mentis ſpecie obſervaverim. Corporis accedebant macies, debilitas, ſudores irregulares, urina nunc pallida, aquoſa, nunc rubra, horisque matutinis, mucoſum, album ſedimentum deponens, frigus & calor alternabantur, horror, anxietas, pulſus parvus, ſtrictus, plerumque frequens,

quens, aliquando tamen lentus, debilis, accedebant. Æger, ut uxor narrabat, continuo, ſed ſubmiſſa voce delirabat, ſeque Dæmone quodam obſeſſum credebat, quem dein, ut expellerem, me ſupplex rogabat. Appetitus interea proſtratus, ſitis inextinguibilis, alvus ſtrictiſſima erat, ſalacitas perdurabat, ita uxor de nimia illa venere admodum conquereretur, mali quid metuens, quum peracta venere leipothymiam maritum invadere eumque noctu inſomniis mire vexari, affirmaret. Miſerebat me ægri, quem honeſtum noveram: conſideratis itaque conſiderandis, in hypochondriis ſedem hujus morbi ſtatuere non dubitavi, curamque eccoproticis, leniter antiſpasmodicis, reſolventibus, ſemicupiis & pedilaviis, nitro cum caphura, & inprimis decocto MUZELII, diæta tenuiſſima, eupepta, vegetabili, lactea, eo quidem perduxi, ut ſequentis anni menſe Februarii, functionibus quodammodo reſtitutis, ſolitis occupationibus vacaret, & inſequente vere, vegetabilibus reſolventibus uſus, debito regimine continuato, ſanus evaderet; quum tamen diſpoſitionem ad delirium melancholicum ipſa etiam nunc prodat facies.“

Neque in Melancholia Hypochondriaca ſymptoma hoc infrequens eſt; ut patere facile poteſt, ſi ſequentem obſervationem, ab Expert. BLUMER, alterius Legionis Helvetorum militum Chirurgo Primario, ſumma cum benevolentia mihi ſuppeditatam, diligenter perlegamus.

„Miles

„Miles 48 annorum, conſtitutione corporis tener, debilis, ex triſtitia, qua diu admodum adflictus erat, melancholico hypochondriacus, maniacis fere paroxysmis vexabatur; quo tempore, appetitus ad venerem adeo præternaturalis, & coitus cum uxore tam frequens erat, ut ſollicita inde fœmina opem meam imploraret. Symptomata illud non, antequam morbum magnis caphuræ in aceto deſtillato ſolutæ doſibus, julapii forma præſcriptis, & frequenti eccoproticorum uſu ſanaveram, profligatum eſt.“

Salacitatem a paralyſi obſervaſſe BIERLINGIUM ſupra notavi: idem omnino in ſene ſe obſervaſſe mecum idem communicavit exp. BLUMER; quam obſervationem hic interſeram, quum ſcopo maxime ſatisfaciat.

„Oenopola urbis Namurcenſis, 65 annos agens, per longum tempus arthritico morbo vexatus, apoplexia corripiebatur, quam linguæ & ſiniſtri lateris paralyſis inſequebatur; hinc ſtupiditate, &, licet ante acceſſum morbi ingenio polleret, mirabili correptus erat apathia, ad omnia, exceptis, quæ animalis vita requirebat, fame nempe, ſiti, & appetitu venereo, quo eo quidem vehementius flagrabat, quo magis uxor ob triſtem mariti ſtatum coitum evitabat: vetus & deformis ancilla, quæ ægro opem ferebat, impetus moleſtos ægri excipere debebat, qui, ut illam ad voluntatem cogeret, incredibilem exſerebat,

rebat vim: ita, ut res eo ſit perducta, cum illa ancilla & quacunque ei modo adpropinquante muliere, ut ipſi ſe huic admiſcerent negotio Confeſſionarii, uxorque juſſa fuerit coitum cum ægro marito celebrare; eo quidem cum ſucceſſu, ut ſtatim conceperit: mihi autem adſeruit, incredibilem imo intolerabilem eſſe, quo maritus agebat, impetum: poſt 4 menſes vero, quibus ſatyriacus iſte vigor non decreſcebat, ex recidivante apoplexia obiit."

Neque non hæmorrhagia penis, VOGELIO *y*) *Stymatoſis* dicta, SAUVAGESIO *z*) *Hæmaturiæ ſtillatitiæ* nomine inſignita, a cogitationibus laſcivis fuit obſervata *a*); quæ forte ab hæmorrhagia narium ſuppreſſa etiam oriri poteſt.

§. II.

Symptomata Sexus Fœminei ex eodem fonte.

Præter ſterilitatem, quæ frequens melancholiæ in ſexu amabili comes, profluvium ſeminis, quod ex eodem morbo ſæpe oriri in fœminis cl. A. C. LORRY *b*) annotavit, & metromaniam, quam

y) Vid. *Prælect. Acad.* §. 296. *p.* 229. Conf. J. H. SEEDORF. in *Diſſ. de Stymatoſi* præſide cl. VOGELIO defenſa *Gott.* 1765.

z) *Noſ. Meth. t.* 3. *p.* 2. *p.* 49.

a) Vid. FERNELIUM *pathol. l.* 6. *c.* 14. *p.* 577.

b) *L. c.*

quam ex ideis voluptuoſis frequenter oriri aſſerit celeb. ASTRUC *c*); ipſa vitia organica uteri ex morbis Capitis oriri poſſe, probavit cl. LIEUTAUD *d*): hinc mirum non eſt, menſtruorum anomaliam lochiorumque, paſſionem hyſtericam, partum difficilem, imo abortum & fœtus morbos ab affectione Capitis ſæpe oriri & obſervata fuiſſe. Paullo itaque accuratius, ſuccincte tamen, in has genitalium adfectiones inquiramus.

Notiſſimum eſt, & probatione non indiget, fluxum menſtruum ab animi pathematibus ſæpe ita augeri vel minui, ut uteri hæmorrhagia, vel ſuppreſſio menſtrua inde oriatur: terrorem menſtruæ obſtructionis cauſſam RIVERIUS, AUCTORES hiſtoriæ morborum Uratislavienſium, aliique *e*) obſervarunt: ſuppreſſionem menſium a triſtitia HEISTERUS *f*), PECHLINUS *g*) & multi alii a SCHURIGIO collecti *h*) memo-

c) In eleg. deſcript. *Furoris uterini* in Libr. *les Mal. des Femmes Tom. II. p.* 340. 347. *&c.* cf. etiam DE BIENVILLE, *de la Nymphomanie*, & SCHURIGII *Muliebria* & *Gynæcologia* paſſim.

d) In *Hiſt. anat. med. vol.* I. *p.* 321. *lib.* I. *obſ.* 1373.

e) Quos omnes citavit SCHURIGIUS in *Parthen.* p. 156.

f) *Obſ. cit. p.* 437.

g) L. 2. *obſ.* 58.

h) L. c.

memorarunt: ipſe Amor hujus anomaliæ menſtruæ cauſſa quandoque fuit, obſervante HOFFMANNO *i*); ſed & ipſa hæc animi pathemata ſuppreſſionem menſtruorum aliquando tollunt *l*); ſic & profluvium ſanguinis inferre non raro eadem obſervantur, ut teſtantur obſervationes a SCHURIGIO *m*) collectæ. Et hæc eo magis vera ſunt, quo certius conſtat, animi irritabilitatem (ſi ita loqui fas ſit) & mobilitatem, admodum in ſexu amabili diſponere ad fluxum uterinum, indeque provenientem malorum ſeaturiginem: quem canonem in praxi ſedulo obſervandum, in Prælectionibus de Morbis Mulierum, Auditoribus ſæpius inculcavit celeb. Præceptor VAN DOEVEREN.

Verum nec animi pathemata ſolum, ſed & aliæ cauſſæ in Capite ſedem figentes, anomaliæ menſtruæ anſam dare obſervantur: ſic a pilo in aurem lapſo menſium ſuppreſſionem F. HILDANUS *n*), a colapho eorumdem retentionem cum amauroſi & ſurditate obſervavit A. LUSITANUS *o*): eædem autem cauſſæ quin fluxum men-

i) *Oper. t.* 2. *p.* 218. *t.* 3. *p.* 20. Vid. & *M. N. C. Dec.* 1. *ann.* 9 & 10. *obſ* 58. *p.* 147.
l) Vid. *Herculem. Medicum l.* 7. *cap.* 1. *p.* 372.
m) *Parthen. p.* 188.
n) *Obſ. cent.* 1. *obſ.* 4.
o) *Cur. Medic. cent.* 7. *curat.* 44. *p.* 744.

menſium nimium & uteri hæmorrhagiam producere poſſint in prædiſpoſitis, vix dubium reſtat *p*).

Verum nec menſtrua ſolum, ſed & lochia, ab affectionibus Capitis admodum perturbari, conſtat: eoque pejus, quo verius, mobilitatem iſtam & animi ſenſilitatem in puerperis ita vigere, ut minimæ cauſſæ horrendas œconomiæ animalis faciant turbas *q*). Hinc celeb. Præceptor *r*) inter cauſſas morborum puerperarum terrorem, mœrorem, iram, ipſumque nimium gaudium merito numeravit: & ab his lochiorum ſuppreſſionem, vel & fluxum nimium, non infrequentem eſſe, docere poteſt ulterior contemplatio obſervationum, quas §. ult. Capitis præcedentis verbo memoravi.

Paſſio hyſterica, utcunque ab utero derivanda, affectiones Capitis etiam ſæpe pro cauſſis agnoſcit, ita ut vel ab iis ſolis ſæpe oriatur, vel orta aquacunque cauſſa recidivet ab animi commotionibus violentioribus, hinc quies animi in hoc morbo tanti eſt uſus: verum, quod magis eſt, ipſæ organicæ fabricæ uteri degeneratio ab his cauſſis eſt obſervata a cl. LIEUTAUD. *s*), & celebris Practicus F. HOFFMANNUS *t*) multa

p) Conſ. SWIETENIUS *p.* 497. *t.* 4.
q) Vid. PRÆCEPTORIS *pr. lin. de M. M.* §. 103. *collatam cum* §. 87.
r) L. c. §. 58.
s) *Hiſt anat. med. vol.* I. *p.* 321. *lib.* I. *obſ.* 1373.
t) In *Operibus* paſſim.

multa habet exempla affectionum hyſtericarum & ſpasmodicarum ab utero orientium, quæ primordia & fontes ab affectionibus Capitis habuerunt *v*).

Sed ut Animi nimia agilitas, adfectiones morbique Capitis in fœmina anomaliam menſtruam lochiorumque, vel & ſpasmodicos motus producunt, ſic & eædem cauſſæ partum non raro difficilem faciunt: animi adfectus ut partum ſæpe accelerant, ſic & eum ſæpius, dolores fallendo, ſopiendo, retardant: verecundiam partum retardare & lochia ſupprimere docet BAGLIVIUS *x*): vigiliæ quoties non partus difficilis exiſtunt fontes: cephalalgia, epilepſia, omnesque convulſivi Capitis morbi, uterum in ſpasmos motusque irregulares rapiendo, ſæpiſſime promum condum ſiſtunt difficultatis partus. Sopor etiam, & energiæ nervoſæ languor, partus retardati non raro cauſſa eſt, quum metus dolorum & ancipitis eventus non raro accedat; ſicque cauſſa rurſus addatur ſympathica, ob quam dolores juſte agere nequeant *y*). Forte & animi adfectus ſæpius uteri prolapſum producunt in præ-

v) Conf. SCHURIGIUM *l. c.* RAULIN *des Affections vapoureuſes des deux ſexes.*
x) *Op. med. p.* 347.
y) Conf. SWIETENIUM *in Comm. tom.* 4. *p.* 523.

prædiſpoſitis; ſanatum ſaltem per terrorem fuiſſe uteri prolapſum, docent obſervationes *z*).

Abortum ſæpius memoratæ jam Capitis affectiones cauſſantur; æque ac fluxum uterinum, quo diſſoluta placenta abortus cauſſa ſæpiſſime fit: neque ſpasmodici & dolorifici Capitis morbi hujus adfectiones ſolæ cauſſæ, ipſa odoratus major adfectio abortum procuraſſe MAURICÆO *a*), ASTRUCIO *b*), aliisque obſervata eſt: ſicque fœtus morbi non raro ab hac cauſſa oriuntur, imo &, ſive abortus, ſive ejus mors, in ipſo utero ex his fontibus ſæpe promanat. Nam, quum organa ipſa fœtui conſervando, nutriendo, edendo dictata, tantum cum ipſo fœtu alunt commercium, ut affecta & fœtum afficiant, mirum non videbitur, multa fœtuum mala inde traxiſſe originem: placenta uteri contigua eſt, imo & (minimis licet vaſculis) ei continua, facillime igitur, ab utero per animi quæcunque pathemata in motum rapto, ſolvitur; qua ſoluta, fœtus nutrimento deſtituitur vel & ſanguinis fluxu aliquando obruitur, & ſic, niſi ſuis ſalutaribus motibus corpus jam jam peregrinum expellat Natura, mortuus in utero fœtus mala matri innumera creat.

Quum

z) Vid. *Les Anecdotes de Medecine p.* 72. citatos apud egregium BRUNINGIUM in tract. præſt. *de Ictero ſpasmod. Infantum pag.* 243. Cf. BAGLIVIUM in *Oper. p.* 347.
a) *Obſ. des femm. groſſ. p.* 189.
b) *Maladies des femmes p.* 323. *l. cit.*

Quum vero harum Capitis adfectionum in uterum, ejusque functionem, effectus vix levibus ſolum Pœoniæ Artis initiis imbutum latere queant, penſumque mihi pro magna parte adhuc ſit abſolvendum, ad alia Capitis adfectionum effecta; quæ in ipſum corpus fœtus magis redundant, transeo.

§. III.

De Imaginationis Gravidarum effectu ſpeciatim in Fœtus nonnulla.

Scilicet intimum Fœtus cum Matre commercium, uteri cum Capite conſenſus & ſympathia mirabilis, incredibilia effecta Capitis adfectionum in uterum, animi pathematum vis, & obſervata quædam, anſam dederunt celebri illi Quæſtioni, de vi Imaginationis maternæ in fœtum: quod vexatiſſimum thema a Medicis non ſolum, ſed & Philoſophis, Eridos pomum fuiſſe videtur, in quo, vel defendendo vel impugnando, omnes deſudarunt.

Vim imaginationis matris in fœtum nævos & monſtroſitates producere poſſe, non tantum præteritorum ſeculorum Medici tantum non omnes, ſed & recentiorum primarii, HOFFMANNUS, BOERHAVIUS, MEADIUS, SWIETENIUS & KRAUSSE, qui ex profeſſo de hac materie egit, crediderunt & aſſeruerunt: quanta & qualia nomina! non mirum ergo, fere totum orbem eo-

rum ſententiæ album adjeciſſe calculum in noſtros usque dies.

Verum enimvero celebres quoque Viri a negativa ſteterunt parte: VISSCHERUM, BLONDELLIUM, ROEDERERUM, RICKMANNUM nominaſſe ſufficiat, qui magna contra vulgarem illam ſententiam argumenta produxerunt.

Vix me in vaſtiſſimum hujus controverſiæ oceanum, ubi tot tantique Viri naufragium toties fuere paſſi, committerem, niſi inſtituti ratio breviter ſaltem hanc quæſtionem memorare juberet: quod ut fiat eo ſuccinctius & clarius, Virorum celeberrimorum hujus imaginationis vim negantium (quos inter quoque Præceptorem meum VAN DOEVEREN appello *c*)) argumenta proferam, ut dein affirmantium rationes eo facilius proponi poſſent.

Ium Negantium argumentum deſumitur ex placenta cum utero per *ἀναςόμοσιν* commercium non alente, quod, ut alios optime meritos omittam, ſatis probaſſe videtur cl. EORSTENIUS Profeſſor Harderovicenſis *d*). IIum Argumentum adducunt ex abſentia nervorum in placenta; quum multo minus dari nervos ab ute-

ro

c) Conf. *Pr. Lin. de Morb. Mul.* §. 30. qui ample de iis egit in Prælect. ad dictam §.

d) In Diſſ. acad. præſide celeb. VAN DOEVEREN defenſa, *Quæſtiones ſelectas Phyſiologicas exhibente*, L. B. 1774.

ro ad placentam tendentes adſerant, III°. Iidem Auctores plerasque narrationes, quibus imaginationis maternæ vim in fœtum probare fautores conantur, falſas eſſe, ex hiſtoriolis ipſis elucescere contendunt. IV°. Morbos fœtuum connatos plerumque non eſſe nervoſos, aſſerunt. V°. Nævos vel Monſtroſitates plerasque non ab imaginatione deduci debere, ipſam docere gravidæ œconomiam. VI°. Multas gravidas imaginatione affectas ſanos fœtus peperiſſe. VII°. Raros eſſe effectus ratione cauſſæ, ſive nævos non obſervari ſatis frequenter, ratione frequentiæ perverſæ imaginationis gravidarum. VIII°. Similitudinem non eſſe inter res, quas imaginatio excitaſſe dicitur, & fœtuum nævos, ſi accuratius examinentur a peritis. IX°. Defectus integrorum membrorum inde explicandos ſanæ rationi contradicere. X°. Alias eſſe cauſſas Monſtra producentes, & plerasque monſtroſitates primigenias eſſe, uti WINSLOW *e)*, HALLERUS *f)* aliique, quibus & conſentit celeb. VAN DOEVEREN *g)*, ſatis probarunt: vel ab impedita nutritione, epigeneſi perturbata, luſibusque Naturæ, contuſionibus forſan, morbisque ortum ſuum hæc monſtra ducere, adſerunt. XI°.

 Eas-

e) Vid. *Mem. de l'Ac. R. des ſc. A.* 1733, 34, 40, 42 & 43.

f) *Oper. min. t.* 3 *de Monſtris p.* 133, 4. Conf. *Elem. Phyſiol. Tom. VIII. p.* 141. & *ſeqq.*

g) *Obſ. acad. c.* 1. §. 46.

Eaſdem monſtroſitates in animalibus quadrupedibus, amphibiis & inſectis, imo & in ipſis vegetabilibus conſpici, quas ab imaginatione repeti nefas. XII°. Morales leges ſententiæ eſſe contrarias, quum, ſic matri gravidæ data eſſet poteſtas fœtum monſtroſum faciendi, maſculum vel fœmininum edendi: id quod ſapientiæ CREATORIS repugnare videtur &c. Tandem concludunt, quum via nulla detur, per quam animi hæc adfectio a matre ad fœtum transiret; quum morbi connati nervoſi non ſint; quum cauſſa effectu ficto ſæpe careat; quum nulla vel incerta inter cauſſam & effectum ſimilitudo; quum abſurditates in ſe contineat; quum obſervationes pleræque fictæ ſint; quum aliæ cauſſæ monſtra producentes probatæ ſint; hanc vim imaginationis maternæ, ad producendos nævos & monſtroſitates in fœtum, firmo omnino non niti talo, ſtatuendum eſſe putant.

Contra hæc argumenta inſurrexerunt Adverſarii, eaque ſingula ſuo robore & valore privare indefeſſi tentarunt: videamus illorum etiam de his argumentis judicium, &

Primo quidem, anaſtomoticum uteri cum placenta commercium non directum eſſe, cordatiores concedunt; eſſe tamen vaſa, quæ ab utero in placentam tendunt, & ejus nutritioni deſtinata, commercium alunt cum vaſis placentæ, fœtui nutrimentum præparantibus, adſerunt: eo-

rumque

rumque præſentiam probare conantur experimentis NOORTWYCKII, HUNTERI, MECKELII aliorumque *h*). *Secundo* nervos dari ad placentam ab utero tendentia, quæ ſine nervis agere, & circulationis munia obire, abſurdum eſſe, ſtatuunt; hinc ſequi, placentam etiam nervos habere, & argumentis a doct. J. U. SCHAEFFERO *i*) latius expoſitis, probare conantur. *Tertium* argumentum licet multi concedant, alii tamen non plane negandum dicunt, quippe qui veras etiam inter eas eſſe narrationes & hiſtorias non dubitant, v. g. SWIETENII obſervationem *l*), KAAUWII *m*), aliorumque ad aſſertionem probandam adducentes. *Quarti* argumenti vim infringere conantur obſervatione celebris UNZERI *n*), qua infantem ex matris gravidæ terrore, atrociſſimi terroris imagine per 12 annos laboraſſe viſum eſt: JACOBI PRIMI Angliæ Regis celebre porro adducunt exemplum gladium horrentis, ex eo quod Mater gravida ab enſe denudata perterrita eſſet: exſtat etiam apud cl. LORRY *o*), præter illam obſervatio-

h) Cf. cl. FORSTEN. *l. c. p.* 73.
i) In Diſſ. *de Commerc. fœtus cum matre per nervos, Erlangæ* 1775.
l) Vid. *Comm. t.* 3. *ad* §. 1075.
m) *Impet. faciens &c. p.* 349.
n) *Nonnullæ obſervat. quæ ad Medicum pertinent obſ.* 3.
o) *Lib. cit. p.* 98. *t.* I.

vationem Regiam alia, trementis Juvenis ab eo, quod mater maritum ſubito mortuum, gravida exhorruerat: præter plurimas alias. *Quinto* argumento quidem ſuffragantur, in genere, attamen ab imaginatione multas, aliunde non explicabiles, deduci debere nævos & monſtroſitates contendunt. *Sexto* argumento nihil contra eorum ſententiam probari volunt, quum vel a cauſſis accidentalibus, gravidæ v. g. ſenſilitate non ſatis magna, fœtu robuſtiori, animi adfectione leviori, hoc contingere videatur. Hinc & *Septimum* ex eodem fonte refutare conantur, quod ſcilicet non adeo frequens ſit cauſſarum ſupra memoratarum concurſus. Argumentum *Octavum*, *Nonum*, *Decimum* & *Undecimum* iisdem refutare conantur aſſertionibus; ſcilicet concedunt omnino alias eſſe nævorum & monſtroſitatum cauſſas; verum adſerunt, Imaginationis maternæ vim etiam horum nævorum aliquando cauſſam eſſe, & in illis caſibus tantam eſſe inter cauſſam effectumque analogiam, ut ab alia cauſſa deduci nequeant: ill. SWIETENII, KAAUWII, TODII *p*) aliorumque obſervationes adducentes: porro Luſus Naturæ in animalibus, vegetabilibusque ſæpe fieri, hinc eos non eſſe ab Imaginatione deducendos volunt, ſed ad hos, quosdam membrorum defectus, aliasque monſtroſitates, in fœtibus cenſpicuas, ſæpe reduci debere contendunt. Tandem *ultimi*

p) Vid. *Comm. Lipſienſ. vol.* 21. *p.* 238.

mi argumenti vim negant ex eo, quod Imaginationis effecta non eſſe in gravidæ poteſtate adſerant; æque parum ac aliorum animi pathematum abortum ſæpe efficiens vis in gravidarum manu eſt, eaque Imaginationis vis non niſi variis conditionibus, tum in matre, tum in fœtu, præſentibus agere, juxta eosdem, poteſt. Ex prægreſſis denique concludunt, quum via revera detur, per quam animi adfectus a matre ad fœtum tranſeat; quum morbi nervorum connati obſerventur; quum tanta inter cauſſas & effectus analogia; quum obſervationes multæ ſint ſententiam probantes, de quarum fide dubitari non licet; quum tanta eſt inter Caput & Uterum ſympathia, ut vel animi adfectus uteri prolapſum ſanare poſſe conſtet *q)*; licet cauſſa effectu quandoque careat; neque omnes monſtroſitates ab eadem cauſſa oriantur; doctrinam de Imaginatione materna nævos & monſtroſitates in fœtum producente, firmo omnino niti talo *r)*.

En B. L. ab utraque parte prolata argumenta: quo me vertam? quamnam amplectar ſententiam? ingenuo me neſcire fateri debeo. Quid enim juvenis, quid in œconomiæ animalis legibus

q) Vid. talem caſum apud BRUNINGIUM *de Ict. ſp. inf. l. c.*

r) Plura de his vid. in cl. KRAUSSE & ROEDERERI Diſſertationibus pro utraque ſententia Acad. Petropolitanæ exhibitis. Cf. *Comm. Lipſ. v.* 6. *p.* 455. & ROED. *Opuſc. Med.*

bus tiro; judicabit de re, de qua tot tantique Viri plane contraria judicarunt, in Charybdim inciderem, dum Scyllam vitare conarer; præſtat itaque quænam ſententia ſit potior, quænam probabilior, Virorum in Arte celebrium judicio ſubmittere. Hoc ſaltem conſtat, plures morbos ab animi adfectibus; gravidæ matris in fœtum redundare, fœtusque morbos multos ipſamque ejus mortem, inde aliquando ortum ducere; ſed eos ſæpe ab humorum maternorum vitiis, indeque inducta fœtui cacochymia, cachexia, prava nutritione, atrophia, ſimilibusque cauſſis potius, quam a directo Imaginationis influxu, pendere, quis negaverit?

Sufficiant itaque dicta hactenus ad probandam & illuſtrandam, quæ inter Caput & partes Generationi ſacratas invicem intercedit, ſympathiam, cujus cognitionis utilitatem in Praxin Medicam redundantem Sequente ſectione conabor demonſtrare.

SECTIO

SECTIO ALTERA.

QUÆDAM COROLLARIA EX PRÆCEDENTIBUS, QUOAD DIAGNOSIN ET CURATIONEM CAPITIS ET GENITALIUM MORBORUM, CONTINENS.

INTRODVCTIO.

Qui morbum novit, bene curare eundem, Veterum & Neotericorum eſt aſſertio; quam nemo, qui Praxin a limine tantum ſalutavit, facile negabit; hanc tamen Medicinæ partem diagnoſticam, quamvis antiquis temporibus magis auctam & perfectam, ſumma adhuc imperfectione laborare illi concedent, qui morbos nervorum ſolos vident & curare conantur: neque hæc pars Medicinæ ſola difficultatibus hic premitur: quid quod Ætiologica vix minoribus ſubjecta ſit? docent id morbi incurabiles ſæpe, ob cauſſam Medicum latentem, v. g. mania, epilepſia, apoplexia, cephalalgia, vertigo, verbo omnes memorati Capitis morbi, qui rationali Medico, quem cauſſa latet, vix curabiles ſunt: adeo quidem ut, quem evacuatio ſanaſſet, ſtimulantibus pereat, quum accedens Medicus vix, niſi poſt commiſ-

ſum

ſum lethalem errorem, morbum & ejus cauſſam agnoſcat: ſi exempla velis, annales adeas medicos, & innumera videbis: non incelebris Medicus HENRICUS AB HEER ægrum, cui V. S. ſupremum intuliſſet fatum, apoplectice quaſi profligatum, eupeptis & euchymis ſanavit, quum opinionem, qua experientia probatis ſignis ægrum a nimia venere laborare putabat, ægri teſtimonio confirmatam vidiſſet *s*).

Et quis non videt, his difficultatibus ſæpe premi illos morbos, quos animalis functio ex anomalia functionis ſexualis compatitur & condolet? ne nunc apoplexias, ne morbos memorem, ubi ipſi ægri, ſtipitum adinſtar jacentes, ſummam Medico incertitudinem, quid agat? inferunt: illæ aſſertum probant ſatis affectiones, quæ leviores ægrorum morbi cauſſæ cum Medico communicationem haud impediunt; ſed ex anomalia ſexualis functionis ortæ ægrorum oribus per panicum, & intempeſtive locatum, terrorem, vel & quandoque per ineptam pudicitiam, clauſtra quaſi imponunt.

Utinam in hiſce morbis ſigna exſtarent, quæ Medicum morbi cauſſæ & diagnoſeos facerent certiorem, ne per tenebras procedens in ſcyllam incidat, dum charybdim vitare cupit: quantæ

igitur

s) Vid. SCHURIGIUM in *Spermatol. p.* 262.

igitur utilitatis ſit in id inquirere, ut morborum Capitis ex hoc fonte orientium ſigna eruamus, & luci exponamus, ea ſatis, quæ humani generis ſalutem augerent, illudque ſæpius a morte vel miſera vita liberarent, teſtatum faciunt.

Verum dolendum, quod ea inter pia deſiderata potius adhucdum locum obtineant ſigna, neque unquam, niſi improbo labore, ſumma ingenii perſpicacia, & magno obſervationum numero eruenda ſint. Noſtrum tamen eſt, ad hoc opus aliquid, levidenſe licet, conferre, eaque, quæ ex obſervationibus ſupra memoratis probari poſſunt, ſigna, colligere; ordinem itaque eumdem, quem ſuperioribus pagellis tenuimus, inſtituamus, & a cephalalgia conſenſuali Principium petamus.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Signa, quæ ex functionis Animalis perturbatione, ad Diagnoſin Anomaliæ Functionis Genitalis, elici poſſunt.

§. I.

Capitis Affectionum ex memoratis cauſſis orientium Diagnoſis.

Caput ab utero affici certum: ſigna, quibus illa Capitis adfectio conſenſualis ab aliis ſympathicis & idiopathicis diſtinguatur, minus certa videntur.

HIPPOCRATES, GALENUS, SENNERTUS, SYDENHAMUS, aliique ſupra citati Auctores, in uteri malis occipitis dolorem obſervarunt: SCHUCHMANNUS & RAHNIUS *t*) etiam probarunt, in uteri adfectionibus adfuiſſe talem dolorem & nuchæ ſpasmodicam contractionem: an itaque tanta occipitis cum genitalibus ſympathia? rei certitudinem doceant illæ obſervationes, quibus patuit, ab occipitis læſione impotentiam fuiſſe ortam; talis eſt HILDANI *v*) &

t) Vid. *cap.* II. §. I.

v) *Cent.* 6. *obſ.* 59.

& BAGLIVII *x*); quod occipitis cum genitalibus commercium jure merito a communicatione nervorum cervicalium cum nervo intercoſtali derivat cl. ASCH *y*). Quæ quum ita ſint, meretur hoc ſignum attendi maxime, ut uteri malorum ſæpe ſatis abſconditorum eo major & certior Medico formari poſſit diagnoſis.

Sed rogabit quiſpiam, num tanta potioris ſexus genitalium cum occipite ſympathia? res minus explorata digna videtur, quæ per obſervationes confirmetur: ratio ſaltem docere videtur, & mox memoratæ HILDANI & BAGLIVII obſervationes probant, affecto occipite affici poſſe genitalia: num & contra? adducit SCHENCKIUS obſervationem Viri urinæ ſuppreſſione laborantis, cui, cum urethræ immitteretur catheter, nucha & totâ cervix ſpaſtice convellebatur *z*): celebris TISSOTUS *a*) exemplum vidit juvenis nefando onaniæ vitio dediti, cui, quoties ſemen ejaculabat, poſterior Capitis pars ad cervicem retrahebatur, quæ Capitis retractio poſtea habitualis facta eſt, labe ſcilicet genitalibus per immenſum illud crimen inducta.

Nonne

x) *Oper. p.* 347. Conf. *Eph. N. C. dec.* I. *ann.* 4. *obſ* 104.

y) In Diſſ. *de primo pari nerv. med. ſpin. Gott.* 1751. Cf. RAHN. *diſſ. cit. p.* 17.

z) *L. c p.* 508 *obſ.* 18.

a) *De Manuſtupr. p.* 195.

Nonne itaque in dubiis caſibus, ubi famæ Medici periculum adfertur ſummum, his ſignis aliquomodo fidendum, &, ſi ſolita remedia mali cicurationem non afferant, in id incumbendum, ut per piam fraudem, vel quovis alio modo, morbi diagnoſeos fiamus certiores, ad id perficiendum ea, quæ magis conſtant ſigna, in Capite, præſenti genitalium labe, obſervanda, ſuam ſymbolam conferunt.

§. II.

Quæ ſigna Genitalium labes in Capite exhibet.

A menſibus & lochiis ſuppreſſis ſæpe verticis dolor cum frigore, clavi, hemicraniæ, ut paſſim docent obſervationes WEPFERI, SYDENHAMI aliorumque; qui dolor in iis, qui topica genitalium labe laborant, aliquando obſervatur; mihi ſaltem in Juvene talem dolorem verticis cum frigore obſervaſſe licuit.

Sic in hyſteritide ſpasmus cynicus, & riſus ſardonius, oculorum dolor gravis, ſplendor: ſic in ſyphilitide ſæpe ophthalmia: vidi in Collegio practico (caſualem vocant) cl. VAN DOEVEREN, talem, quam ſupra jam memoravi, venereæ ophthalmiæ in Juvene ſpeciem, optimis non cedentem remediis, donec ad ſyphilitici miasmatis ſuſpicionem determinata mercurialia

reme-

remedia effecerunt, ut ſanitatis ſpes ſumma eluceſceret, & per plures menſes duraret: poſtea tamen absque manifeſta, cl. PRÆCEPTORI ſaltem nota, cauſſa fere omnis evanuit, quum nova oculi ſiniſtri inflammatio interna cum chemoſi ſubito poſt violentam cephalalgiam orta ſit, & ex ea ſuppuratione facta ejusdem oculi verum hypopyon fuerit enatum. *b*).

Oculorum debilitas, cataracta, amauroſis quoties labis genitalium ſigna, ita, ut piaculum ſit in morborum oculorum therapia ad functionem genitalem non attendiſſe: ſpasmum illum Hippum *b**) nimiæ veneris & onanismi documentum antiſpasmodicis nunquam curares, dum abſtinentia a venere, euchyma & eupepta illum cum mali cauſſa radicitus tolleret.

Oris & faucium affectiones quoties Luis Venereæ diagnoſin præbeant perito ſatis certam: fœtidam oris exhalationem ab uteri ſcirrho & ulceratione ſæpe oriri vidimus ſupra. Ipſa a genitalibus labe ſyphilitica adfectis anima patitur *c*); puſillanimitas ſæpe abortum præit ex HIPPO-

CRA-

b) Vid. quoque celebrem & experti ſſimum Chirurgum DAMEN, in egregio ſuo libello, nuper edito, *de Tumoribus cyſticis l. c.*

*b**) Vid. *p.* 24.

c) Vid. §. *ult. Cap. præced.*

CRATIS obſervatione *d*), eademque affectio in potiori ſexu a genitalium refrigerio orta legitur *e*). Timor genitalia ſpaſtice contrahit *f*), contra a teſtium dolore delirium obſervavit BONETUS *g*).

In ipſo ſtatu ſano facies genitalium mutationis index: circulos lividos oculorum in menſtruantibus ſæpe conſpici, lippis & tonſoribus notum: nigram faciem gravidæ, puerperam relinquentem, LORRY obſervavit *h*): verum, ne dicta repetamus, quum genitalium partium affectarum, quæ Caput ſpectant, ſigna, ex prioribus ſatis conſtent; quumque increſcens plagellarum numerus Academicæ Diſſertationis limites in memoriam mihi revocet; hæcce ingenio B. L. ulterius relinquenda, & ad ea, quæ in præcipuis Capitis morbis, quoad Genitalia obſervantur ſigna, greſſum dirigendum eſſe puto.

d) L. I. *de Morb. mul.* §. 6.
e) Vid. SALMUTHI *Cent.* 3. *obſ.* 91.
f) Vid. SCHURIGII *Spermat.* p. 317.
g) *Theſ. med. pract.* t. 2. p. 1177.
h) Vid. p. 23.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Signa in Genitalibus conſpicua ad diagnoſin morborum Capitis facientia.

§. I.

Signa in Genitalibus, ad Diagnoſin morborum Capitis facientia, in variis morbis a Variis obſervata.

Priapiſmum & Satyriaſin ſæpe epilepticorum ſymptomata eſſe ſatis perpetua, docent obſervationes A. CAPPADOCIS *h**), C. AURELIANI *i*), F. HOFFMANNI *l*) & SCHENCKII, qui illam ſpeciem epilepſiæ aphrodiſiaſticam priapiſmo invadentem, & ſeminis ejaculatione terminatam, deſcripſit, uti vidimus: BONETUS *l**) epilepſiæ hujus ſedem in ſpiritu ad genitalia determinato ibique eorum erethismum producente terminabat: priapiſmus in apoplecticis etiam ſæpe obſervatur; hoc SALMUTHUS *m*) obſervavit; & AUENBRUGGERUS

H 2

*h**) *De morb. acut. l.* 1. *c.* 5.
i) L. 1. *c.* 4.
l) *Oper. t.* 3. *p.* 9. §. 3. *cap.* 1. Cf. *Act. Ph. Med. t.* 2. *p.* 402.
*l**) In *Polyalthe t.* 1. *p.* 832 & 835.
m) *Obſ.* 29. *cent.* 3.

GERUS n), illud ſymptoma in apoplectice mortuo annotavit: Epilepticis teſtes retrahi mox memoratus SALMUTH o), & humidos eosdem melancholicis eſſe memoravit BONETUS p). Impotentia a cephalalgia orta legitur q), & apoplexiam teſtes tumidi ſæpe præſagiunt r): & ipſam paralyſin ad ſalacitatem diſponere, videntur docere obſervationes s). In hydrophobia, horrendo morbi genere, ſatyriaſis & priapiſmus ſymptomata conſtituunt frequentia t), ita quidem, ut C. AURELIANUS non dubitaverit ſatyriaſin inter propria morbi hujus ſigna collocare v). Huc referimus aſſertum Hippocraticum, (licet generaliter id non admittamus) quo, convulſa teſtes & pudenda mortem minari, teſtatur x).

Animi

n) *Experim. naſcens de remedio Specifico ſub ſigno ſpecifico in mania virorum, Vienn.* 1778. *ed.*

o) *Cent.* 1. *obſ.* 99.

p) *Theſ. med. pr. t.* 2. *p.* 1149. §. 20.

q) *Med. ſept. t.* 1. *p.* 874.

r) Vid. *Comm. Norimb. ann.* 1735 & 1737. *p.* 157.

s) Vid. SCHURIGIUM in *Sperm. p.* 247, 261, 268. Conf. ſupra *p.* 45, 46.

t) Vid. OOSTERDYK SCHACHT *Inſt. med. pr. ſ.* 2. *l.* 1. *c.* 5. §. 9.

v) Vid. BONETUM in *Merc. comp. p.* 215, 216. Conf. WHYTT *on vital and involunt motions p.* 136.

x) Vid. HIPPOCR. in *Progn.* Conf. CARPIUS in MUNDINUM *p.* 291. HALLERUS *El. phyſ. t.* 7. *p.* 417.

Animi adfectiones genitalia adficiunt *y)*, & ex genitalium habitu de ingenio nonnulli judicare auſi fuerunt *z)*. Teſticuli ſæpe retrahuntur melancholicis, & fœminis in nervoſa melancholia ſæpe ſemen excernitur *a)*.

§. II.

Signa in Genitalibus conſpicua, quæ Maniæ diagnoſin illuſtrant.

Genitalium ſigna ulteriori indigent obſervatione, ut diagnoſtica Medicinæ pars certiori fundamento, quoad hos Capitis morbos, innitatur: ſpem hic obſervationibus dat recens cl. AUENBRUGGERI *b)* obſervatio, qua ſpasmum partium genitalium in Viris maniacis, quos tractavit, & certa methodo propinata camphora ſanavit, perpetuum invenit. Actio caphuræ in his ſympathiam, de qua diſſerui, maxime elucidat; vix enim ingerebatur maniaco camphora, quin mentis commotio, congeſtiones ad Caput, oculorum mobilitas, ſplendor, ſpuma oris, aliaque ſymptomata Caput infeſtantia orirentur, ſimulque ſolveretur plus minus ſpasmus genitalium, quæ ſolutio quo felicius, quo facilius impetraretur, eo etiam felicius cicurabantur memorata ſymptomata,

y) Vid. SCHURIGII *Spermat. p.* 317.
z) Vid. SCHURIGIUM *ibid. p.* 320. *&* *ſeqq.*
a) Vid. cl. LORRY *l. c. p.* 59.
b) *Libr. cit.*

ta, ægerque ſanam in ſano corpore mentem recuperabat.

Notandum autem (licet proprie ad inſtitutum noſtrum hoc non pertineat) utilitate in praxi ſeſe commendans ſignum, quod memoratus Auctor in maniacis, cui ille genitalium ſpasmus aderat, perpetuum obſervavit, *vulſio* ſcilicet *manus ad interiora*, quæ præſagium convulſorum genitalium in maniacis præbet, ita quidem ut hoc fundamento nixus cl. AUCTOR duabus fœminis furore uterino laborantibus caphuram, & feliciſſimo quidem cum ſucceſſu, propinare haud dubitaverit.

Quæ quum ita ſeſe habeant, patet, ſummi momenti eſſe in morborum Capitis therapia, ad genitalia attendere: iisque, quibus occaſio eſt maniacos tractare, ad ulteriorem utiliſſimæ cl. AUENBRUGGERI obſervationis confirmationem, in hoc ſignum inquirere, uſumque caphuræ in mania explorare officium jubet *b**).

*b**) Eo quidem magis, quum expert. ARDESCH, ſe idem ſymptoma in multis maniacis obſervaſſe, mecum communicaverit.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Medicamenta, quæ genitalibus applicata morborum Capitis Therapiæ maxime conveniunt.

§. I.

Corollarium ex prioribus ad ſanationem morborum Capitis ex memorato fonte ſpectans.

Facile ex propoſitis eluceſcere mihi videtur, in morbis Capitis, per ſympathiam a genitalis functionis anomalia ortis, cephalica dicta remedia nullo modo conducere, ut eorum ſanatio felix ſit & rationalis; conducunt e contrario varia, quæ in genitalia agunt, remedia, menſtruorum vel lochiorum anomaliam corrigentia, æſtum temperantia, deobſtruentia, roborantia, brevi omnia illa remedia, quæ cauſſas in genitalibus præſentes, & memoratos Capitis morbos producentes, abigendo ſunt. Hæc remedia ex fonte diætetico, pharmaceutico & Chirurgico petuntur, & cuique Medico nota, noſtri fori non ſunt: ſolum illa hic breviter attingam, quæ genitalibus directe applicata, vel iis impoſita, morbos Capitis ſympathicos tollunt, remedia: quid-

que in iis caſtratio, quid moderata Venus efficiat, indagabo.

§. II.

Remedia quædam, quæ genitalibus admota morbos Capitis tollunt, eorumque agendi modus.

Ad horum remediorum claſſem refero

1°. *Hirudines* genitalium interiori parti applicatas. Inuſitatum hoc, ſed egregium remedium multo nomine in morbis Capitis tum idiopathicis, tum ſympathicis, maxime tamen a genitalis functionis anomalia ortum ducentibus, conducit: nam

α) *Egregie revellit a Capite:* ſcilicet tanta eſt Capitis cum genitalibus ſympathia, ut animi pathemata, momento quaſi, congeſtiones in illis partibus efficiant, & contra ab ipſis genitalibus citiſſime affectiones ſpasmodicæ ad Caput pergant: documento ſit genitalium in utroque ſexu ad libidinoſam mentis ideam & Capitis in coïtu affectio: quum itaque tanta ſympathia inter illas partes ſit, hujus medicamenti uſum egregium in Capitis morbis, vel *a priori*, ut ajunt, affirmare poſſumus.

β) *Spasmos fallit:* ſpasmodicae ſcilicet affectio-

fectiones Capitis, clavi, ova, & id genus congeſtiones aliæ, contra V. S. aliaque revellentia rebelles, huic remedio cedere eo fundamento credimus, quo conſtat remedium laudatum, ea vi maxime pollere, ut ſpasmos quaſi alliciat ad loca, ubi applicatur & hoc eo magis in noſtro caſu verum, quo verius etiam in ſano ſtatu ſpasmodicas conſtrictiones ab animi adfectionibus natas ſæpe a Capite ad genitalia, citiſſimo mortalibusque inexplicabili modo, derivari; quo verius HIPPOCRATEM *c*) eandem ſympathicam curam, iisdem nixam fundamentis adhibuiſſe, quum cucurbitam in nimio menſium profluvio mammis applicari juſſerit.

γ) *Menſtrua & lochia, ſi ſuppreſſa ſunt, ſæpe reſtituit:* irritatione enim facta ad mulierum genitalia humores eo allicit, vim vaſorum uteri incitat, copiam ſanguinis imminuendo cauſſam congeſtionum minuit, & plethoram: quo nomine multum etiam in Capitis morbis conducere hoc remedium poſſe facile quilibet percipit. Neque rationi contrariatur Experientia: ſic Z. LUSITANUS in puerpera lochiis ſuppreſſis laborante, poſt opti-

c) *Sect*, 5. *aph*, I.

optima, cujuscunque generis irrito tentata remedia, hoc remedii genus applicuit feliciſſimo cum ſucceſſu *d*). Hunc ſecutus videtur MAJAULT, qui in fœmina ex menſtruatione anomala maniaca, ſolitis nihil juvantibus remediis, per hirudines genitalibus applicitas, plenariam morbi ſanationem, ablata ejus cauſſa, effecit *e*).

Quum itaque huic remedii uſui æque ratio faveat ac Experientia, quum tot caſus exſtent, in quibus aqua Medico hæret, & vulgaris haud ſufficit Medicina, nulla mihi ſupereſt difficultas id remedii genus in deſperatis caſibus adhibendi, in illis fœminis, quæ ab anomalia functionis genitalis rebellioribus morbis Capitis laborant. Et, licet earum uſus in viris experientia nondum, quantum mihi conſtat, probatus ſit, juſta tamen videtur ex analogia concluſio, in caſibus quibusdam idem remedium virilibus applicatum genitalibus, multum poſſe, cum vel ad pubem, vel ipſum penem, ejusque glandem, præputium, ibique decurrentia vaſa apponuntur, pro varia morbi indole, gradu, vel periculo.

Hinc maxime in illis indicantur caſibus

d) Vid. SCHURIGII *Parthenol. p.* 171.
e) Vid. *Journal de Med. t.* 18. *p.* 18.

bus, ubi præſtát anceps remedium, quam nullum; in Apoplexia v. g. graviori, V. S. non cedente, hæc animalcula, ſi in promptu eſſent, poſſent applicari dictis partibus, vel & teſtibus, qui in hoc morbo tument, quum Natura videatur eo congerere humores *e**). Species illa maniæ a cl. AUENBRUGGERO deſcripta, ubi genitalium relaxatio, & ad ea congeſtio ſanationem morbi conſtituit, indicare videtur etiam hoc remedii genus, quatenus certe revocat humores a Capite ad teſtes.

Pulchrum etiam fore earum effectum quodam jure ſuſpicamur, ubi lochialis vel menſtruus fluxus anomalice motus Caput petit, & ex eo erumpit, neque aliis remediis ſolitis poteſt evacuari, ſic & in narium hæmorrhagia periculum minitante in utroque ſexu opem ferre poſſent.

II°. Huc reducenda ſunt *Remedia externa varia*, peſſaria, emplaſtra, fomenta, cataplasmata, balnea, ſemicupia, vapores, injectiones, evulſio pilorum pubis, quæ epilepſiæ & paſſioni hyſtericæ paroxismos ſolvere ab HILDANO *f)* & SENNER-

TO

*e**) Vid. *ſect.* II. *cap.* 2. §. I.
f) *Cent.* 6. *obſ.* 25.

TO *f**) obſervata eſt, & id genus alia, pro diverſo morbo diverſa: ſic in hyſtericis morbis emplaſtrum antihyſtericum pubi applicatum morbum ſæpe ſanavit: peſſaria irritatione derivant, revellunt a Capite, hinc congeſtiones a Capite, minuunt & tollunt. Sic & frigida fomenta multum præſtant in narium hæmorrhagia, ſi genitalibus applicentur *g*): ſuccus ſempervivi teſtibus applicatus etiam hæmorrhagiam narium & ebrietatem ſiſtit, teſtante BAGLIVIO *g**): ſic & idem remedium tepidum genitalibus applicatum multum valeret in morbis Capitis a ſpasmo vel ſtrictura genitalium ortis: teſtibus admota hæc fomenta forte conducerent in illa Eryſipelatis ſpecie, quam Angli *Mumps* vocant, ubi materies frequenti morbi exitu ad teſtes deponitur *h*).

Vaporum, ſuffimigiorum, & quæ id generis ſunt, remediorum actio facile ex prioribus intel- ligitur,

*f**) *De Epilepſia p.* 625.
g) Vid. BUCHAN *Domeſtic. Medic. London* 1772. & cl. OOSTERYK *Inſt. pract. l.* 4. *c.* 1. & maniſeſtiſſimum exempl. ap. VAN SWIETEN in *Comm. tom.* 4. *p.* 38.
*g**) *Op. p.* 347.
h) Vid. *Medic. and Chirurg. obſervat, as an appendix to a former publication by* B. GOOCH *London* 1773. *p.* 13.

ligitur, adeoque pro varia indole & actione in variis morbis Capitis a genitalibus ortum ducentibus poſſent tentari.

§. III.

De Caſtratione, ut remedio, nonnulla.

Minus commendabile videtur heroicum illud remedium, quod in mania maxime commendarunt, *Caſtratio* nempe, quæ diriſſimo morbo dira Medicina a multis fuit propoſita, & quibusdam etiam in uſum vocata: BONETUS v. g. illam laudat in mania & melancholia *i*), imo etiam in epilepſia *k*). FORMIUS, in obſervationibus cum L. RIVERIO *l*) communicatis, hanc cum felici ſucceſſu tentaſſe legitur: neque hæc Medicina Veteres latuit *m*), & hos ſecuti ſunt varii recentiores; imo recentiſſimus Auctor, qui in aberrantis a ſano ſtatu mentis affectibus & depingendis & ſanandis ſummam meruit laudem, cl. LORRY, non plane improbat hoc remedium; quod eo revera minus plane impotens videtur, quo certius nuperrima cl. LOUISII obſervatio docuit, juvenem a lapſu delirantem ſibi teſtes abſcidiſſe, & ex eo reſipiſcentem fuiſſe ſana-

i) *Theſ. med. pract. t.* I. *p.* 705. §. 25. & *p.* 1152. §. 34. *Med. Sept. t.* I. *p.* 840.

k) *P.* 683. §. 25. *Theſ. med. pract.*

l) *Obſ.* 32. *p. m.* 339.

m) Vid. F. PLATERUS *l.* I. *c.* 3. *p.* 132.

ſanatum *n*): quid itaque, quod caſtratio, dum in illis caſibus, ubi mania fuit idiopathica, profuit, non prodeſſet in maniacis, qui ex acri corrupto ſemine morbum ſuum contraxerunt *o*). Mania laboraſſe illum virum declarare vix dubito, quem memorat eruditiſſimus Medicus interque Goudanos Practicus perquam celebris B. H. DE MOOR *p*), qui ſibi ipſe teſtes abſcidit, & ex eo Eunuchus reſipiſcebat: & videntur illi, qui dirum hoc remedium ſibi ipſi applicarunt, jure merito inter maniacos referendi. Immerito autem SCHURIGIUS illud eo fundamento rejicit, quod conſenſus inter Caput & teſtes magnus non eſſet *q*): contrarium enim probant obſervationes præcedenti Capite recenſitæ, & mox memorata LOUISII obſervatio.

Maximum autem emolumentum, quod a Caſtrationis uſu in hoc morbo ſperamus, eſt, ut, qua agat, ratione cognita, ei ſubſtituantur minus crudelia remedia iisdem, vel & paullo debilioribus, viribus pollentia, ut in minori ſaltem maniæ gradu convenirent, iisdemque irritis applicitis, caſtratio in deſperatiſſima maniæ ſpecie tentari

n) Vid. *Comm. de rebus in med. &c. v. 9. p.* 449. et conf. *Eph. germ. Cent.* 1. *obſ.* 62. *Cent.* 9. *obſ.* 67.

o) Vid. SCHURIGII *Spermat. p.* 123.

p) In egregia diſſ. inaug. in *Aphor.* HIPP. 28. *ſ.* 6. *p.* 9. *L. B.* 1736. edita.

q) Vid. *Spermatol. p.* 441.

tentari poſſet: ſaltem, quod a SCHURIGIO propoſitum, alter evelli teſtis poſſet, ut ſic heroicum illud remedium minus dirum quodammodo redderetur *r)*: agere autem hoc remedium videtur, ut, dum organa ſeminifera tolluntur, effectus in corpore redundantes a ſemine deleantur, unde totius corporis effœminatio, laxatio & teneritudo: ipſa effœmineſcit mens, & mutari videtur. Hinc AVENZOAR caſtratos dimidium intellectus modo habere, aſſeruit *s)*. Et hoc nomine maxime convenit in iis morbis Capitis, qui a ſalacitate nimia ortum ducunt *t)*: horum enim cauſſam omnino tollit.

Revellit præterea, ſpasmo fallit, a cerebro derivat, nervos ita afficiendo, ut eorum energia ad locum, ubi operatio fit, maxime determinetur. Et hæc mihi videtur cauſſa, cur quibusdam mox poſt abſciſſa genitalia mania fuerit curata: talis fuit agendi modus caſtrationis, in obſervatione cl. LOUIS memorata, ubi mox facta operatione æger reſipiſcebat, forte hac ratione ageret ſemicaſtratio a SCHURIGIO propoſita, quatenus revulſio fit, & energia nervoſa operatione ipſa a cerebro revocatur; cum tamen monor-

r) Vid. SCHURIGIUM *l. c.*
s) Vid. BONETUM in *Merc. compital. p.* 407. §. 58.
t) Cf. SCHURIGIUS in *Spermatologia & Gynæcologia* paſſim.

monorchides ad procreandum aptitudine haud deſtituantur *u*).

§. IV.

Alia quædam memorans Remedia, eorumque in Caput & Genitalia agendi modum indagans.

Varia tamen ſunt Remedia, quæ ipſi dictæ operationi ſubſtitui poſſe videntur; & animo volventi, quæ de mania ejusque remediis ab Auctoribus litteris mandata ſunt, mihi videtur dari quædam convenientia, inter illa antimaniaca remedia & ipſam caſtrationem. Sic v. g. Opium ſecretiones & excretiones minuendo ſeminis etiam ſecretionem videtur minuere; licet ipſum illud opium congeſtiones ad caput & Genitalia efficiat: hinc de opii vi venerea tot & tantæ ortæ ſunt lites, quod quandoque egregium in mania uſum habuiſſe legitur *v*). Camphoram Antaphrodiſiacam Veteres jam dixerunt *w*): congeſtiones tamen ad Caput & genitalia ab ipſa illa caphura ſufficienti doſi data oriri, docuit cl. AUENBRUGGERUS, maxime illa obſervatione, ubi apoplectice æger a caphu-

u) Vid. SCHURIGII *Spermat. p.* 410. *ſeqq.*
v) Vid. N. FRIBORG in *Comm. Lipſ. vol.* 23. *p.* 176.
w) Neque hujus ſententiæ vim infringunt, quæ habet PAULLINUS *in Eph. N. C. anni 6. 7. Obſ.* 235. *p.* 343.

caphura moriebatur: & ſi attento animo cl. modo laudati Viri obſervationes evolvamus, videtur levis apoplexiæ gradus requiri, ut ſolvatur mania, omnes enim ab adſumpta caphura maniaci congeſtiones humorum ad Caput & Genitalia earumque effectus comatoſos quam clariſſime demonſtrarunt, quæ ſigna apoplexiæ diagnoſtica revera ſunt, ita quidem ut in graviore hujus morbi gradu priapismum & tumidos teſtes adeſſe ſupra jam memoraverim.

Antimaniaca doct. LOCHERI *x)* mixtura ab aceto & caphura maximam vim repetens hac etiam actione maniam tollere videtur: ingeſto paullo acriori, quam quod ſolitus eram, aceto, topicam ad frontem & ad verticem congeſtionem, non niſi diluentibus cedentem, expertus fui, repetito ſucceſſu: ad genitalia autem humores congerere ipſum illud medicamentum, probant effectus emenagogi ab aceto obſervati: hinc etiam hac vi multum ad ſanandam maniam a menſtruo vel lochiali fluxu ortam confert *y*). Egregie hinc patet Sympathia inter Caput & genitalia, egregie hinc intelligi poteſt neceſſitas harum partium inter ſe invicem, ut, cum altera ſpasmodice affecta ſit, altera etiam ſpasmo laboret; cum altera laxetur, alterius ſpasmus ſolvatur; altera

tera

x) Vid. *Obſ. pract. circa L. V. Epilepſ. & maniam.*
y) Conf. AUENBRUGGERUS *ibid. p.* 68.

tera congeſtiones patiatur *y*)*. Ex hisce conſtare poteſt, cur Apoplexia cauſa mortis eſt propria qua ſi Maniacis & Melancholicis: videtur ſcilicet in mania adeſſe cerebri & genitaluim affectio ſpasmodica, quæ vel medicaminibus ſoluta ſanitatem inferat, vel ſpasmum ſequente atonia reſoluta paralytice quaſi, & ſic ſanguine violenter ad illas partes ruente, apoplexiam lethalem inducat.

Brevis itaque ex hac theoria patet, qui inter ſanationem mortemque maniacorum intercedit, terminus: hac theoria nititur effectus remedii, quod LOCHERUS *z)* laudat, ex opio & caphu-

y)* Probat ulterius aſſertum hoc obſervatio militis (quem per ſummam expert. BLUMER benevolentiam videndi mihi occaſio fuit ſuppeditata) ab incognita cauſſa hypochondriaci cujus ſenſorium commune turbatum, ſpasmus faucium, cephalalgia, vertigo, Caput adfectum manifeſto demonſtrabant; quibus ſe adjungebat dyſuria & mira perceptio frigoris & apathiæ circa genitalia, dum ſemper de retractione teſticulorum ad abdomen conqueritur: examinata genitalia flaccida, verum cæterum ſana inventa ſunt: quum autem de miasmate Venereo, quo olim infectum ſe fuiſſe æger fatetur, ſuſpicetur expert. Auctor, mercurio cum caphura cum ſucceſſu utitur, ita quidem ut morbus multum inde cicuratus ſit.

z) L. c.

caphura compoſiti: ex hac theoria explicatur facile, cur gravidæ & puerperæ maxime huic morbo ſint obnoxiæ; hinc eſt, quod maniæ imminentis ſigna maxime ſunt congeſtiones ad caput, venerisque appetentia; hinc moſchus vi ſua antispasmodica tantum valet in hoc morbo.

Hinc hoc fundamento (probata ſcilicet inter Caput & Genitalia Sympathia) in hoc morbo tentari poſſunt Cucurbitæ ad caput & genitalia applicandæ, ut humores non ſolum ſubducant, plethoram, ſi in cauſſa eſſet, minuant, ſed & ad loca, ubi applicantur, revellant.

Hoc ſcopo linimenta fomenta, emplaſtra acria, ſtimulantia, caphurata anodyna, rubefacientia, quidni ipſa veſicatoria? teſtibus pubique in viris, & fœminis vulvæ applicari poſſent, ut ſic Syſtemate nervoſo in actum deducto, humorum maſſa ad genitalia revocata per mirabilem ſympathiam, morbus ſanaretur. Veſicatoria enim teſtibus applicata mala multa proferre non videntur; quum cl. SCHLEGERUS per ea emplaſtra ad ipſum locum adfectum applicata teſtes venereos & ſcirrhoſos ſanaverit *z**).

Hæcce qualiacunque de celebratorum in mania remediorum agendi modo diſſerere mihi libuit, paucis forte placitura, qui hypothetica ex Medicinæ

*z**) Cf. cl. FORSTEN *in diſſ. de Cantharidibus* p. 119.

dicinæ campo exſulare omnino jubent; neque, ſi certiora determinari poſſent, hæc mea lucubratione judicarem digna: nunc autem, quum meliora mihi ignota ſint, officiumque dictet in diro illo morbo remedium quoddam invenire, quod ſi non in omni caſu, plerumque ſaltem ſufficere poſſit, Medici eſt in illud maxime inquirere, & probabilem theoriam experientiæ non refragantem ſequi.

§. V.

Veneris uſum in morbis Capitis ſympathicis prodeſſe probatur.

Veneris uſus hic maxime in cenſum venit, quippe qui multum in morbis capitis ſanandis, a partium generationi dicatarum labe quacunque orientibus, prodeſt. Neque hoc mirum videbitur, qui morbos, quos ex coitus abſtinentia nimia oriri poſſe probavimus, conſideraverit: Melancholia enim, Mania, Hyſteria, Epilepſia, & inprimis Nymphomania, ſi ex acri abundante materie ſeminali oriuntur, nullo remedio promptius & citius ſanantur, quam ipſo coitu. Ratio ipſa hoc ſuadere videtur: nam præter irritationem gratam partium genitalium, motum corporis quaſi convulſivum, ſyſtema nerveum ita rapitur in turbas & trahitur in erethismum, ut mutationes omnino mirandæ toti corporis œconomiæ inferantur:

rantur: ſic a coitu Epilepſiam, Apoplexiam *a*) & Paralyſin ortam, ipſamque mortem inde productam, legimus. Quum itaque hoc remedium maxime agat in ſyſtema nerveum, facile patet in morbis ſyſtematis ejusdem ſæpe egregii uſus eſſe poſſe, vel ad motus irregulares ſedandos vi revellente & irritante, vel ad excitandos alios ſui generis motus, ut ſic ſyſtema nerveum plane mutetur. Hinc & in ipſo nimio menſium fluxu *a**) & delirio *a***) profuit aliquando Venus.

Hoc etiam nomine convenit in pertinaci menſium & lochiorum ſuppreſſione indeque orientibus morbis Capitis modo memoratis, & ipſa experientia ſummæ utilitatis eſſe coitum in illis affectionibus docet; ſic in melancholia profuiſſe venerem obſervationes A. LUSITANI, BIERLINGII aliorumque *b*) probant. Neque in ipſa melancholia atrabilaria repudiandus eſt coitus, præterquam enim, quod illo erethismo ſolvantur & expellantur acres particulæ, & anima ab objecto, circa quod delirat, avertatur, ſicque ejus-

 dem

a) Vid. *Eph. N. C. dec.* I. *anni* IX. & X. *obſ.* 159. *p.* 351. conf. SCHURIGII *Sperm. p.* 275.
*a**) Vid. *Act. Haffn. v.* 3. *obſ.* 79. *p.* 141.
*a***) Vid. PAULINI *obſ. med. ph. cent.* 3. *obſ.* 88. *p.* 386.
b) Vid. SCHURIGIUM in *Gynæc. p.* 115. & *Spermat. p.* 281. *ſeqq.*

dem pathemata mitigentur *c*), ipſa melancholiæ cauſſa in utero latere poteſt, unde nullo remedio melius, quam coitu, evacuatur *d*): accedit etiam, quod melancholia humoralis ſæpe, ex obſervatione cl. LORRY, terminetur evacuatione materiei acris ex utero; quam evacuationem coitu promptiorem poſſe fieri, analogia ſuadere videtur: hinc & ob easdem cauſſas, quum cauſſæ maniæ maxime in hypochondriis & utero lateant, ut obſervationes magni ejusdem Viri demonſtrant *e*), vix dubitamus, quin & in hoc morbo ſanando multum valeat coitus: ipſe HIPPOCRATES virginibus tali morbo laborantibus coitum jam ſuaſit *f*): & ipſa ratio hujus remedii uſum probat in his, ſimilisque farinæ, morbis, quum ſæpius hi morbi menſtruatione, pubertate, ſolvantur, aut ſi, quod rarum non eſt, illo tempore oriantur, coitu, graviditate vel puerperio ſanentur *g*). Erotomiam ad hos morbos refero, ubi mulieres absque ullo in objectum certum delirio, laſcivos edunt geſtus, fœdiſſima verba loquuntur, lacrymas fundunt, pruriunt iis genitalia,

c) Hoc jam HIPPOCRATES obſervaſſe videtur, vid. SCHURIGII *Spermat. p.* 278.

d) Vid. cl. LORRY *l. c. p.* 314.

e) Vid. *l. c.*

f) Vid. SCHURIGII *Gynæc. p.* 118. *Spermat. p.* 282. ubi exempla furoris uterini, maniæ, delirii multa invenies coitu ſanata.

g) Conf. LORRY *l. c. p.* 169 & 290.

talia, quæ ſcalpta finem paroxysmo imponunt, quem pudor, mœror & ſui odium ſequuntur. Venerem in tali caſu Veteres jam propoſuerunt: & Recentiorum etiam experimentis, quæ apud SCHURIGIUM *h)* collecta exſtant, ejus uſus in his morbis probatus videtur. Ulterior hujus morbi gradus hyſteromania, vix ullo, niſi coitu, remedio ſanatur: exempla duo memorabilia narrat SCHENCKIUS fœminarum hoc morbo laborantium, quarum hæc licita, altera omnino illicita, venere morbo liberata fuit *i)*.

Venus etiam Epilepſiæ, Hyſteriæ, aliarumque ex utero orientium morborum convulſivorum medicina fuit, ut patet, ſi SCHURIGIUM *k)* ſolummodo evolvamus, ſique exemplum illud epilepſiæ matrimonio ſanatæ, quod exſtat apud celebrem HOVIUM *l)*, conſideremus. Hinc mirum non eſt, cephalalgias, odontalgias, aliosque minoris momenti morbos, coitu ſanatos fuiſſe, ut paſſim *m)* legi poteſt. Sic ut paralyſin a venere ortum duxiſſe capite ſecundo probavimus, ipſam hanc venerem paralyſi remedio fuiſſe, rara

 eſt

h) Vid. *ibid. l. c. Spermat.*
i) Vid. SCHURIGIUM *l. c. p.* 142. & conf. BARTHOLINUS *cent.* II. *hiſt.* 69. PANAROLLUS *pent.* 3. *obſ.* 9.
k) *L. c.*
l) *Diſſ. cit. p.* 28.
m) Vid. SCHURIGIUM *l. c.* HOFFMANNUM *op. t.* 3.

eſt obſervatio; talem communicavit mecum doct. VOEGEN VAN ENGELEN, cujus argumentum hic breviter ſiſto. „Vir patricius, laute & læte vivens, quinquagenarius, ſaniſſimus, ex apoplexia menſe Febr. anni 1776. poſt lautas epulas & pocula ſubito invadente, & per debita remedia ſanata, inferiorum artuum paralyſin retinuit, quam neque remedia interna, neque externa, neque ipſa electricitas ſanarent: frictiones tamen continuatæ titillationem producebant, hinc quotidie jugiter inſtituebantur ab ancilla, cujus neque forma neque mores ulli, niſi huic paralytico, libidinem inſpirabant: hanc tamen ſibi ſinxit Venerem, & ardue appetebat amplexus, quos impetratos dein ſalutares, motumque & ſenſum cruribus reddentes, ſæpius coluit, ita ut illicita quamvis Venus ei poſt ſemeſtrium plenariam membrorum actionem reſtituerit. “

Hisce contemplationibus addi viderentur debere eæ, quæ ex medicamentorum ad caput applicandorum in genitalis functionis anomalia conſpectu, exſurgerent: verum, præterquam quod illa copia vix exſtent, & facillime ex therapia generali explicabilia ſint, hæc remedia, proprie non agunt niſi revulſione & derivatione, ſæpius memoratæ Sympathiæ legibus nitentibus; hinc vix operæ pretium duxi de iis agere, quæ in omnibus fere Practicorum Commentariis, variis in locis, ſibi titulum vindicant.

Et

Et hæc mihi ſufficere videntur, ut probem, venerem moderatam ſæpe capitis morbos ſanare.

Ex hac autem contemplatione videtur exſurgere quæſtio: Num Medico quidem liceat coitum ſuadere? vix debitam huic quæſtioni ſolutionem imponi poſſe mihi videtur, niſi inter coitum licitum & illicitum diſtinguamus; illum debita cum cautela & prudentia in morbis rebellibus, ubi indicatur, proponere, Medici jubet officium; illicitam autem venerem commendare nefas *n*).

SECTIO TERTIA.

IN CAUSSAS SYMPATHIÆ, QUÆ CAPUT INTER PARTESQUE GENERATIONI DICATAS INTERCEDIT, INQUIRENS.

INTRODVCTIO.

Vix, quum de Sympathiæ fontibus & origine tot tantæque Viris eruditiſſimis lites ortæ ſint, omnino hac in re deficere fas eſt, licet vel a priori certum ſit, noſtram indagationem hiſce

n) Conf. SCHURIGII *Spermat. p.* 551. *& ſeqq.*

tenebris lucem adferre multam non poſſe: hinc brevibus hanc Diſſertationis partem abſolvam.

Sympathiæ vocis definitio, varia a variis data Auctoribus, eſt mihi, *Illa affectio partis, quam ab affecta alia parte compatitur, absque ut cauſſa primaria in parte patiente ſit.* Hinc patet, partem primario affectam videri poſſe ſanam, dum pars compatiens ſola afficitur: v. g. congeſtio adſit in medulla ſpinali, quæ tamen vix ac ne vix quidem patitur, dum partes conſentientes, artus nempe, patiuntur & paralytici fiunt; comprehendit itaque Sympathia non ſolum eas affectiones, quæ per ſenſum, ſed & quæ per motum fiunt. Sic ſpasmus in parte excitatus in alia compatiente ſpasmum excitat; minus itaque commoda videtur Conſenſus denominatio, niſi Sympathiam diſtinguamus in illam quæ motu, vel quæ ſenſu, vel quæ utroque fit.

Prior ſpecies eſt illa Sympathia, qua pars viva, qualicunque ſtimulo irritata, aliam Sympathiæ legibus ipſi junctam exagitat & in motum rapit.

Altera ſpecies eſt proprie dictus *Conſenſus*, quo pars ſentiens quodam ſtimulo adfecta perceptionem ſtimuli cum alia quadam parte communicat, & ſic eandem grata vel ingrata ſenſatione adſicit.

Tertia tandem ſpecies eſt, qua pars viva & ſentiens,

tiens, ſtimulo irritata, hujus ſtimuli & motum & ſenſum cum alia communicat.

CAPUT PRIMUM.

Fontes Sympathiæ exponens.

§. I.

Fontes Sympathiæ Motoriæ.

Fons hujus Sympathiæ vita eſt, & inprimis ejus facultas, quæ *Irritabilitas* dicitur, eſtque, juxta Præceptorem meum cl. VAN DOEVEREN, *illa Solidorum vivorum facultas, qua, perceptione ſtimuli alicujus, non accedente alia vi externa, producitur in iis motus, qui contractione, vibratione, tremore, oscillatione, palpitatione, corrugatione, criſpatione, tenſione, aliove modo ſenſibus obſervantis ſe prodit.*

Hæc facultas ſolidorum non ſemper conſpicua eſt, dum ea in quietis ſtatu verſantur, tunc enim ſola adeſt Senſilitas, qua, dum irritantur, percipiunt & contrahuntur ſolida: verum, licet perceptioni ſatis ſit proportionata contractio, inter irritationem tamen & perceptionem non ſemper eadem datur ratio, quum diſpoſitio diverſa ſit in diverſis partibus pro functionum diverſitate.

Hæc facultas cuique parti ineſſe videtur; neque

que tamen omnibus eodem gradu, quum cordi, rubris musculis, partibus muſcularibus, vaſis ſanguiferis majoribus majori gradu inſit; minoribus etiam vasculis, imo minimis, minori licet gradu ineſt vis motrix; imo tendinibus, oſſibus, membranis omnem actuoſitatem negare nefas, licet ad ſtimuli contactum vix agere noſtris videantur ſenſibus.

Differentia hæc graduum irritabilitatis hærere videtur in varia ſolidorum diſpoſitione, & vario ſtimulo: pars enim quæcunque ſuum ſtimulum habet blandum vel acrem, ratione ſolius iſtius partis, quam irritare ex legibus Naturæ debet: bilis ſic inteſtina irritat, ſanguis cor, lac mammas, cum lac ratione inteſtinorum blandiſſimum ſit corpus: hoc & verum de ſtimulis præternaturalibus, ſic fatuum corpus, quoad ſaporem, ipecacuanha ventriculum moleſte afficit, rheum inteſtina, renes cantharides, & ſic de cæteris.

Diſpoſitio etiam ſolidorum varia eſt, pro varia ætate, ſexu, temperamento, idioſyncraſia, & ſtatu ſano vel morboſo, conſuetudine, diſpoſitione hæreditaria, aliisve cauſſis accidentalibus.

Irritabilitas autem in ſolida quadam fibra excitata facile ad aliam, ſive viciniorem ſive diſſitam, propagatur, quam in contractionem ciet, licet ipſa modo irritetur. Et hoc fundamento nititur ſympathia motoria, inter quasdam partes N. C. maxime conſpicua, qua nempe partis irritatæ motus ad diſſitam defertur.

Ex

Ex hoc ſtatuto, legum Naturæ obſervatione nato, fundamento patent, quoad noſtram ſympathiam, ſequentia:

I. Uterum irritabiliſſimum eſſe organon: probatur hoc maxime ex partu, puerperio, & præcipue ex ſectione uteri in partu Cæſareo, ejusdemque ſectionis ſanatione *o*): hinc ſtimulus maxime agit in hoc organum, illudque in validos motus poteſt ciere.

II. Hanc uteri irritabilitatem in quibusdam eo majorem eſſe, quo magis ætas temperamentum, ſtatus morboſus, diſpoſitio hæreditaria, aliæve cauſſæ diſpoſitionem actuoſam augeant.

III. Motus ad excitata hujus organi actuoſitate eo eſſe majores, quo violentior, ratione illius partis ſtimulus, & quo diuturnius inhæſerit.

IV. Humores ad uterum tempore pubertatis vel menſtrua periodo derivatis, ſtimuli vice fungentes actuoſitatem uteri excitare, ſicque ſimul nervos motui deſtinatos incitare, qui maximas irritabilitati præbent ſuppetias.

V. Stimulum itaque diuturnius inhærentem, ob qualecunque morboſum impedimentum, vaſa

o) Conf. quæ de hac uteri irritabilitate diſſerui in diſſ. *de utilitate Synchondrotomiæ in partu difficili pag.* 53.

vaſa & fibras magis irritare, unde convulſiva contractio, & nervorum affectio violentior.

VI. Ab illa affectione vis vitæ nervoſæ affici eas partes, quæ ex lege Naturæ ſympathia cum utero junctæ ſunt; inter quas caput inprimis pertinere probavimus, hinc ad illud oriuntur congeſtiones &c.

VII. Hæc facile ad virorum genitalia poſſe referri, quæ, ex teſtimonio cl. HALLERI aliorumque Phyſiologorum, vi irritabili magna gaudent: quæ & ex obſervationibus ſupra propoſitis facile probatur.

VIII. Hinc menſtruis ſuppreſſis congeſtiones ad Caput oriri, licet humorum copia in corpore non ſit admodum magna.

IX. Cur congeſtiones hæ morbos oculorum, aurium, loquelæ varios producant, ex his facile eluceſcere.

X. Cur, ſuppreſſo menſtruo ſanguine, ex variis capitis partibus cruor effluat, & expellatur?

XI. Cur in hyſteria tot & tanta œconomiæ animalis mala?

XII. Cur Epilepſia, Mania, aliaque convulſiva & mentis perturbatæ ſymptomata ab hoc fonte oriantur?

XIII.

XIII. Cur hæc perturbatæ animalitatis ſymptomata a ſuppreſſis menſtruis non ſemper obſerventur?

XIV. Cur venenum ſyphiliticum topice in genitalibus hærens Caput toties male afficiat?

XV. Cur irritationes ad Genitalia in morbis Capitis ab hac cauſſa orientibus tanti ſint uſus?

XVI. Hanc ſympathiam proprium conſenſum non dici poſſe, quoniam absque ſenſationis facultate abſolvitur.

Et hæc, quoad Sympathiam motoriam, dicta ſunto.

§. II.

Fontes Sympathiæ Senſitivæ.

Hæcce Sympathia, proprie dicta *Conſenſus*, a nervis dependet, quatenus ſcilicet ſenſus ſupponitur, qui absque nervis nullus eſt.

Altera enim vis vitæ facultas *Senſatio* dicitur, quæ, juxta laudatum PHYSIOLOGUM eſt, *ea vivorum ſolidorum facultas, qua a perceptione ſtimuli alicujus applicati excitant in ſenſorio communi gratam vel ingratam affectionem, quæ ſpecie ſenſus varia, pruritu, titillatione, tenſione, frictione, preſſione, anxietate, teneſmo,* dolore

dolore multiplici, aliisve modis ſeſe prodit & menti repræſentat.

Ad illam ſenſationem in ſolidis producendam requiritur 1°. Senſilitas ſolidorum, 2°. ut cum corpore ſint cohærentia per nervos integros, & libere cum ſenſorio communi communicent; 3°. ut ſtimulo afficiantur: hunc in finem poſſidet C. N. organa ſenſoria, & ineſt partibus quædam ſenſilitas, quæ Naturam de neceſſariis ſatisfaciendis monet, non confundenda cum ſenſu communi, qui omnibus ineſt partibus.

Notandum vero, partibus aliis diſpoſitionem majorem ad ſenſationem adeſſe, quam aliis.

Patet præterea ex hac data definitione, per nervos, fieri ſenſationem, ſive talem partis ſenſilis mutationem, quæ haud interrupto curſu ad ſenſorium commune deferatur, diſpoſitione corporis ſana: aliter enim pravæ ſenſationes in mente naſcuntur, docentibus id ſymptomatibus morboſis doloroſis.

Medium autem, quo corpus ſenſationem patitur, videtur conſiſtere in ſubtilisſimo, quod nervi vehunt, fluido, cujus probabilem exiſtentiam multa evincunt argumenta *p)*.

„Vero-

p) Vid. BOERHAAVII *Inſt. Med.* §. 274. *&c.* & HALLERI *Elem. phyſ. tom.* 4. *p.* 365.

„Veroſimile præterea videtur, canales nervoſos vi quadam motrice animari, qua agente, ſtamina ejus tendi, rigescere, turgere, ſuoque modo leviter contrahi poſſunt, fluidumque illud nerveum propellere, ſicque ſenſorii communis ope menti inprimere perceptas affectiones extraneas.“ *q)*

Neque non differt ſenſatio pro varia parte, varioque ſtimulo: aliis enim partibus, licet maxime irritabilibus, tamen eſt parva ſenſationis facultas, pro varia nervorum copia ad illas diſtributa, vel diverſa nervorum diſpoſitione, natura, partium ſtructura, & ſenſorii communis ſtatu vario.

Neque hic omittendum, male nonnullis plane negari partibus ſenſationis facultatem, quæ ad cl. Virorum experimenta ſenſus effecta haud ediderunt, quum ad omnes partes nervi videantur accedere, & aliorum tentamina contrarium docuerint.

Notamus denique, ſenſationem in parte quadam ſolida viva ſentiente excitatam ſæpe ad remotas propagari: & hinc jure merito mirabilis ille conſenſus, qui inter varias N. C. partes in ſano & morboſo ſtatu viget, nervis præcipue adſcribitur, quod quidem ratione conſenſus inter Caput & Genitalia eo magis patebit, ſi ſequentia conſideraverimus: I. Ge-

q) Verba ſunt celeb. Præceptoris VAN DOEVEREN *in Prælect. de Principio vitali.*

I. Genitalium nervos eſſe multos, & nudiori velatos tegmine: hincque ita diſpoſitos, ut ſtimulus magis directe in illos agat & ſenſationes excitet, pro vario ſtimulo diverſas.

II. Genitalium hanc ſenſationem, æque ac irritabilitatem, pro variis cauſſis augeri & minui poſſe.

III. Differre etiam hanc ſenſationem pro varia ſtimuli natura & indole.

IV. Materiam ſeminalem, in utriusque ſexus organis generationi inſervientibus præſentem, ſtimuli vice fungi, illudque organon incitare, ut ſenſatione illa venerei appetitus in cerebro naſcantur.

V. Stimulum hunc acriorem, vel juſto diutius retentum, fortius irritare fibrillas nerveas, in ſpasmos trahere, ſicque fluidum ad loca diſſita propelli, maxime ad illa, quibuscum Sympathiæ legibus ſunt obſtricta.

VI. Hinc a fluxu menſtruo ſuppreſſo hemicraniæ, clavi, & id genus alia ſymptomata.

VII. Hinc ab affectis genitalibus ſenſuum externorum anomalia, amauroſis, ſurditas, aphonia &c.

VIII. Hinc explicamus ſenſorii communis perturbationem in utroque ſexu, quæ a functione ſexuali labefactata vel anomala oritur.

Et

Et hæc qualiacunque de Conſenſu dicta mihi ſufficere videntur, non ut modus, quo fiat conſenſus, explicetur, verum ut fontes modo, unde fluat hæc Sympathia, elucescant.

§. III.

Sympathia Mixta.

Ex utriusque Sympathiæ connubio magis compoſita exſurgit ſpecies, quæ frequentior obſervatur: arctum enim adeo eſt connubium inter ſyſtema motorium & ſenſitivum, ut vix, niſi virium vitalium diviſionis gnarus, hæc inter ſe diſtingueret; hinc Sympathiæ effectus plerumque mixti obſervantur, motusque cum ſenſu in illis concurrit.

Sic in Hyſteria ab utero ſpasmi illi ſympathici hujus generis plerumque ſunt: irritabile enim eſt organon uterus, ſimulque tamen vi ſenſationis magna præditum, hinc a congeſtionibus ſpasmisque ſæpe dolor, qui hyſtericis fere ſignum pathognomicum eſt; hinc clavi, hemicraniæ &c., quæ ad hoc genus revocanda, quatenus congeſtiones conſtituunt, quæ doloroſam in mente excitant ſenſationem.

Huc referimus oculi inflammationes a genitalibus ſæpe per Sympathiam ortas; cum ſcilicet humores ad oculum delati congeſtiones

 ibi

ibi efficiunt, unde ſpasmi, obſtructio, tenſio & ab his doloroſa in mente perceptio: in hunc cenſum veniunt convulſiones ſpasmodicæ, epilepticæ, hyſtericæ, quæ ab utero ortæ per fibrarum continuationem irritabilem ſeſe ad omnes corporis partes, maxime ad caput, propagant, ibique mentis perturbationem excitant: adeo quidem ut hæc Sympathiæ ſpecies videatur eſſe frequentiſſima, tum a vi motrice, tum a ſentiente in partibus producta.

Sufficerent hæc ad noſtrum ſcopum, niſi quædam contra propoſitam hypotheſin refutanda, vel diluenda ſaltem eſſent argumenta.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Objectiones contra propoſitam Hypotheſin dilutæ.

§. I.

Cl. ROB. WHYTTII *objectiones continet.*

Maxima, quæ contra propoſitam hypotheſin ſit objectio, eſt R. WHYTT, viri celeberrimi, qui omnino de morbis nervorum multum meruit: hic in celebri ſuo Libro *r)* a nervis omnem fere motum ſenſumque repetens, conſenſum etiam omnem nervoſum ponit, his nixus argumentis,

1. Quia omnis conſenſus ſenſum ſupponit.
2. Quia major dolor minorem ſupprimit.
3. Quia ſympathicæ affectionum ſenſationes pereunt, ſi ſenſationes fortius mentem ferientes producantur.
4. Quia ſuppoſita deſtructione cerebri & ſyſtematis nervoſi, circulatione durante, motus eſſet mechanicus neque ulla ſympathia.
5. Experimenta producit maxime ad probandum argumentum ſecundum: Ranæ ſcilicet, cui, mox cum Caput erat abſciſſum, pedes vulnerati vix ullum motum demonſtrarunt, qui 10 vel 15 minuta poſt decapita-

r) *Of the nrvous disorders &c.*

pitationem convellebantur; hinc ſequi cl. Viro videtur, dolorem ortum a Capitis deſciſſione ſupprimere ſenſationem ab applicito pedi ſtimulo; quum autem ſenſatio decapitationis eſſet minuta, ut animal non impediret bene ſentire ſtimulum pedibus applicitum, convellebantur pedes.

§. II.

Objectiones Cl. WHYTTII *diluuntur.*

Quoad *primum* cl. WHYTTII argumentum, falſa id nititur hypotheſi: licet enim non negem, conſenſum omnem ita ſtricte dictum ſenſum ſupponere; minus tamen recte ſtatuitur, ſympathiam omnem a nervis dependere, quum & ab altera vitæ facultate, quæ irritabilitas vocatur, & quæ plane a ſenſatione diſtincta eſt; ſympathia enaſcatur: & revera has vitæ facultates plane eſſe diſtinctas docere videtur

1. Irritabilitas magna partium, quæ parvam habent nervorum copiam.

2. Irritabilitas permanens in partibus, licet nervi deſciſſi, deſtructi & abſciſſi ſint.

3. Irritabilitas præſens in partibus ex corpore deſciſſis.

4. Partes quædam irritabiles ſunt absque nervis, ut tumores fungoſi &c.

5. Zoophyta, plantæque irritabiles ſunt absque nervis.
6. Irritabilitas nervorum minima eſt, & ſenſibus non conſpicua.

Quæ argumenta mihi videntur tanta vi pollere, ut non poſſim irritabilitatem omnem e nervis deducere, neque ſtatuere, omnem ſympathiam ſenſum ſupponere.

Secundi argumenti cl. WHYTT vim ad ſuum ſyſtema probandum vix concipio; licet enim aſſertio veriſſima ſit, non conſtat inde, motum omnem a nervis effici: idem hoc de irritabilitate locum habere videtur, quod nempe ſpasmus violentior leviorem ſupprimat, probat hoc exemplum ab ipſo cl. Authore productum, quo terror ſternutationem ſupprimit: quæ omnia etiam quadrant in argumentum cl. WHYTTII.

Tertium, quod veriſſimum eſt, tamen id, quod probaret, vix ac ne vix quidem probare videtur.

Quartum cl. WHYTTII argumentum illa nititur hypotheſi, qua irritabilitatis & ſenſationis plane eosdem ſtatuit fontes, cujus improbabilitatem oſtendere conatus fui.

Quintum argumentum experimentum conſtituit, quod vix pro Viri cl. ſententia militat: præterquam enim, quod vix capiam, quomodo

capite detruncato animal ſentiat, illud experimentum ad ſummum probat, ſtimulum non potuiſſe brevi ſopitam pro parte actuoſitatem excitare, quæ tamen, cum pergeret ſtimulus, irritatione reſuſcitabatur. Argumentum ſiſtit hoc WHYTTII experimentum potius pro noſtra opinione, irritabilitas enim perdurabat deſtructo cerebro, patet hinc, irritabilitatis facultatem non omnino a cerebro dependere: adeoque hujus facultatis effectum, ſympathiam nempe motoriam, a communi ſenſorio non derivandam eſſe, vix eſt ut probem.

Quadrant melius celeberrimi Viri argumenta in illam ſympathiæ ſpeciem, quæ ſenſitiva nobis eſt, & proprie dictum conſenſum, qui per nervos fit, conſtituit. Modum autem, quo noſter conſenſus non niſi mediante cerebro fieret, variis argumentis fulcire conatus eſt ſæpe laudatus Auctor: contra quem tamen variæ objectiones moveri poſſent: quum vero noſtri, qui fontes ſolum indicavimus ſympathiæ, non ſit, in abſtruſas Naturæ latebras penetrare, quum tantis hæc doctrina ſit involuta tenebris, ut, niſi cerebri & nervorum fabrica ulterius inveſtigetur, & Phyſiologorum lucubrationibus & experimentis pateſcat, non niſi hypothetica proferre poſſimus, præſtat gradum hic cohibere quam per tenebras illidere.

TANTUM.

IL

II.

PETRI IAS,

Amſt elodamenſis,

Diſſertatio medica inauguralis,

De Mirabili, quæ pectus inter et ventriculum intercedit, Sympathia.

Lugduni Batavorum,

d. XXIII. Septembris, 1784.

SECTIO PRIMA.

EXHIBENS ILLOS EFFECTUS, QUIBUS TAM IN SANO, QUAM MORBOSO CORPORIS STATU HAEC DOCTRINA SESE MANIFESTAT.

INTRODUCTIO.

Si ad actiones, vitales puta, animales, naturales, & ſexuales, quas homo cum jucunditate, oblectamento, & quadem conſtantia exercet, vel obiter tantum quis oculos & animum

 adver-

advertat, ſique varios ab earum ἐνεργεία productos effectus, in ſanitatem utcunque tendentes, diligenter perſcrutetur; mirari ſatis non poteſt harmonicam, quæ haſce intercedit, conſpirationem, mutuumque commercium, quod quævis ſuæ non tantum ſaluti intenta, ſed & alienæ præſtolatur, adeo quidem, ut ad ſanitatem conſervandam, eamque, ſi qua detur rima, reſtituendam, certius nullum efficaciusque remedium detur. Neque hujus rei veritas in ſano tantum, ſed etiam in morboſo corporis ſtatu eluceſcit, ſi varios morbos, eorumque multiplices effectus, non niſi ex hoc fonte deducendos, attendamus. Hic ille conſenſus; hæc illa Sympathia, quæ, licet à recentioribus inprimis circa cauſſarum doctrinam, accuratius ſit indagata & exculta, veteres tamen non latuit Medicos, ſi HIPPOCRATIS ſcripta pervolvamus: *Conſenſus unus; Conſpiratio una; Conſentientia omnia a).*

Quemadmodum autem negari non poteſt, æque per univerſum corpus, ac per ſingulas partes hanc Sympathiam ſeſe conſpicuam reddere, quod docet inprimis conſenſus ille mirabilis, qui non ſolum inter ventriculum & caput, ſed & inter hunc & pectus, abdomen, cutim, imo dixerim totum corpus intercedit, ne reliquas Sympathiæ ſpecies memorem, de quibus ex profeſ-

ſo

a) *Lib. de aliment. Sect.* 4. *p.* 381. *Edit.* FOËS.

ſo alii AUCTORES *b*) egerunt: fatendum nihilominus eſt, per totum, qua late patet corpus, non eodem tenoris gradu vigere, ſed variis variam, pro ut pars, huic commercio implicita, ad ſanitatis normam magis minusve contribuat, hanc facultatem ineſſe. Neque ſane quis inficias ibit, organum illud ſenſiliſſimum, cujus tam late patet cum toto corpore imperium, ut pro œconomiæ humanæ Fiſco ſalutaverint Veterum nonnulli, (ventriculum innuo), primarias hic partes agere, ſi ſtupendas ſane, quibus ſeſe cum toto corpore tam ſano, quam morboſo devinctum tenet, Sympathiæ leges obſervemus: hinc etiam SERENUS SAMMONICUS.

Qui Stomachum Regem totius corporis eſſe
Contendunt, niti vera ratione videntur:
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra,
Et contra ejusdem infirmantur cuncta dolore.

Hujus autem Conſenſus utilitas, dum Phyſiologo in ſanis noſtri corporis actionibus explicandis apprime conveniat, ita non minus Medico practico in cognoſcendis & curandis morbis perſpecta eſſe debet: quapropter Legibus Academicis ſatisfacturus, hac occaſione à ſcopo haud alienum eſſe duxi, de hacce materie pro viribus quæ-

b) Conſuli hic inprimis meretur H. J. REGA *de Sympathia* Harl. 1721.

quædam differere: dum autem campus ampliſſimus, & materiæ ubertas, cum termino Diſſertationis conjuncta, in univerſalem, quem cum toto corpore alit ventriculus, Conſenſum inquitere vix ſinunt, in animum induxi, illam ſympathiam, quæ ventriculum inter & pectus intercedit, paulo diligentius exponere; oſtenſurus primo, quales ſuppetias ex hoc fonte ſibi vindicet ſanitas, ut ſic eo facilius ad cognitionem morborum, eorumque ſedem & cauſſas, nonnullis practicis obſervationibus ſtabilitas, perveniamus.

CAPUT PRIMUM.

§. I.

***Mutuum*, *quod Pectus inter & Ventriculum in ſtatu ſano intercedit*, *commercium exponens*.**

Si ea, qua Medicum decet, mentis attentione Humani Corporis fabricam diligenter inquiramus, ejusdemque ſtructarum, totam quantam ex ſolidis æque ac fluidis conſtantem, mirabili ſane modo ab AUCTORE NATURÆ diſperſis, accurate contemplemur; ſi varias ipſius partes, diverſis muniis dicatas, conſtanti tamen ordine ſuo quasque loco ut plurimum obvias, vel

vel obiter tantum intuëamur; ſi inquam, quos à partium integritate in homine productos videmus effectus, actionum nomine ab Auctoribus ubivis celebratos, certos, & ab omni ævo ſibi ſimiles, eidemque ordini obſtrictos, parumper obſervemus; ſi denique multiplices morborum cauſſas, ex ipſius corporis mechaniſmo non tantum, ſed & â foris abunde ſatis provenientes, hiſce ſubjungamus: ordinem Naturæ miramur elegantem, pulchrum, & in minimis utcunque individuis ſtupendum; miramur inquam hoc, ſed magis miramur, tam teneram, tam delicatam, & tot millenis morbificis cauſſis expoſitam compagem, in tanta rerum varietate vel pro momento perſiſtere. Neque tamen negandum, ſanitatem morbo longe eſſe frequentiorem, ſi, quid experientia doceat quotidie, in auxilium vocemus. Quum itaque mirum nón eſt, homines paſſim videre, tanta felicitate gaudentes, ut tota ſæpe vita durante vix ac ne vix quidem ægrotent, imo ipſo in ſenio morborum vires eludant, ſicque nunquam interrupta ſanitate ſeneſcere obſerventur, colligere pronum eſt, alias longe, easque haud minores cauſſas ſubeſſe, quibus ut præſentem ſanitatem conſervare, ita labefactatam non minus reſtituere conatur Natura Humana. Et ſane, ſi naturæ ſcopum contemplemur, ejusdemque vires & arma, quibus plurimis morborum cauſſis omni fere vitæ momento reſiſtit, perſpecta probe habeamus, quid eſt,

eſt, quod negemus, horum remediorum virtute, modo debite & legitime fiant, ſanitatem abſolvi, & hominem vegetum, ſanumque diu perſiſtere. Nec eſt, quod miremur, ſi ob multiplicem uſum, quem generi humano præſtat Conſenſus univerſalis, particularis, potentiſſima inter ſanitatis præſidia ab Auctoribus recenſeatur tam manifeſta, ut tum demum appoſite ad leges ſanitatis exerceri omnes actiones dicantur, cum partes, plurimæ ſæpe, hiſce peragendis à Natura deſtinatæ, in conſenſum trahantur. Ut autem dicti veritas eo melius pateſcat, à via haud aberrantem me puto, ſi, quem ventriculus cum pectore ſervat conſenſum, clariori luci breviter exponam, indeque deducam, quales ſuppetias hoc ex fonte trahant Circulatio, quales Reſpiratio, quales Digeſtio; de quibus ordo nunc dictat, ut ſpeciatim agamus.

§. II.

Circulationis momenta ex Digeſtione oriunda.

Quicunque anatomicam corporis humani diſſectionem vel unquam exercuit, variamque partium fabricam, earumque ſitum & nexum, modo, quo decet, attendit, facile, ni fallor, concedet, vix ullam in homine partem adeſſe, quæ vel ob uſum, quem œconomiæ humanæ præſtat, vel ob aliarum partium contiguitatem & nexum, ſitum

ſitum relativum Anatomicis vocatum, vel ob ejus fabricam, qua ſeſe inprimis commendat, aliasque qualitates, plus minusve conſpicuas, tantam attentionem mereri videatur, quam viſcus illud ampliſſimum, quod ventriculum vocamus. Atque hinc ſponte eluceſcit celebratus adeo à veteribus æque ac recentioribus Medicis latiſſimus hujus organi in omnes actiones influxus. Neque minus latet imperium, quod in cor & in ſanguinem ventriculus agit, ſi primarios tantum effectus, quos in hominibus quibusdam haud raro obſervamus, ad rem noſtram applicemus. Documento inedia ſit, vel cibi capiendi paulo diuturnior mora: adeo namque arcte hæc bina conſpirant, ut ingrata affectio, quæ fames audit, in ventriculo non tantum excitetur, ſed in corde oriantur moleſtæ ſenſationes, palpitationes, anxietates, leipothymiæ, ſyncopes, aliaque id genus ſymptomata; ne talia memorem, quæ ex impedito ſanguinis venoſi influxu congeſtiones in capite, pectore, aliisve corporis cavis producendo, ſuo quævis nomine ſatis ſuperque famoſa leguntur; præterquam quod varia mala in ſanguificatione, ſecretione, nutritione, aliisve functionibus exinde dependentibus, ex intercepta aſſumtorum in debitum chylum aſſimilatione præcipue naſcantur, quæ tamen omnia, niſi malum jam nimis increverit, tunc diſparebunt, vel ad ſummum longe mitiora reddentur, quando ſanitatis ad normam ventriculus officio debite fungatur. Atque hinc manifeſto

niſeſto apparet, quale inter cor & ventriculum commercium detur.

§. III.

Momenta Reſpirationis ex eodem fonte deducenda.

Neque minoris ſunt momenti, quæ in ſuum uſum ex hoc fonte reſpiratio convertit, ſi ad hunc mechanismum, ejusque ad agendum requiſitas vires rite attendamus. Quemadmodum autem, ubi omnia ſecundum naturæ normam peraguntur, ventriculus ore maſticatum, & ſaliva mixtum bolum per deglutitionis actionem in cavum ſuum recipiat, eundemque loci calore, humorum affluxu, & reciproca compreſſione, qua diaphragma præli ad inſtar in ventriculum agit, aliisque cauſſis concurrentibus, elaborat ulterius, ut in chymum convertatur, aliorum ſuccorum ope in inteſtinis demum in chylum mutandum, ita non minus ex eadem actione reſpirationem ſuppetias trahere, attendenti cuivis facile patet, qui pulmonum & ventriculi ſitum, eorumque ad agendum requiſitum alternantem diaphragmatis motum probe cognoſcat: adeo namque neceſſarius hic motus eſt in reſpiratione, ut quacunque de cauſſa imminutus liberam pulmonum actionem haud parum infringat. Neque aliter effecta docent: quid quæſo ſollennius, quam in helluonibus, bibacibus, aliisve laute viventibus, aſthmata, dyſpnoeas,

tuſſes,

tuſſes, aliave vitiatæ reſpirationis mala notare, quæ non alia de cauſſa, quam ab infarcto ventriculo, liberum diaphragmatis motum prohibente, ſicque, imminuto pectoris cavo, pulmones eorumque nervos mechanice premente, nec aliter, ſæpiſſime naſcuntur? Quæ cum ita ſint, mirum profecto non eſt, reſpirationis tenorem hinc multum increſcere, ejusque actionem, hoc ex fonte ſuas opes haurire, adeoque pulcherrime patet, quantum vel hoc quoque nomine Digeſtio valeat.

§. IV.

Commoda à Cordis actione in Digeſtionem redundantia.

Quemadmodum vero antea vidimus, digeſtionis in opere cor implicari, & ad hujus organi integritatem, debitam ciborum coctionem neceſſario requiri, ita & ab altera parte vix ac ne vix quidem mutari, & alibilem in ſuccum converti alimenta poſſe videntur, niſi naturalem cordis actionem in auxilium vocemus. Et ſane, ſi cordis mirabilem ſtructuram, ejusdemque vaſa et nervos ſibi tantum quis animo fingat, ſi in memoriam revocet, undenam ventriculi vaſa naſcantur, ſi præterea ad nervos attendat, quos pulchro adſpectu, inprimisque ejus orificium ſuperius æque ac cor ab intercoſtalibus abunde ſatis accipiunt, & his ſimul addat utriusque hujus organi ſitum, dubium certe non ſupereſt, alterum haud affici

 poſſe,

poſſe, quin & alterum in conſenſum trahatur, eandemque omnino cauſſam, quæ ut cor debite agat, neceſſario requiritur, ad ventriculi tenorem multum conferre. Neque ratio hic tantum valet, ſed & dicti veritatem experientia confirmat, ſi cordis malorum in digeſtionis officinam imperium apud Practicos paſſim legamus.

Imo dictis lux clarior affulget, quum debita cordis actione, vitalis liquidi circulo vigente, gaſtricum non tantum, ſed & entericum, pancreaticum, aliosque ad digeſtionem facientes humores rite ſecerni videamus. Hæc cum ita ſint, in promtu eſſe ratio videtur, haud obſcuram eſſe illorum ſententiam, qui digeſtionem à corde juvari, & hujus actione perfici demum contendunt.

§. V.

Digeſtionis effectus ex Reſpiratione repetendi.

Quum vero antea patuit, reſpirationis tenorem à libero diaphragmatis motu ſuppetias trahere, eundemque hunc muſculum, ut alternantem ſuum motum conſervet, ſicque ad officium aptus reddatur, ventriculo haud parum debere; imo ſtomachi vitio reſpirationes difficiles, aſthmata, dyſpnoeas, incubos, aliasque id genus affectiones Practicis haud raro fuiſſe obſervatas, ita quoque debitam pulmonum actionem, & placide exercitam reſpirationem inter ſanitatis præſidia,

quæ

quæ ciborum coctionem abſolvunt, haud minori jure eſſe referenda, neminem poteſt latere, qui ventriculi ſitum non tantum, ſed quoque vires ejus & arma, quibus ad agendum utitur Natura, probe cognoſcat. Neque hæc à vero abeſſe, reciprocus diaphragmatis motus vel unice doceat. Adeo namque hoc ſeptum in ventriculum agit, ut motu ſuo deficiente, vel quacunque de cauſſa imminuto, officio fungi ventriculus nullatenus poſſit, dum è contrario, ſi naturaliter ſe reſpiratio habeat, alternante diaphragmatis motu, ingeſtorum miſcela perfectior fieri non tantum, ſed & eorumdem ex ventriculo propulſio, ulterior in inteſtinis ſubactio, imo dixerim in vaſa lactea ingreſſus inſigniter juvari, ſicque digeſtiò abſolvi, haud obſcure videntur.

Et hæc præcipua ſunt, ut ventriculi cum pectore conſenſus quoad memoratas actiones manifeſto illuſtretur. Negandum tamen non eſt, multa adhuc ſupereſſe, quibus hæcce doctrina confirmari, & clariori luci exponi ulterius poſſet.

Quum vero ſcopus non ſit in rationem ac cauſſas hujus ſympathiæ in præſentiarum inquirere, ſed præcipua tantum effecta notare, in ſanitatem ex hoc fonte promanantia, ut, ſicut curvi norma rectum, quid in morbis obſervetur, eo melius inde pateſcat, propoſiti ratio ſuadet, ut ſequens nunc caput adoriar.

CAPUT SECUNDUM.

AFFECTIONES PECTORIS MORBOSAS, VITIO VENTRICULI NATAS, EXPONENS.

§. I.

Vitia pulmonum, & partium thoracem continentium ex memorato fonte ortum ducentia.

Si varias morborum cauſſas, quibus machina humana quotidie exponitur, earumque in producendis morbis effectus, diligenter inquiramus, fatendum nihilominus eſt, ex iisdem fere cauſſis, quibus vivimus & valemus, morbis & morte affligi.

Quum vero antea vidimus, ad vitam & ſanitatem conſervandam, συμπράξιν partium haud parum valere, eademque de cauſſa omnium actionum tenorem, nec aliter poſſe abſolvi, nemini profecto mirum videbitur, ex eodem hoc fonte morbos originem trahere. Noſtrum non eſt in univerſalem hanc ſympathiam inquirere, utpote ad illam obſtricti, quæ ventriculum & pectus intercedit. Ut autem dicta pateſcant, & aliquis hic ordo ſervetur, hoc capite morbos notabo, quos à ventriculo pectus patiatur, dum varia mala,

mala, quibus pectus ventriculum, ejusque functionem lædit, animus eſt in capite mox inſequente exponere. Quapropter, ut in hiſce rite procedam, recenſendi illi morbi videntur,

I. Quos vitio ventriculi pulmones, & partes thoracem continentes patiantur.

II. Mala memorabo ex fonte recenſito in cor redundantia, dum

III. Morboſos affectus, mediante hoc conſenſu diaphragma infeſtantes, oſtendere conabor, ut

IV. Tandem per varia vitia œſophagi cum ventriculo conſenſus manifeſto illuſtretur.

Quum vero in pertractandis his morbis varia ventriculi labes confuſionem difficulter haud pariat, monendum in anteceſſum videtur, ne numerus cauſſarum increſcat, hanc normam placere, ut

I. Ex vitiata ventriculi ſubſtantia, & inde perturbata hujus organi functione memoratos antea morbos derivemus, quorum

II. Cauſſam & originem in hujus viſceris cavo, multiplici labe infeſtato, ulterius quæremus. De ſingulis ſeorſim.

Hinc facile patet ad primam claſſem cauſſarum merito referendam eſſe ventriculi Inflammationem,

quam cum vario pulmonum affectu T. BONETUS c), L. RIVERIUS d), F. HOFFMANNUS e), & MORGAGNIUS f) inprimis obſervarunt. Neque ventriculi phlogoſin tantum, ſed & varias ejus ſequelas, abſceſſus, ſcirrhum, & cancros varia pectoris mala, dyſpnœas, aſthmata, tuſſes, inflammationes, aliasque id genus affectiones inducere, præter BONETUM g) & RIVERIUM h), DIEMERBROEKIUS i), MANGETUS k), ETTMULLERUS l), & MORGAGNIUS m) abunde teſtantur. Ut autem ventriculi phlogoſis memoratos morbos producit, ita non minus varii morboſi affectus, à quacunque cauſſa orti, digeſtionis opus turbando, pulmones, & vicinas partes per conſenſum infeſtant, ſi LINDENII n), BLAN-

CAR-

c) *Sepulchret. Tom. 2. Lib. 3. ſect. 3. obſ. 2.*

d) *Prax Med. Lib. 9. Cap. 11.*

e) *Oper. Tom. 6. de Inflammatione Ventriculi §. 12. 29. & ſuppl. 2. part. 2. de Aſthmate Convulſivo §. 23.*

f) *Epiſt. Anat. Medic. 30. art. 4.*

g) *L. c. Tom. 1. lib. 2. ſect. 1. obſ. 142 & 146. lib. 2. ſect. 3. obſ. 28.*

h) *L. c.*

i) *Obſerv. & Curat. Medic. obſ. 67.*

k) *Bibl. Med Pract. Tom. 1. p. 86.*

l) *Oper. caſ. 5. pag. 1316.*

m) *Epiſt. Anat. Med. 30. art. 2.*

n) *Meletem. Medic. Hippocrat. pag. 351.*

CARDI *o)*, BALLONII *p)*, LOMMII *q)*, FORESTI *r)*, HOFFMANNI *s)*; aliorumque *t)* Medicorum ſcripta pervolvamus.

Plurimæ præterea cauſſæ ſuperſunt, unde mutuum harum partium commercium deduci valeret. Quum vero hæ ventriculo non adeo, quam quidem ejus cavo inhaereant, indeque memoratas partes per conſenſum afficiant, ex altera claſſe cauſſarum, quam nunc inchoamus, ſuo quæque loco exponendæ potius videntur.

Ad ſecundam claſſem cauſſarum quod attinet, varios hinc quoque morbos oriri, veneranda jam antiquitas novit, ita ut mirum non ſit, ex lumbricis, aliisve heterogeneis corporibus in ſtomacho, pleuriticos dolores, & pulmonum inflammationem HIPPOCRATEM *u)* & AETIUM *v)* jam obſervaſſe, præterquam quod HELMON-

L 4

o) Vid. A. DE HAAN *Rat. Med. part.* 6. *cap.* 1. *pag.* 15. *Edit. Vien.*

p) *Conſil. Medicin. Lib.* 1. *conſ.* 26.

q) *Obſervat. Medic. Lib* 2. *pag.* 136.

r) *Obſerv. & Curat. Medicin. Lib.* 18. *obſ.* 27.

s) *Oper. Tom.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 5. §. 28. *Tom.* 2. *part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 2. *obſ.* 10.

t) Conferri circa hanc rem inprimis meretur J. G. ROEDERER & C. G. WAGLER *de Morbo Mucoſo.*

u) *Oper. ſect.* 5. *pag.* 534. *Edit.* FOËS.

v) *Tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 54. & *ult.*

MONTIUS *w*), DIEMERBROEKIUS *x*), MANGETUS *y*), BONETUS *z*), LANGIUS *a*), ANDRY *b*), RIVERIUS *c*), TRILLERUS *d*), BALLONIUS *e*), SAUVAGESIUS *f*), HOFFMANNUS *g*), A. DE HAAN *h*), M. STOLL *i*), &, quem primum nominaſſe deberem, ſtrenuus in hisce obſervator J. J. VAN DEN BOSCH *k*), aliique inter recentiores hujus rei veritatem abunde perſpexerunt *l*). Nec infrequens eſt, ſi DIEMERBROEKII *m*), & A DE

w) Vid. BONETUS *Sepulch. Tom.* 1. *lib.* 2. *ſect.* 4. *obſ.* 38.
x) *Diſput. Pract. hiſt.* 3. *pag.* 48.
y) *Bibl. Med. Pract. Tom.* 4. *pag.* 346.
z) *Sepulchr. Tom.* 1. *p.* 637.
a) *Oper. part.* 3. *pag.* 389.
b) Apud Doct. REGA *l. c. pag.* 113.
c) *Obſ. Medic. cent.* 3. *obſ.* 63.
d) *De Pleuritide pag.* 145 & 207.
e) *Epidem. Tom.* 1. *pag.* 5.
f) *Noſol. Meth. Tom.* 1. *pag.* 471.
g) *Oper. Tom.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 7. §. 52.
h) *Rat. Med. part.* 14. *pag.* 144. & *ſeqq.*
i) *Rat. Med. part.* 2. *ægr.* 8. 11. & variis locis, ubi memorabiles hiſtoriæ pleuritidum emeſi utcunque ſolutarum habentur.
k) *Hiſt. Conſtit. Epidem. Vermin. cap.* 3. *ſect.* 4.
l) Vid. inprimis Celeb. SANDIFORTII Præceptoris venerandi *Theſ. Diſſert. Vol.* 2. *pag.* 89. *ægr.* 6. paſſim, tum etiam P. G. SCHROEDER *Opuſcula Medica Vol.* 1. *p.* 123. & *ſeqq.*
m) *Diſput. Pract. hiſt.* 6. *pag.* 55.

A DE HAAN *n*) obſervationes evolvamus, ex rerum, quas non naturales vocant Medici, abuſu pulmonum inflammationes natas videre, ut adeo mirum non ſit, quales ETTMULLERUS *o*), WILLISIUS *p*), HILDESHEIM *q*), aliique memorant, incubos ex ventriculo, nimia ciborum copia repleto, repeti toties debere. Neque errabit, qui præter memoratos affectus reſpirationes difficiles, aſthmata, tuſſes, aliaque ejus generis mala ex hoc quoque fonte derivanda eſſe cenſet, adeo ut merito dubites, utrum idiopathicorum, an ſympathicorum, qui reſpirationis actionem impediunt, morborum major ſit numerus, hinc etiam ex fungorum abuſu HIPPOCRATES *r*) ſuffocationem; ab acri humore, ſtomachi nervos inprimis vellicante AETIUS *s*); à lacte in ventriculo concreto FORESTUS *t*); à nimia ciborum ingurgitatione, & immani hujus organi diſtenſione ETTMULLERUS *u*); à pituita tenaci ventriculi tunicis firmiſſime affixa DIEMERBROEKIUS *v*); & ab

L 5 ingen-

n) *Rat. Med. part.* 14. *ſect.* 1. *cap.* 1. *pag.* 11.
o) *Oper. caſ.* 19. *pag.* 1403.
p) *Oper. cap.* 6. *pag.* 126.
q) *De Affect. Capit. ſpecil.* 4. *pag.* 434.
r) *Sect.* 7. *pag.* 1235.
s) *Tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 54.
t) *Obſervat. & Curat. Medicin. lib.* 18. *obſ.* 13.
u) *Oper. caſ.* 5. *pag.* 1316.
v) *Obſerv. & Curat. Med. obſ.* 67.

ingenti ventriculi inflatione BONETUS *w*), tuſſes non tantum varias, easque ſæpe pertinaces, ſed & ipſam mortem natam viderunt; hinc etiam dixit BAGLIVIUS *x*): *Tuſſis infantum fere ſemper eſſe ſolet à ſtomacho cruditatibus ſcatente, quo in caſu ſemper ſtomacho reſpiciendum.* Quin imo reſpirationes difficiles, vitio ventriculi natas WILLISIUS *y*), LANGIUS *z*), RIVERIUS *a*), BALLONIUS *b*), REGA *c*), aliique memorarunt, præterquam quod KAAU BOERHAAVE *d*), HARRIS *e*), ALLEN *f*), WALTHERUS *g*), HOFFMANNUS *h*), MORGAGNI *i*), A. DE HAAN *k*), WHYTTIUS *l*), SAUVAGES *m*), VAN DEN BOSCH *n*),

SAN

w) *Sepulchr. Tom.* I. *lib.* 2. *ſect.* 2. *pag.* 590.

x) *Lib* I. *cap.* 9. *p.* 114. conf. circa hanc cauſſarum claſſem J. G. ROEDERER & C. G. WAGLER *de Morbo Mucoſo* variis in locis.

y) *Nervorum Deſcript. cap.* 24. *pag.* 89.

z) *Oper. part.* 3 *pag.* 200.

a) *Obſ. cent.* 2. *obſ* 90.

b) *Epid. Lib.* 1. *pag.* 14.

c) *De Sympathia cap.* 9.

d) *Impetum faciens. pag* 282.

e) *De Morb. acut. Infantum pag.* 26. *& ſeqq.*

f) *Synopſis Medic. Pract cap.* 15. *art.* 30.

g) *Diſſ. de tuſſi Stomach.* Traj. ad Rhenum an. 1760.

h) *Oper. Tom.* I. *ſect.* I. *cap.* 7. §. 52. *Tom.* 4. *cent.* I. *ſect.* 2. *caſ.* 85, 86 *&* 87.

i) *Epiſt. Anat. Med.* 48. *art.* 28.

k) *Rat. Med. part.* 14. *ſect.* I. *cap.* 4. *p.* 159.

l) *Over de Zenuwziektens pag.* 16 *&* 333.

m) *Noſol. Meth. Tom.* I. *pag.* 650.

n) *Hiſt. Conſtit. Epidem. Vermin. c.* 3. *ſect.* 4. *paſſim.*

SANDIFORT *o)*, MEYER *p)*, STOLL *q)*, & HUXHAMUS *r)*, horum morborum fomitem & cauſſam in ventriculo latere, unanimi doceant conſenſu. Diſſimulandum tamen non eſt, hinc quoque hæmoptyſes poſſe oriri, quod in praxi ſummopere notandum, dum facilis in errorem eſt lapſus, & incauti ſæpiſſime falluntur, mali cauſſam in pectore quærentes, quæ tamen à ventriculo repetenda videtur: ſic BALLONIUS juvenem memorat, qui hæmoptyſin metuens, ex improviſo hypochondria blanda manu tangat, pulſumque ibidem percipiat, inſequente mox hæmoptyſi, qua tamen, expurgata copioſa ventriculi ſaburra, dein convaluit *s)*: hujus rei veritatem ulterius abunde ſatis confirmant STOLLIUS *t)*, SCHROEDERUS *u)*, aliique. Neque minus deleterios effectus ſortiri, ſi quovis etiam modo à naturali ſuo ſtatu multum abluderit ventriculus, ſummorum in arte Virorum obſervationibus omnino debetur, ut adeo mirum non ſit, ſi magnitudine exceſſerit, vel conforma-

tionis,

o) *Theſ. Diſſ. Vol.* 2. *pag.* 20. & *Biblioth. Tom.* 10. *pag.* 391. *& ſeqq.*

p) *Diſſ. de Aſthmate* Gott. 1779. inpr. *pag.* 49.

q) *L. c. part.* 2. *pag.* 133. *& ſeqq.*

r) *Op. pag.* 98. *de Aëre* Conf. Doct. KLOEKHOFF *in Act. Harlem. Tom.* 8. *p.* 394.

s) *Epid. Lib.* 1. *pag.* 41.

t) *Rat. Med. part.* 2. *pag.* 114. *& ſeqq.*

u) *Opuſc. Medic. Vol.* 2. *pag.* 332.

tionis, ſitus, nexusve vitio peccaverit *v*), ob partium vicinitatem ſympathicorum morborum catalogum hinc multum increſcere.

Atque ita conſtat, quid de Sympathia ſit cenſendum, quam ventriculum inter & memoratas partes intercedere ſtatuunt Auctores: hæc itaque dicta ſufficiant.

§. II.

Vitia Cordis.

Quum tot & tam varia mala, quae præcedente §. jam expoſuimus, pulmones aliæque partes adjacentes à ventriculo præprimis patiantur, ita quoque morborum catalogum, quos cum corde communicat ventriculus, ob inſignem harum partium conſenſum augeri, frequens docuit omnis ævi obſervatio. Sic GALENUS jam dixit, *mirandum non eſſe, ſi ejus dolores, tam animi deliquia, tum virium lapſus comitentur. Quum enim digiti offenſione videantur aliqui animi deliquio laborare, mirum profecto non eſt, affecto ſtomacho id accidere, quum & ob eximium ſenſum, & ob ſitus vicinitatem duo principia promtius in conſenſum adſciscere poſſit w*). Nec infrequens

v) Vid. omnino Celeb. SANDIFORTII *Theſ. Diſſert. Vol. 2. pag.* 398. *in not. ad litt. b.* Conf. L. RIVERIUS *obſ. Communicat. pag.* 561.

w) *De Symptom. cauſ. Lib.* I. *cap.* 7. *Tom.* 7. *pag.* 60. Edit. CHARTER.

frequens eſt, ſi TRALLIANI *x*), ARETAEI *y*), BALLONII *z*), aliorumque Medicorum ſcripta conſulamus, ab imbecillitate ventriculi leipothymias, ſyncopas, aliaque ſymptomata naſci, ita ut mirum non ſit ab hujus organi inflammatione FORESTUM *a*) & SENNERTUM *b*) memorata mala non tantum, ſed & graviora, imo ipſam mortem, præter multos alios ſummum HOFFMANNUM *c*) obſervaſſe.

Quamvis autem ventriculus latiſſime ſumtus ſua mala cum corde communicet, imo aliorum morborum, quos mox recenſebimus, fontem & originem ſiſtat, majus tamen adhuc imperium in peculiari ventriculi parte, quam καρδίαν vocant Anatomici, in producendis morbis ineſſe, ſumma ſenſilitas videtur docere, adeo quidem, ut male affecta hæc pars, ob inſigne cum corde commercium, æque ac cordis dolores καρδιαλγίας denominatione indiſcriminatim uſurpata fuiſſe à Veteribus *d*) legantur. Hinc etiam GALENUS jam dixit τὸ ϛόμα τῆς κοιλίας οἱ παλαιοὶ καρδίαν ὠνόμαζον, ἀφ᾽ ὧν ἐπιφέρει συμπτωμάτων, ὡς φασὶν,

x) *Oper. Lib.* 12. *pag.* 706.
y) *De cauſ. & ſignis Morb. Acut. Lib.* 2. *Cap.* 3.
z) *Conſil. Medicin. Lib.* 1. *conſ.* 104.
a) *Obſerv. & Curat. Medic. lib.* 18. *obſ.* 1.
b) *Oper. Tom.* 3. *pag.* 375.
c) *Oper. Tom.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 3. *obſ.* 2 & 4.
d) Vid. FOËSII *Oec. Hipp.* in voce καρδιαλγίας.

φασὶν, ὅτω προσαγορεύσαντες e). Imo hæc etiam ſenſilitas fecit, ut ab HELMONTIO pro ſede animæ habita plerorumque, ſi non omnium morborum genitrix habeatur *f*): dum eadem de cauſſa ſyncopen producere WILLISIUS *g*) RIVERIUS *h*), WEPFERUS *i*) & SWIETENIUS *k*) hanc partem ventriculi poſſe, uno ore agnoſcunt.

Quae cum ita ſint, deneganda Auctoribus fides non eſt, qui præter memoratos affectus, hujus organi palpitationem ex ſympathia ventriculi oriri contendunt. Sic ab affecto ventriculo arteriarum motus parvi debilesque non tantum, ſed & vertigines, animi deliquia, torpor membrorum, reſolutio, copioſus ſudor, refrigeratio, ſenſus vocisque privatio, imo cordis concuſſio cum vehementi palpitatione, aliaque ſymptomata ARETAEO *l*) obſervata memorantur. Neque minus huc pertinere videtur, quam habet MANGETUS *m*), obſervatio de ſene, qui palpitationibus cordis obnoxius, ſtomachi ſphacelum poſt mortem exhibuit. Hinc etiam mirum non eſt, [illegible] ob

e) *De loc. affect. Lib.* 5. *cap.* 6. *Tom.* 7. *pag.* 492.
f) Vid. REGA *de Sympathia pag.* 119.
g) *De Febribus cap.* 16.
h) *Prax. Medic. Lib.* 8. *cap.* 1.
i) *Hiſt. Cicut. Aquat. cap.* 8. *pag.* 121.
k) *Comm. in aphor.* H. BOERHAAVE *T.* 4. *p.* 712.
l) *De Cauſ. & Sign. Morb. acut. Lib.* 2. *cap.* 3.
m) *Bibl. Med. Pract. Tom.* 1. *pag.* 693.

ob ventriculi cum corde conſenſum hujus mali mentionem feciſſe RIVERIUM *n*), SENNERTUM *o*), BALLONIUM *p*), HOFFMANNUM *q*), WHYTTIUM *r*), aliosque. Atque hinc eluceſcit, quid de polypis cenſendum ſit, quos vivo in homine in corde & vaſis majoribus vitio ventriculi naſci, ratio non tantum probat, ſed & experientia confirmat. Quid enim frequentius eſt, quam in cadaveribus hypochondriacorum polypoſas concretiones videre in corde & arteriis natas, quas qui poſt mortem demum induci contendit, à vero tramite utcunque aberrat? Quid rationi magis conſentaneum eſt, quam poſt prægreſſas leipothymias, ſanguinis κράσεως turbata, diatheſin ad polypos dari, tanto facilius naſcendos, ſi fluiditas ſanguinis, quam motus & calor conſervant, quacunque de cauſſa prævertatur? Quid denique conceptu facilius, ob utriusque ſitum & vicinam non tantum, ſed & ob nervorum decurſum, quos ex uno eodemque fonte ambo hauriunt, à ventriculo ingrate affecto cor in inſolitos motus ciëri, palpitationes, & ob irregularem ſanguinis motum ſtaſes producere? præterquam quod ſummorum in arte Virorum obſervationes, quos inter unicam MORGAGNI-

UM

n) *Prax. Med. Lib.* 8. *cap.* 2.
o) *Oper. Tom.* 4. *lib.* 3. *part.* 5. *ſect.* 1. *cap.* 4.
p) *Conſil. Medic. lib.* 1. *conſ.* 109.
q) *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 1. §. 16.
r) *Over de Zenuwziektens pag.* 341.

UM s) nominaſſe ſufficiet, hujus rei veritatem abunde commonſtrent.

Quæ cum ita obſerventur, quid eſt, quod veremur, aneurysmata cordis ex hac cauſſarum claſſe repetere: adeo namque cum prioribus cohærent, ut primos ſuos natales inde habuiſſe videantur. Nec mirum: cor enim moleſtiis ex morbo affectum, anxium vires, quas habet, intendit, ad obſtaculum, ſibi à ventriculo illatum, quovis meliore modo tollendum; quod autem cum aliquando difficile, imo plane ἀδύνατον eſt, irregulares motus oriri, palpitationes, polypos, imo aneurysmata varia, funeſto ſæpe eventu ſtipata, his demum naſci, in paralyſes nonnunquam abeuntia, præter LOWERI t) obſervata, indefeſſus LANCISII u) labor ita ad amuſſim expoſuit, ut plura his addere neceſſe non duxerim.

Neque profecto minoris eſſe indaginis videntur, quæ ex altera claſſe cauſſarum, ad dicta probandum, obſervationes apud Auctores habentur: ſic A. TRALLIANUS ſyncopen ex bilioſis humoribus, ventriculi os aggravantibus v) non tantum oriri contendit, ſed & vermes affectus cardiacos, leipothymias, imo mortem inducere w) ſuo

s) *Epiſt. Anat. Med.* 25. *art.* 2. Conf. ROEDERER & WAGLER *l. c.*
t) *De Corde pag.* 136.
u) *De motu Cordis & Aneurysm. paſſim.*
v) *Lib.* 12. *cap.* 3.
w) *Lib.* 7. *cap.* 8.

ſuò jam tempore docuit. Nec infrequens eſt, ſi C. AURELIANI ſcripta volvamus, paſſionem cardiacam, vitio ventriculi natam *x*) memoratam videre, adeo quidem, ut dein ab emetico HILDANUS *y*); à lumbricis WILLISIUS *z*), a nimia ciborum ingurgitatione DIEMERBROEKIUS *a*), à pravis humoribus ventriculo contentis SENNERTUS *b*), à ſtomacho LOMMIUS *c*), à multiplici ventriculi labe SAUVAGES *d*), & à variis denique cauſſis, ut alios taceam, ſyncopas leipothymias, variasque earum ſequelas, graviſſimis nonnunquam ſymptomatibus ſtipatas, præter Illuſtr. SWIETENIUM *e*), magni nominis practicus F. HOFFMANNUS *f*) memorato ex fonte oriri obſervando didicerint.

Atque hinc repetendum videtur, quod nimis generalius forſan in omni cordis palpitatione flatulentiam eſſe Medicinæ parens HIPPOCRATES *g*) dixerit, licet expandendo ventriculum, debi-

x) *De Morb. acut. lib.* 2. *cap.* 30 & 35.
y) *Obſerv. p.* 914 & 915.
z) *De Febribus cap.* 10.
a) *Diſput. Pract. hiſt.* 9. *pag.* 61.
b) *Oper. Tom.* 4. *lib.* 3. *part.* 5. *ſect.* 1. *cap.* 4.
c) *Obſerv. Medic. Lib.* 2. *pag.* 142.
d) *Noſol. Meth. Tom.* 1. *pag.* 813.
e) *Comm. Tom.* 4. *pag.* 713
f) *Oper. Tom.* 3. *cap.* 9. *obſ.* 10. *pag.* 277.
g) *Ibidem ſect.* 2. *cap.* 1. §. 16.

debitum diaphragmatis verſus inferiora deſcenſum impediendo, ad palpitationes ciëndas cibi flatulenti haud parum contribuant. Sic refert MALPIGHIUS *h*), ſe ab aſſumtis leguminibus palpitationes perſæpe moleſtiſſimas in ſe ipſo expertum fuiſſe: neque deſunt Auctores, qui hanc ſympathiam callentes, à pituita tenaci, à flatibus, bile atra, vermibus, aliisve ventriculi cavo contentis, irregularem cordis actionem viderunt, ſi obſervationes MANGETI *i*), RIVERII *k*), A. DE HAAN *l*), WHYTTII *m*), HOFFMANNI *n*), SWIETENII *o*), aliorumque Medicorum *p*) conſulamus.

Eundum tamen inficias non eſt, ſi quis antedicta perpendat, polyporum & aneurysmatum cordis originem ex hac cauſſarum claſſe difficillimam eſſe: docuit obſervatio juvenis, crebro ſtomachi dolori obnoxii, poſtquam ex diro hoc

h) *Vid. Epiſt. ad* BORELUM.
i) *Bibl. Med. Pract. Tom.* I. *pag.* 711.
k) *Prax. Medic. Lib.* 8. *cap.* 2.
l) *Rat. Med. part.* 4. *cap.* 2. *p.* 33.
m) *L. c. p.* 191.
n) *Oper. Tom.* I. *part.* 2. *cap.* 10. §. 5. *Tom.* 4. *cent.* 3. *caſ.* 40.
o) *Comment. Tom.* 4. *pag.* 714.
p) Vid. *Comment. de rebus in Hiſt. Nat. & Medicin. geſtis Vol.* 18. *pag.* 203. Conf. C. DE. LILLE *de Palpitatione Cordis.*

hoc morbo graviſſima ſymptomata paſſus ſupremam diem obierat, dextram cordis auriculam adeo dilatatam fuiſſe, ut tertiam cordis partem æquaverit, præterquam quod ingentem ſanguinis copiam, & cum ea polypum eodem in homine ſe inveniſſe MORGAGNIUS *q)* teſtetur. Notat HOFFMANNUS *r)* ſe juvenem diſſecuiſſe, palpitatione cordis multos annos afflictum, ex cujos pulmonali arteria ingentis magnitudinis polypus extrahebatur: additque, palpitationis tam contumacis non aliam, quam potum cereviſiæ frigidum, poſt vehementem ſaltationem ingeſtum, cauſſam fuiſſe. Hinc etiam dixit LANCISIUS *s)*, ingluviem frequentiorem eſſe aneurysmatum cauſſam, adeo quidem, ut ex centum aneurysmatibus, plus media parte in guloſis & bibacibus ſe obſervaſſe teſtetur.

Atque hæc ſufficere credo, ut intelligatur, quam arcta ventriculi cum corde ſympathia detur. Haud tamen diffitendum, ſive ad effectus attendamus, quos in memoratis partibus non tantum, ſed in toto etiam corpore producunt, ſive ventriculi fabricam ſpectemus, ex eodem hoc fonte aliam morborum claſſem exſurgere, qui vel ob effectus, quos edunt, febriles, vel ob eorumdem frequentiam, aliasve

M 2 cauſ-

q) *Epiſt. Anat. Medic.* 25. *art.* 2.
r) *Oper. Tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 10. §. 5.
s) *De motu Cordis & Aneurysmatibus propoſ.* 41. *pag.* 271.

cauſſas, peculiarem Gaſtricarum Febrium titulum merentur: de quibus nunc paucis agendum.

§. III.

Febres Gaſtricæ.

Si varias Auctorum hypotheſes, quas veterum Medicorum ſchola cum recentiorum nonnullis in Medicina induxerunt, ut continentem febrium cauſſam explicare valerent, ad examen revocemus, ſuaviter ludentis ingenii phantasmatibus, rem parum explicantibus indulſiſſe hos potius, & nil niſi nomina dediſſe maxime obſcura quilibet vel utro fatetur, qui ad auctam vitæ flammulam, vel ad calidum innatum, in corde accenſum, Archæum furibundum, ſanguinis fermentationem, ejusdemque craſin vitiatam, vel ad validum Naturæ conamen, propríam ſalutem propugnantis, aliave id genus figmenta parumper attendi. Hujus rei veritate convicti ulteriores longe alii progreſſus fecerunt, rem ad umbilicum deductam putantes, ſi fluidi nervoſi, & ſanguinis in fibras & cava cordis celeriorem influxum, indeque ſequentem velociorem hujus organi contractionem, pro cauſſa febrium, proxima habeamus. Haud tamen diffitendum, ut ut etiam nonnullis hæc vera videantur, dubia adhuc multa ſupereſſe, nunquam enodanda, ſi febris eſſentiam in ſola pul-

ſus velocitate ſitam eſſe cogitemus. Veritati hinc propius videntur acceſſiſſe, qui ſpaſticam ſolidorum ſtricturam pro cauſſa proxima febrium habendam eſſe voluerunt, tanto facilius naſcendam, ſi nimia ſenſilitate & exceſſu irritabilitatis inducto, ſolidorum ſyſtema peccaverit, eo cum effectu, ut inordinatus, irregularis, & inæquabilis ſolidorum æque ac fluidorum motus inducatur.

Atque hinc eluceſcit, quare febrium generationi ventriculus præprimis idoneus ſit, ſi miram hujus organi ſenſilitatem non tantum, ſed & multiplicem procatarcticarum cauſſarum frequentiam, quibus præ reliquis corporis partibus vacat officina ventriculi, ſpectemus. Hinc etiam mirum non eſt, ſive cordis functionem ejusque in omnes actiones influxum conſideremus, ſive hujus organi ſitum, fabricam & nexum cum ventriculo, ut par eſt, comparemus, ex ingrato ventriculi affectu à febrili materia inducto, nervorum propagines, quæ cordi inſerviunt, ratione conſenſus illius mirabilis & conſpirationis, quibus una pars alteri affectæ inſervit, à ſtimulo pati, adeo quidem ut ipſum hoc organum non tantum, ſed eadem de cauſſa totum ſolidorum ſyſtema in ſpaſticas cieatur contractiones, quibus circulantium humorum turbæ, variarumque ab his dependentium actionum, ſecretionum excretionumque errores demum inducantur.

Quæ cum ita obſerventur, hujus etiam loci eſſe videtur, præcipuam harum febrium claſſem, quatenus fomitem in ventriculi cavo agnoſcunt, indeque cor per conſenſum afficiunt, digito tantum monſtrare: quod ut ex ordine fiat, diſpeſcendæ hæ febres commode videntur

I. In FEBRES BILIOSAS. Si veterum Medicorum annales attente pervolvamus, eorumque fideliter enarratas obſervationes, quas circa febrium geneſin earumque variam omnino ſedem poſteritati amandarunt, cum neotericorum ſcriptis comparemus, frequentiſſimam febrium cauſſam bilem eſſe eique analogum humorum, omnis ævi Auctores pleno orte teſtantur, adeo quidem, ut vel ipſe Medicinæ parens HIPPOCRATES dixerit, febres magna ex parte à bile oriri *t)*. Neque alii deſunt Auctores, qui Hippocratici dogmatis veritatem in praxi abunde obſervarunt, ſi magni nominis Medicorum, ut alios taceam, HOFFMANNI *u)*, SWIETENII *v)*, STOLLII *w)*, aliorumque Practicorum ſcripta in auxilium vocemus. Hæc etiam ratio fuiſſe videtur, cur ab harum febrium frequentiam earumque cum aliis morbis complicationem, in ſimplices, ardentes, putridas aliasque, pro efficientis cauſſæ in-

t) *Sect.* 3. *pag.* 231.
u) *Oper. Tom.* 2 *ſect.* 2. *cap.* 2.
v) *Comm. Tom.* 2. *pag.* 44. *Tom.* 3. *pag.* 86.
w) *Rat. Med.* paſſim.

indole & ſede diverſas, à Noſologis facta diviſio demum inſurrexerit. Cogitandum tamen non eſt, harum febrium ſedem ventriculi cavum ſemper cauſſari & adjacentia reliqua viscera in producendis his febribus nullum imperium habere: generalem variarum partium uſum mutuumque, quod invicem alunt, commercium, imo ipſum bilioſarum febrium nomen, hic, ſi qua alibi, differentiam facere, non eſt quod moneamus. Veroſimile hinc potius eſt, vitio ventriculi has febres induci, ſi quacunque etiam de cauſſa bilioſa collectio, vel humor bilem æmulans, ad ventriculum delata, vel ab ingeſtis oleoſis, pinguibus, rancidis aliisque in putredinem pronis, in eo contracta, ſuo ſtimulo & agendi ratione motus provocet febriles, ſpasmodicos, pro varia ſolidorum modificatione & efficientis cauſſæ indole diverſos, eo cum effectu, ut in parte primario affecta non tantum, ſed in remotiſſimis etiam corporis penetralibus, ratione mirabilis illius conſenſus & conſpirationis, affectiones naſcantur ingratæ; quibus fit, ut horripilatio vel frigus, pulſus velox & calor cum ſuis effectibus ſucceſſive corpus occupent, una cum læſione variarum functionum *x*).

M 4 Atque

x) Vid. inpr. Celeb. C. VAN DOEVEREN Præceptoris æſtumatiſſimi, Tentatoris &, ſi per præmatura nimis fata licuiſſet, Promotoris *Prœl. Acad. de Febribus.*

Atque hæc cum ita obſerventur, haud anxie profecto videtur quærendum, undenam ab his febribus toties cor patiatur: multiplicem cauſſarum frequentiam, nervorum decurſum & ramificationes, cordis & ventriculi ſitum, mirabilem, quæ binas haſce partes intercedit, ſympathiam in actum deducere, haud multis opus eſt ut demonſtremus. Atque hinc eluceſcit, quid ſibi velint Auctores, dum, præter varia reſpirationis incommoda, aſthmata, dyspnœas, tuſſes *y)*, pleuritides *z)*, peripneumonias *a)*, hæmoptyſes *b)*, aliaque tam acuta quam chronica mala, quæ à bile toties ſe obſervaſſe incomparabilis STOLLIUS teſtatur, leipothymias & ſyncopas non tantum, quales memorant FORESTUS *c)*; WILLISIUS *d)*, aliique bene multi Auctores, ſed alia cordis mala, imo ipſam quoque mortem à billioſis febribus inductam, unanimi conſenſu ſe vidiſſe fateantur.

II. In FEBRES PITUITOSAS: quæ vel ob frequentiam, vel ob aliorum morborum, quibus ſe ſæpiſſime adjungunt, complicationem haud minorem attentionem merentur. Neque enim raro

y) *Rat. Med. part. 2. pag. 175. & ſeqq.*
z) *Ibidem. part. 1. pag. 30.*
a) *Ibidem. part. 2. pag. 109.*
b) *Ibidem. part. 2. pag. 190. & ſeqq.*
c) *Obſ. Lib. 7. obſ. 5.*
d) *De Febribus cap. 11. p. 94.*

raro obſervatur, ſed abunde ſatis omnis ævi experientia docuit, pituitoſam colluviem in corpore collectam, hepatis morbos non tantum, ſed & pulmonum aliarumque vicinarum partium, ſive inflammationem, ſive alia quæcunque tam acuti quam chronica mala ſuum in conſortium trahere, adeo quidem, ut in morborum diagnoſi & perverſa hisce applicata medicatione incauti ſæpenumero fallantur. Nec minor eſt affinitas, quam cum nervoſis febribus habent; ſi teſte HUXHAMO *e*) pituitæ abundantiam in utraque hac febre peccantem cogitemus, licet debilitatem majorem & pituitoſam colluviem, in febribus lentis non ita ab initio præſentem, adeoque potius pro effectu, quam cauſſa habendam, præcipuas diſtinctionis notas exhibere qui aſſerat, haud ita multum à veritate alienus eſſe videatur. Quæ cum ita ſint, opus inprimis eſſe ſignis videtur, quibus tanquam notis characteriſticis ab alia quacunque febre diſtingui pituitoſa febris valeret. Veroſimile hinc potius eſt, hanc febrim adeſſe, quotiescunque in hominibus pravo victu utentibus pulſus debilis, celer, intermittens, æſtus non magnus, remiſſiones irregulares, lingua, fauces, imo totum os lardo quaſi obducta, urina limpida, appetitus cibi & potus proſtratus, interdum

 nau-

e) *Obſ. de Aëre & morb. Epidem. p.* 163. & *lib. de Febribus cap.* 7. Conf. H. W. ARNOLDI *de Febre Stomachali in Coll. Diſp. Pract.* HALLERI *T.* 5,

nauſea & vomitus inſipidus, tum etiam ſanguis ſub quiete cruſtaceus, ſed à pleuritico corio diverſus in ægro conſpiciantur: quibus etiam poſt mortem confirmamur, ſi inteſtina, interdum & pulmones, glutine obducta inſpectio anatomica prodat. Ex hisce luculenter apparet, ventriculum & inteſtina præcipuas hic partes agere, adeoque mirum non eſt, ſive digeſtionem & vitiatam ab hac cauſſa chylopoiëſin ſpectemus, ſive ventriculi cum corde ſitum comparemus, in cor & in ſanguinem hæc mala redundare. Hinc etiam videmus in motu non tantum errores, ſed & ejusdem κρᾶσιν plane vitiari, quibus fit, ut circuitus humorum languor & ad cordis motum adjuvandum impotentia in ſanguine naſcantur; ne mala memoremus, quæ ex circulationis lentore in homine naſcantur. Neque cordis actionem à ſanguine tantum quovis modo vitiato, ſed ratione mirabilis illius conſenſus, qui inter cor & ventriculum datur, in febribus, quas pituita induxit, diverſimode pati, ſuo jam tempore noviſſe GALENUS videtur, dum ait *f*): *ſi interdum præ craſſitie, copia vel lentore excrementi, vel meatuum ſtipatione, aut ſua ipſius infirmitate Natura nequit excernere omnem humorem pravum, eum diutius cunctantem neceſſe eſt putreſcere. Nullus enim alius humor talis manere poteſt, qualis initio erat, nedum is, qui adeo vitioſus*

f) *De Febr. Differ. cap.* 5. *Lib.* 2. conf. BALLONIUS *de virginum & Mulierum morbis cap.* 8.

oſus eſt, ut amplius Naturæ cultum recipere non poſſit. Itaque pituita, ſicut & alius humor, in ventriculi regione cunctando, vitium acquirit, & utroque modo Naturæ gravis eſt, vitæque noſtræ ſtamen videtur præcidere, præſertim ſi os ventriculi aut Natura, aut alio modo ſit delicatius. Eoque plus negotii datur, quo magis iſte humor movetur & putreſcit, ut inde vires ſæpe vacillent ac labaſcant. Quod ſæpe in febribus quotidianis apparet, & quas pituita aut acida aut vitrea procrearit. Nam & parvus pulſus, & confuſæ urinæ, alias crudæ, ἐφίδρωσις, defectiones animi, viriumque languor apparet, quæ omnia terrifica ſunt, & ab audendo Medicum ſolent avocare. Neque AVICENNAM latuit, in febre, quam ſyncopalem humoralem vocat, quamque adhæſus humoris tenacis, viſcoſi in parietibus ventriculi inducit, defectiones animi adeſſe *g*), præterquam quod ſtomachum, pituitoſa colluvie ſcatentem, febrim & ſyncopen feciſſe FORESTUS *h*), TULPIUS *i*), SENNERTUS *k*), BALLONIUS *l*), STOLLIUS *m*) aliique abunde teſtantur.

III.

g) *Cap.* 52. *lib.* 4. *tract.* 2.
h) *Obſ. Lib.* 7. *obſ.* 6.
i) *Obſ. Med. Lib.* 4. *obſ.* 47.
k) *Oper. Tom.* 6. *Lib.* 2. *cap.* 14. *pag.* 404.
l) *Oper. Tom.* 4. *cap.* 8.
m) *Rat. Med. part.* 2. *p.* 394.

III. In FEBRES VERMINOSAS. Si mille morborum cauſſas, quibus in vita quotidie fere affligitur humanum genus, earumque in ciendis morbis efficaciam, ad examen revocemus, dubitari profecto liceret, utrum in tante cauſſarum diverſitate frequentior morborum claſſis detur, quam qui à vermibus in homine naſcuntur; adeo quidem, ut cognitus vix morbus ſit, quin ab animatis potentiis ſi non natales habuiſſe, cum iisdem ſaltem pari paſſu ambulaſſe legatur. Neque hujus rei ratio obſcura eſſe poteſt, ſi varia corporis loca, interna æque ac externa, quibus animantium genus aliquando nidulatur, in procinctu habeamus. Etenim in primis viis, ventriculo & inteſtinis nempe, frequentiſſima vermium ſede, non tantum inveniri, ſed in hepate, liene, renibus, utero, cerebro, corde aliisque noſtri corporis cavis obvios vermes fuiſſe, obſervationes abunde docuerunt *n*). Hinc etiam mirum non eſt, aliquando cœcitates, aphonias, vertigines, deliria, paralyſes, apoplexias, catalepſes, tetanos, convulſiones, epilepſias, lipothymias, ſyncopes, imo ſubitaneam mortem à vermibus inducta fuiſſe *o*). Ut ut etiam hæc vera eſſe obſerventur, negari tamen non poteſt, ex ventriculo & inteſtinis, primaria horum animalculorum ſede, memorato-

rum

n) Conſuli hic inprimis meretur Celeb. G. VAN DOEVEREN *de Vermibus Inteſtinalibus. pag.* 3.

o) Vid. J. J. VAN DEN BOSCH *Hiſt. Conſtit. Epid. Vermin. cap.* 4.

rum ſymptomatum fontem inprimis ſcaturire, ſive generalem uſum, quem in œconomia humana digeſtionis officina præſtat, attendamus, ſive ſummam horum organorum ſenſilitatem & mirabile inprimis commercium, quod hæc inter & totum corpus intercedit, in auxilium vocemus. Etenim ventriculo & inteſtinis omnium reliquarum actionum tenorem, tanquam à communi fonte abſolvi quis non videt? Quis, niſi in Phyſiologiæ principiis hoſpes plane & peregrinus, non intelligit, ventriculi & inteſtinorum functionem in eo præprimis conſiſtere, ut ex ingeſtis humor præparetur blandus, dulcis, albicans, à Natura ad ea reſtauranda inprimis deſtinatus, quæ per diverſas vitæ actiones continuo deteruntur? Quis demum non novit, hinc quoque neceſſario requiri, ſanguinem, univerſalem illum humorem, non tantum præparari laudabilem debere, ſed omnium ſecretionum, excretionum aliarumque exinde dependentium actionum vigorem à debita ciborum coctione inprimis dependere? Atque hæc in ſtatu ſano cum ita fieri videmus, mirum profecto non erit, ſi quacunque etiam de cauſſa vitium in his partibus detur, primarum viarum functionem non tantum perire, ſed variam ſolidorum labem, fluidorum dyſcraſiam & multiplex malorum genus exinde potiſſimum originem habere. Imo hinc quoque deducenda ratio videtur, quare in morbis ex affectione primarum viarum oriundis,

earum-

earumdem deputatio à ſummis in arte Viris inter primarias indicationes curatorias jure habeatur. Quæ cum ita ſint, haud obſcura ratio malorum eſſe poteſt, quæ à vermibus in homine naſcuntur, ſi in ventriculo inprimis nidulantur. Etenim à vermium mole, numero, motu, reptatu, ſuctu, irritatione gravitatem, infarctum, obſtructiones, nauſeam, vomitum, ſingultum aliaque topica mala *p)* non tantum, ſed ex multiplici hujus officinæ cum univerſo corpore conſenſu, irritatione, quæ nervorum ope fit, in ſolidis turbas oriri variumque ſpasmodicarum affectionum genus induci, adeoque diverſas naſci febres poſſe, putridas continuas, intermittentes, verminoſo-biblioſas, catarrhales, lentas, incertum typum ſervantes Medici Hagani VAN DEN BOSCH obſervationes inprimis docuerunt *q)*: præterquam quod, ſive generales harum febrium effectus ſpectemus, ſive vermium irritationis à ventriculo ad caput, pectus aliasque partes per nervos propagatæ, rationem habeamus, quilibet attentus facile videt, quænam præcipue mala à vermibus in homine naſcantur. Atque ſic quoque ſponte eluceſcit, ſi partium fabricam, ſitum earumque generalem uſum obſervemus, haud minus momentoſa eſſe mala debere, quæ ex memo-

p) Vid. inpr. H. D. GAUBIUS *Inſtit. pathol.* §. 588. tum etiam celeb. G. VAN DOEVEREN *l. c. pag.* 58. *ſeqq.*

q) L. c. *ſect.* I. *cap.* 3. *ſeqq.*

morato fonte cordi evenire ratio non tantum ſuadet, ſed & experientia confirmat: adeo quidem, ut vitalis hujus organi facultas hinc quoque plenarie turbetur: ne cordis tremores, palpitationes, animi deliquia, ſyncopas aliaque mala memoremus, quæ in verminoſis ſe vidiſſe multi Auctores teſtantur. Sic à verme ſatis craſſo præter alia multa ſymptomata inordinatos motus febriles mire aeſtuantes, una cum ſyncope SCHENCKIUS *r)* notavit; quæ tamen omnis mala, poſtquam ab animato hoſpite vomitu liberatus fuerat ægrotus, penitus ceſſarunt. Vidit WILLISIUS *s)* ſincopen in febribus obortam plane deſiiſſe, verme per os prodeunte. Imo obſervationes in fœmina aliquando docuerunt, poſtquam per aliquot annos dolorem in ſcrobiculo cordis fuerat experta, præter hepatis abſceſſum inſignem, ex quo lumbrici prodierunt vivi, mortui, ipſam ventriculi ſubſtantiam à vermibus non tantum fuiſſe perforatam, ſed & univerſalem tremorem, ſudorem frigidum, pallorem faciei, febriles inſultus, ſyncopen aliaque funeſta ſymptomata à vermibus *ἄνω καὶ κάτω* expulſis excitata fuiſſe *t)*. Memorabilis inprimis obſervatio eſt, quam habet Doct. GRIETHUYSEN *u)* de homine, qui jam per aliquod tempus maximis cruciatibus afflictus

r) *Obſerv. Medic. Lib.* 3. *obſ.* II. *pag.* 333.
s) *De Febribus cap.* 10.
t) Vid. *Comm. Lipſ. Vol.* 22. *pag.* 238.
u) *In Diſſ. de Vermibus pag.* 18.

flictus eademque de cauſſa circa umbilicum & ſtomachum atrociſſimos ſæpe dolores, cardialgias, febrim, lipothymias, convulſiones diriſſimas aliaque mala fuerat expertus, omnibus aliis remediis incaſſum adhibitis, à morbo curabatur citiſſime, poſtquam ingentem vermium copiam, vomitu multoties ejectam, memoratorum ſymptomatum cauſſam ſuſpicatus antihelmintica demum in uſum vocavit. Neque alii deſunt, ſi veterum & recentiorum ſcripta evolvamus, qui hujus rei veritatem probe agnoverunt, quos inter venerandum Præceptorem cl. VAN DOEVEREN *v*) & VAN DEN BOSCH *w*) tanquam fontes adduxiſſe, ſatius hic eſſe judicamus.

Atque hæc primaria ſunt, quibus gaſtricarum febrium, quatenus ex cognitis cauſſis naſcantur, influxus in cor demonſtretur: haud tamen inficias eundem, ſive aliarum febrium effectus, quarum cauſſa à priori, ut ajunt, minus cognita videtur, ſive earumdem curationem, à ſummis in arte Viris fideliter notatam, ſpectemus, plerorumque motuum febrilium cauſſas principalem in ventriculo ſedem habere. Hinc etiam mirum non eſt in febribus malignis, peſtilentialibus, contagioſis aliisve epidemice graſſantibus, primarum viarum & præcipue ſtomachi functionem vel ab ipſo morborum initio non tantum vitiatam agnoviſſe; ſed & HELMONTIUM, BAGLIVIUM,

ETT-

v) *L. c.*
w) *L. c. paſſim. inpr. cap. 4. ſect. 2.*

ETTMULLERUM, BARTHOLINUM, BALLONIUM, DIEMERBROEKIUM, HOFFMANNUM aliosque Practicos *x*) putaſſe, præcipuam febrium cauſſam in ventriculo ſæpe latere.

§. IV.

Affectiones Diaphragmatis.

Ex eodem fonte, unde cor & pulmones laudabiles non minus quam vitioſas qualitates trahere obſervantur, diaphragma varia quoque mala poſſe pati, unicuique ſatis ſuperque notum videtur. Etenim, ſive hujus organi ſitum probe attendamus, ſive diaphragmatis & ventriculi nexum, mediante membrana cum peritonæo utrique communi, in animum revocemus, ſive inſuper diaphragmatis filamenta & nerveas membranas, cum fibris ventriculi arctiſſime unitas, ob oculos ponamus, à ventriculo, quovis etiam modo affecto, diaphragma in conſenſum neceſſario rapi debere, ratio non tantum probat, ſed & omnium Medicorum annales teſtantur.

Funeſtum à ventriculi phlegmone ſingultum FORESTUS *y*) notavit, HOFFMANNUS *z*) confirmavit; præterquam quod à vulnere ventriculi

x) Conferri circa hos Auctores meretur H. J. REGA *l. c. cap.* 12.

y) *Obſervat. & Curat. Med. Lib* 18 *obſ.* 31.

z) *Oper. Tom.* 6. *pag.* 227. §. 20. *& pag* 229. §. 26.

triculi BONETUS *a*), ab ulcere RIVERIUS *b*), & ab ipſis anthracibus, tanquam rariſſima ſingultus ac vomitus cauſſa, DIEMERBROEKIUS *c*) eundem affectum ſe vidiſſe meminerunt.

Nec infrequens eſt, ſi obſervationes BARTHOLINI *d*), DOLAEI *e*), BALLONII *f*), WEPFERI *g*) aliorumque Medicorum ad rem noſtram applicemus, variam ſaburram in primis viis & præcipue in ventriculo collectam indeque natam cacochyliam diaphragma ad motum inordinatum ſtipulari, eoque magis, cum à vermibus ſtomachum laceſſentibus, ne alios *h*) memorem ſingultum oriri febre ſtipatum RAMAZZINUS *i*) obſervaſſe ſe teſtetur. Hinc etiam mirum non eſt, ſuo jam tempore GALENUM *k*) docuiſſe, quod ipſimet haud raro eveniſſe teſtatur, pipere tenuiter cribrato, ſi vinum præſertim aqua calida temperatum ſtatim ſuperbibatur, eundem morbum excitari; quem etiam ab aliis quibuscunque acrioribus corporibus, ſive eſculenti, ſive potulenti

a) *Sepulchr. Lib.* 3. *ſect.* 5. *obſ.* 7.
b) *Obſ. Communic. obſ.* 1. *pag.* 564.
c) *De Peſte lib.* 1. *cap.* 13. §. 5. *in annot.*
d) Vid. *Act. Medic. Haffn. Vol.* 2. *obſ.* 28.
e) *De Morb. Infantum Lib.* 6. *cap.* 4.
f) *Conſil. Medicin. lib.* 1. *pag.* 239.
g) *Hiſtor. Cicutæ Aquat. pag.* 106.
h) Vid. *Comm. Lipſ. Vol.* 19. *pag.* 301.
i) *Conſtit. Epid. pag.* 127. §. 11.
k) Vid. SCHENCKII *Obſ. Med. rar. Lib.* 3. *p.* 326.

lenti forma ingeſtis, ventriculum inprimisque ejus oſtium ſuperius, ſicque per conſenſum diaphragma infeſtantibus, L. RIVERIUS *l*), HOFFMANNUS *m*), SWIETENIUS *n*) aliique *o*) annotarunt. Idem de venenis cogitandum. Notavit WEPFERUS *p*) cum diris & horrendis aliquando ſymptomatis ſingultum à cicuta ſæpius oriri: neque alii deſunt, qui eadem de cauſſa convulſivum diaphragmatis motum viderunt: ſic J. ALLEN ab œnanthe *q*), à fungis *r*), à verratro *s*), à nuce vomica, opio aliisque *t*) idem malum memoravit; præterquam quod S. VAN DER WIEL *u*) obſervationibus aliunde deſumtis, propriisque ſuis GULDENKLEE *v*), BARBETTE *w*) aliique hujus rei veritatem abunde perſpexerunt. Tandem huc etiam referri & colophonis ad inſtar apponi variae ſingultus ſpecies merito videntur, noſologis inprimis notatæ,

N 2 qua-

l) *Obſ. infrequent. obſ.* 1. *pag.* 583.
m) *L. c. pag.* 226. §. 14.
n) *Comm. in Aphor.* H. BOERHAAVE *Tom.* 3. *pag.* 210.
o) Vid. HOFFMANNUS *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *c.* 4.
p) *L. c. pag.* 7, 103. & *ſeqq.*
q) *Synopſis Medic. Pract. cap.* 16. *art.* 12.
r) *Ibidem art.* 33.
s) *Ibidem art.* 18.
t) *L. c. art.* 25. & 30.
u) *Obſerv. rarior. cent.* 1. *pag.* 171 & 187.
v) *Lib.* 7. *caſ.* 4. & 7.
w) *Prax. Med. lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 136.

quatenus nempe ad forum noſtrum ſpectant, quos inter, quippe qui pleraque hujus rei exempla adduxit, ſolum SAUVAGESIUM *x)* citaſſe ſatius duxi.

§. V.

Affectiones Oeſophagi.

Quæ cum ita ſint, multo minus etiam œſophagus impune mala patietur, quæ ex memorato ſæpius fonte naſcuntur. Neque enim infrequens eſt in ventriculi phlegmone, vel ubi acris quæcunque materies in ejusdem cavo continetur, œſophagum non tantum, ſed & ipſas fauces moleſte adeo conſtringi, ut infauſto ſæpe omine copioſa aqua in os effundatur. Quem fugit, in infantibus, quorum ventriculus acri ſaburra eſt infarctus, convulſionis certam ſpeciem adeſſe moleſtam, imo haud raro ad interitum fatalem, dum ſpaſmo gulæ affecti continuo deglutire certumque ſonum cum ſingultu edere cogantur? quæ tamen omnia mala ab irritatione ventriculi, œſophagum, fauces & diaphragma in conſenſum rapientis, nec aliter naſcuntur. „Memorabilis inprimis obſervatio eſt fœminæ, quæ, poſtquam œſophagi diſtenſiones, quibus ſemel bisve duntaxat quavis hebdo-

x) *Noſ. Meth. Tom.* I. *pag.* 634. & *ſeqq.* Conferri circa hanc rem inprimis meretur G. F. H. BRÜNING *Diſſ. de Singultu, Morbo, Symptomate, Signo* Traj. ad Rhen, 758.

hebdomade corripiebatur, per aliquod tempus jam perpeſſa, eo tandem ob magnitudinem morbi ſe deductam perſentiit, ut ſolidis veſci nullatenus, nec niſi liquida aſſumere ægra potuerit. Quin imo linctibus, gargarismatibus aliisque medicamentis fruſtra adhibitis, res tandem eo pervenit, ut miſera nihil plane, niſi calidam cereviſiam deglutire valuerit. Videbatur ipſi tuberculum quoddam fauces obſidere, quod per intervalla tantum, nec eodem ſemper loco percepit, dum mox in pharynge, mox in media, mox in ima œſophagi parte hærere obſervabatur. Juncti ſimul erant ructus, qui ex ventriculo adſcendentes & ad hoc ita dictum tuberculum pertingentes ſtatim recidebant, nec eructari quovis modo potuerunt. Aegram aſſidua nauſea vexabat. Medicus ſpasmum ſubeſſe cogitans interne potionem laxantem & cremorem hordei cum oleo amygdalarum dulcium propinavit; externe cataplasma emoliens, diſcutiens & linimentum ex balſamo Hoffmanni cum ſpiritu vini applicuit. Nec irritus horum fuit effectus: ſiquidem liquidis non ſolum liber ad ventriculum aditus daretur, verum etiam, poſtquam absque ulla tuſſi inſignis viſcidæ pituitæ copia vomitu fuerat excreta, & tuberculi ſenſato & nauſea & ructus plenarie deſierunt. Solidiores vero cibi adhuc ſucſiſtebant; recurrebat malum & cum copioſa muci exſcreatione, oris perpetua amaritie, colli dorſique dolore, miſeram fœminam diutiſſime afflixit, donec per aquas Sedlicenſes,

Egranas ac balſamum vitæ malum penitus ceſſavit" y).

Neque minora hujus ſympathiæ indicia præbent, quæ in convulſivo ventriculi motu utcunque obſervatur. Etenim in vomitu totum œſophagi tractum non tantum, ſed & ob eandem tunicarum communicationem & nexum, varias oris partes ſimul poſſe pati, copioſa ſalivæ excretio, vomitum præcedere ſolita, unumquemque facillime docet. Multo minus etiam mirandum videtur, ob arctiorem ventriculi cum utero conſenſum, in malo hyſterico actionem ventriculi læſam non tantum adeſſe, ſed eodem hoc organo affecto œſophagum & fauces ſæpiſſime dolere: nec aliter globi hyſterici, frequentis admodum & fere perpetui in hoc morbo ſymptomatis, ſpaſtica natura videtur docere. Atque hinc quoque deducenda ratio videtur, quare in œſophagi, faucium aliarumque vicinarum partium morbis, unius ſæpe cathartici exhibitione egregii effectus, totidem manifeſta hujus ſympathiæ indicia, à Practicis notentur. Atque ſic, ni fallor, eluceſcit, quid de præcipuis morbis, quos à ventriculo pectus patiatur, in genere cenſendum ſit. Hiſce itaque morbis abſolutis, inſtituti nunc ratio ſuadet, ut in pertractanda, quæ à pectore originem haud raro

y) Vid. J. C. ZWEIGEL *Diſſ. de ſpaſmis gulæ inferioris.* Halæ Magdeb. 1733. *pag.* 18 & *ſeqq.* Cæterum de his Morbis conferri meretur HOFFMANNUS *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 5.

raro agnoſcit, ventriculi anomalia ulterius pergamus.

CAPUT TERTIUM.

SYMPTOMATA DIGESTIONIS LÆSÆ A PECTORIS MORBIS ORIUNDA.

§. I.

Symptomata intemperiei ventriculi læſæ ejusque depravatæ functionis, à vitio pulmonum aliarumque vicinarum partium orta, continens.

Quum tot & tam varia mala eſſe poſſint, quibus, ut in præcedente capite patuit, à ventriculo per ſympathiam pectus patiatur, ita quoque varios pectoris morbos in ejusdem ventriculi functionem incurrere eandemque mille modis poſſe depravare, nunc ſupereſt ut demonſtremus; ita quidem, ut

I. Symptomata intemperiei ventriculi læſæ ejusque depravatæ functionis, à vitio pulmonum aliarumque vicinarum partium orta, tractemus.

II. Ea ventriculi mala memoremus, quæ ex corde oriuntur; dum hiſce

III. Diaphragmatis, quatenus digeſtionis officinam per conſenſum infeſtet, vitia adjungere iisque

IV. Demum varia œſophagi, mala, ventriculum ejusque functionem præcipue turbantia, addere animus eſt.

Quoad primum, ſi varia eaque diverſa admodum mala, quibus primaria reſpirationis organa haud raro affliguntur, prouti veterum Medicorum annales non tantum, ſed & omnium Practicorum etiam recentiſſimorum obſervationes hodiedum plenarie teſtentur, parumper obſervemus, fatendum nihilominus eſt, ſive generalem horum organorum uſum ſpectemus, ſive omnium actionum tenorem functionumque exinde dependentium, ab eorumdem ἐνεργεία, uti par eſt, deducamus, non ſalutiferos duntaxat, ſed & noxios morborum effectus, in quibuscunque corporis partibus eadem de cauſſa varias tragœdias ludere. Quin imo potiſſimum hinc liquet, præcipue ſi utriusque hujus organi functionem ſpectemus, idiopathica non tantum, ſed eodem modo, quemadmodum ventriculus, ut antea patuit,

Vitalesque vias & reſpiramina clauſit,

ex morboſa pulmonum diatheſi varia ventriculi mala natales habere: nec aliter effecta docent. Quid enim familiarius eſt, quam in pleuritide, peripneumonia, hæmoptoë, phthiſi, hydrope, aliisve pectoris morbis digeſtionis anomaliam notare, adeo quidem, ut à naturali, quam dicunt, functione, plus minusve à ſtatu ſano receden-

cedente, bonum ſuſpectumve eorumdem morborum præſagium à Practicis merito notetur? unde etiam HIPPOCRATES dixit: *à pleuritide, aut à peripneumonia detento alvi ſuperveniens profluvium male ominari y*). Quid in praxi frequentius, quam in iisdem præcipue morbis, ut FORESTUS *z*) annotavit, ventriculi cardiam non tantum in conſenſum poſſe rapi, ſicque varios dolores cardialgicos, cardiogmos, anxietates aliaque ejus generis mala induci, ſed & anorexias, apepſias, oppreſſiones aliaque vitiatæ coctionis ſymptomata exinde potiſſimum originem habere? Hinc etiam GALENUS *a*) jam dixit: *quum alvus* (de pleuritide loquens) *profunditur per compaſſionem, ut ſic dicam, hepar afficitur, ut non trahat alimentum, nec, ſi trahat, in ſanguinem convertat, aut ventriculus, ut cibi corrumpantur*; præterquam quod inter recentiores SCHENCKIUS *b*), DIEMERBROEK *c*), BONETUS *d*), RIVERIUS *e*), M. STOLL *f*) aliique hujus rei veritatem abunde perſpexerunt. Quid porro ſolennius, quam in aſthmate, dyſ-

 pnœa,

y) *Aphor. ſect.* 6 *aph.* 16.
z) *Obſerv. & Curat. Medic. Lib.* 18. *pag.* 148.
a) Ap. BALLONIUM *definit. Medic. Tom.* I. *pag.* 215.
b) *Obſ. Medic. Lib.* 3. *pag.* 326.
c) *Diſput. Pract. pag.* 46 & 57.
d) *Sepulchr. Tom.* 2. *pag.* 80.
e) *Prax Med. lib.* 7. *pag.* 250.
f) *Rat. Med. part.* I. *pag.* 62.

pnœa, tuſſi, præter memorata mala, nauſeam & ipſam ventriculi ſubverſionem, ut etiam WILLISIUS *g)* notavit, frequentiſſima affectorum pulmonum ſymptomata, non tantum obſervare, ſed & graviora longe mala ex hoc quoque fonte oriri: quale morborum genus in ipſa etiam pleuritide nonnulli obſervarunt? Dixit BALLONIUS *h)* pleuritides plerasque mali ominis fuiſſe, quæ & vomitiones perpetuas afferrent, & ſummam virium imbecillitatem parerent, quod inflammationis vis a partes nobiles, præſertim cor & ventriculum, perveniret. Quem denique fugit, ſingultum, adeo funeſtum in acutis ſymptoma, variis pectoris morbis haud raro ſubvenire, quibus omnibus eodem modo, quemadmodum ventriculus ſua mala cum pulmonibus communicet, pulmones viciſſim ventriculum afficere, abunde docemur?

§. II.

Symptomata cordis ventriculum ejusque functionem turbantia.

Neque minus lucide apparet, ſi præcipuam cordis functionem ejusque generalem in omnes actiones influxum rite obſervemus, univerſalem hujus organi cum toto corpore conſenſum non tan-

g) Nerv. deſcript: cap. 24. pag. 89.
h) Oper. Tom. 1. pag. 215. Conf. BONETUS *Theſ. Med. Pract. Tom. 2. pag.* 409.

tantum intercedere, ſed & vitiatam cordis functionem ob partium nexum & viciniam, æque ac variorum, ad hæc organa tendentium, paris vagi & intercoſtalium nervorum decurſum, ſpecialem cum ventriculo conſenſum habere, adeo quidem, ut ob utriusque hujus organi ſitum, utrum nempe cor ipſum, an vero ventriculi cardia patiantur, in ipſa morborum denominatione ambiguitas apud veteres naſcatur. Manifeſtum hujus rei exemplum apud HIPPOCRATEM habemus: *in febribus circa ventriculum* (inquit) *æſtus vehemens & oris ventriculi dolor malum i)*; ubi GALENUS, (quod mirandum), τȣ̃ καρδιωγμȣ̃ nomine cum multis crebrum, velocem & palpitationi ſimilem cordis motum intelligendum eſſe voluit, præterquam quod ex veteribus alii cordis palpitationes, aliis formidines dictas, aliis tremores aliasque affectiones, ipſi cordi proprias, cum cardialgia & cardiogmo confudiſſe videantur k). Atque hæc cum ita obſerventur, vel ultro, ni fallor, pateſcit, eadem de cauſſa, quemadmodum ventriculus, ut antea patuit, cordi ſua mala impertiat, vitiatam cordis functionem ventriculo nocere. Neque enim admonitione videtur indigere, in variis cordis affectibus, ut in crebra palpitatione, ſyncope aliisque hujus organi

i) *Aphor. ſect.* 4. *aph.* 65.
k) Vid. BALLONIUS *Conſil. Medicin. lib.* I. *conſ.* 109.

gani morbis, anxietates cardialgicas non tantum ſubvenire, ſed & alia cordis mala, ulcera, abſceſſus nauſeas & vomitus producendo, quales, ut alios taceam, BONETUS *l*) & RIVERIUS *m*) notarunt, digeſtionis officinam ſæpiſſime turbare; ne mala memoremus, quæ ex circulationis anomalia, indeque depravata gaſtrici humoris aliorumque digeſtioni inſervientium ſuccorum indole ac craſi, ventriculo præprimis naſcuntur. Haud tamen inficias eundum, præter nervorum conſenſum, eumque, qui inter circulatorium ſyſtema datur, aliam conſenſus ſpeciem haud raro ſubeſſe, non minus memorabilem, quo vel preſſione, vel diſtenſione, vel tractione, vel pondere aliisve etiam modis conſenſus in actum ducatur. Hinc etiam mirum non eſt, cardialgiam à corde magno non tantum BONETUM *n*) obſervaſſe, ſed et alios *o*) fuiſſe; præterquam quod cordis & vaſorum palpitationes, dilatationes aliasque id genus affectiones varia digeſtionis officinæ mala induxiſſe, alii iterum Auctores *p*) manifeſto viderunt.

§. III.

l) *Sepulchr. Tom.* 2. *pag.* 80.
m) *Obſerv. cent.* 1. *obſ.* 87.
n) *L. c.*
o) Vid. SAUVAGES *Noſol. Meth. Tom.* 2. *p.* 93.
p) Vid. *Comm. Lipſ. Vol.* 6. *pag.* 613. Conf. SCHENCKIUS *Obſ. Med. lib.* 2. *pag.* 276.

§. III.

Affectiones ventriculi læſi, diaphragmatis vitio inductæ.

Atque ſic conſpicere datur, quidnam de diaphragmatis & ventriculi conſenſu præcipue cenſendum ſit. Etenim, ſi exquiſitum utriusque hujus organi ſenſum, nervorum decurſum & communionem, partis utriusque contiguitatem & nexum, vaſorum anaſtomoſin aliave conſenſus adminicula ob oculos ponamur, cum BAUSNERO *q)* concludere licet, ventriculum etiam à diaphragmate habere quam maxime, quod ſibi metuendum ſit. Neque diſpares etiam effectus ſunt, quos ex affecto hoc viſcere in ventriculum redundare antiquitas non tantum novit, ſed hodierni etiam Medici plenarie teſtantur. Exemplo diaphragmatis inflammatio ſit: adeo namque in hoc morbo ventriculus compatitur, ut nauſea & vomitus, tanquam præcipua hujus mali ſymptomata, à ſummo BOERHAAVIO *r)*, SWIETENIO *s)* A. DE HAAN *t)* aliisque notentur; ne varios præcordiorum dolores, anxietates, cardialgias, ructus, flatus, borborygmos, ſtomachi repletiones aliaque vitiatæ ventriculi fun-

q) De Conſenſu partium pag. 141.
r) Aph. de Cogn. & Cur. Morb. § 969.
s) Comm. Tom. 3. *pag.* 74.
t) Rat. Med. part. 9. *c.* 2. §. 7.

functionis ſymptomata, ab HUXHAMO *u*) aliisque *v*) memorata, ex hoc quoque fonte derivemus. Quin imo potiſſimum hinc liquet, quare in diaphragmatis inflammatione ſingultus frequentiſſimum ſymptoma eſſe obſervetur. Neque enim iis aſſentimur, qui ſolius tantummodo ſepti convulſionem ſingultum eſſe, & in hoc tantum formalem hujus mali rationem ponendam eſſe voluerunt. Multo minus etiam cum aliis *w*) putandum, ab irregulari ventriculi motu ſingultum utcunque dependere; licet tamen, ut vera fateamur, ob exquiſitum hujus organi ſenſum, haud parva ſingultus provocandi occaſio in ventriculi cardia naſcatur. Veroſimile hinc potius eſt, præcipue ſi affectarum partium ſitum attendamus, alteram haud affici poſſe, quin & altera in conſenſum trahatur, adeoque neceſſario requiri, convulſivum diaphragmatis & ventriculi non tantum, ſed ipſius etiam œſophagi motum ſimul in ſingultu adeſſe; nec aliter effecta docent. Ventriculum in diaphragmatis phlogoſi convelli, Auctor eſt BONETUS *x*), SENNERTUS *y*), HUXHAMUS

u) *Oper. Tom.* 2. *pag.* 215. *ſeq.*
v) Conſuli hic inprimis meretur L. A. EBELING *de Inflammatione Diaphragmatis* ap. P. G. SCHROEDER *Opuſc. Med. Vol.* 2. *pag.* 260.
w) Vid. SCHROEDER *l. c. pag.* 303.
x) *Theſ. Med. Pract. Tom.* 2. *pag.* 401.
y) *Oper. Tom.* 2. *lib.* 2. *part.* 3. *ſect.* 2. *pag.* 505.

HAMUS *z*) aliique *a*). Hinc etiam mirum non eſt, eundem affectum ab ulcere alios *b*) vidiſſe, præterquam quod ab acri quacunque materia, quovis modo ad diaphragma delata, vel in eodem etiam congenita, ventriculum ad inordinatum motum incitari, HOFFMANNI *c*), TRALLESII *d*) aliorumque Medicorum ſcripta ad amuſſim teſtentur.

§. IV.

Symptomata functionis ventriculi læſæ, ab œſophagi morbis oriunda.

Verum enim vero, quemadmodum cor & pulmones, ut antea vidimus, cum ventriculo non tantum ſua mala communicent, ſed & diaphragmatis morborum imperium, ut præcedente §. patuit, in producendis ventriculi malis tam longe lateque extendatur, ita quoque non ſolum ob membranam, verum etiam ob ſitum & decurſum aliasve cauſſas utrique huic organo communes, in variis œſophagi morbis haud impune ventriculum abire, nec poſſe, res docet atque ratio probat. Neque enim infrequens eſt, ſi experientiam quotidianam conſulamus, ab œſopha-

z) *Oper. Tom.* 1. *pag.* 301. & *ſeqq.*
a) Vid. SAUVAGES *Noſ. Meth. Tom.* 1. *p.* 639.
b) *Ibidem pag.* 643.
c) *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 4. §. 14.
d) *De uſu Opii ſalubri & noxio ſect.* 3. *p.* 97. *ſeqq.*

ſophago, quovis modo irritato, ventriculum in conſenſum poſſe rapi, adeo quidem, ut à digito gutturi immiſſio nauſeæ non tantum, ſed & ipſe vomitus haud raro excitetur: quale morborum genus, ut alios omittam, exinde potiſſimum BONETUS *e)* obſervavit. Dyſphagiam ſpasmodicam varios ventriculo dolores excitaſſe, auctor eſt HOFFMANNUS *f)*; præterquam quod ab excoriatione œſophagi prope ventriculi orificium à vermibus inducta *g)*, & à tumore fungoſo intra cavitatem œſophagi naſcente *h)*, cardialgias varioſque ſtomachi dolores alii Auctores annotarunt. Atque hinc quoque dedúcenda ratio videtur, quare in œſophagi inflammatione ventriculus præprimis patiatur. Neque deſunt Auctores, qui hujus rei veritatem probe perſpexerunt. Singultum ab inflammato œſophago natum DE GORTER *i)* annotavit, ne varia appetitus depravati ſymptomata, quorum, ne reliquos *k)* memorem, ab hujus organi phlogoſi non tantum, ſed & ab excoriatione, dolore aliisve œſophagi morbis SCHENCKIUS *l)*, BONETUS *m)* & inter

e) *Sepulchr. Tom.* 2. *lib.* 3. *ſect.* 8. *obſ.* 64.

f) *Oper. ſupplem.* 2. *part.* 2. *pag.* 269. & *ſeqq.*

g) Ap. BONETUM *l. c. pag.* 64.

h) Vid. HOFFMANNUS *l. c. pag.* 272. Conf. RHODIUS *Obſerv. cent.* 2. *obſ.* 72.

i) *Comp. Med. tract.* 27. §. 12. Conf. SAUVAGES *Noſ. Meth. Tom.* 1. *pag.* 639.

k) Vid. BONETUS *Theſ. Med. Pract. T.* 2. *p.* 405.

l) *Obſ. Med. Lib.* 3. *pag.* 313.

m) *Sepulchr. Tom.* 2. *pag* 64.

inter noſtrates celeb. M. VAN GEUNS *n)* inprimis mentionem fecerunt, ulterius ſiſtamus. Atque ſic quoque ſponte eluceſcit, undenam ab œſophagi obſtructione, quovis etiam modo inducta, toties vomitus naſcatur. Sic ab œſophagi tumore intus enato WILLISIUS *o)*, HOFFMANNUS *p)* aliique *q)* vomitum viderunt: præterquam quod ab œſophagi glandularum, membranoſarumque partium tumore, induratione, ſcirrho, dilatatione, paralyſi aliave cauſſà œſophagi canalem occupante, varia ventriculi mala poſſe naſci, ita expoſuit A. DE HAAN *r)*, ut in hiſce tuto ſubſiſtamus.

Atque hæc præcipua ſunt, quibus ventriculi & pectoris conſenſus per effecta illuſtretur. Haud tamen inficias eundum, à priori, ut ajunt, rem non ita penitus patere, ut ab expertiſſimo quoque Medico in eorumdem morborum diagnoſi, prognoſi & cura graviſſimi haud raro errores in praxi committantur. Hinc opus inprimis eſſe ſignis videtur, quibus, tanquam notis characteriſticis, ſympathici pectoris & ventriculi morbi ab

n) Vid. *Act. Harlem. Tom.* II.
o) *De Medicament. Operat. pag.* 18.
p) *Suppl.* 2. *part.* 2. *pag.* 269 *& ſeqq.*
q) Vid. SAUVAGES *Noſ. Meth. Tom.* 2. *pag.* 342.
r) *De Deglutitione paſſim.*

ab aliis diſtinguuntur, cogniti curantur. Ad hæc itaque in altera ſectione progredior.

SECTIO SECUNDA.

DIAGNOSIN ET CURATIONEM PECTORIS ET VENTRICULI MORBORUM, EX MEMORATO FONTE NASCENTIUM, COMPLECTENS.

INTRODUCTIO.

In tanto morborum concurſu morbos cognoſcere, cognitos curare, hoc opus eſt, hic labor. Verum enim vero quum non adeo felici ſemper eſſe Medico contingat, variique etiamnum morbi obſerventur adeo obſcuri, ut, quidquid etiam tentaverint, quidquid abhibuerint Practici, eorumdem naturam indagare abditasque cauſſas eruere, inter pia Medicorum requiſita hactenus detur; quid eſt, quod miremur, hancce Medicinæ partem dogmaticam, tam utilem, tamque neceſſariam, hac ſola de cauſſa rationalium Medicorum conamina in iisdem morbis prædicendis curandisque ſæpiſſime illudere. Dolendum interim eſt, hacce difficultate inprimis illos morbos laborare, quos in nervoſo ſyſtemate ſagax Medicorum

dicorum induſtria quotidie detexit: adeo namque in iisdem quandoque Medici cæcutiunt, ut non niſi probabilia ſectari perque tenebras illidere exercitatiſſimi etiam Practici ſæpiſſime cogantur. Et quis non videt, hiſce tenebris adhucdum morbos obvolvi, quos à ventriculo præprimis pectus patiatur, adeo quidem, ut in eorumdem morborum diagnoſi deceptum, morbumque bilioſum, ob inſigne & ſatis diuturnum à ſanguinis miſſione levamen, inflammatorium ſe declaraſſe in praxi verſatiſſimus STOLLIUS *t*) cordate fateatur? ne bilioſas pleuritides, peripneumonias, hæmoptyſes, tuſſes aliasve id genus affectiones, quarum diagnoſis obſcura Practici judicium haud raro ſuſpendit, ulterius notemus. Noſtrum tamen eſt in ſigna inquirere; quibus ab aliis diſtingui, ſuas ad claſſes referri debitisque remediis curari pectoris & ventriculi morbi valeant. Ad hæc itaque ex ordine nunc pergo, viſurus in re tanti momenti

Quid valeant humeri, quid vires ferre recuſent.

t) *Rat. Med. Tom.* 1. *pag.* 52 *& ſeq.*

CAPUT PRIMUM.

SIGNA IN PECTORE CONSPICUA, AD DIAGNOSIN ANOMALIAE FUNCTIONIS NATURALIS INPRIMIS FACIENTIA.

§. I.

Pectoris Morborum, ex memoratis cauſſis naſcentium, Diagnoſis.

Varios eosque diverſos ſæpe dolores, quibus pectus quotidie affligitur, non ſemper idiopathicos eſſe, verum, ſicut antea vidimus, à ventriculo præprimis poſſe naſci ejusdemque hujus organi, quovis modo affecti, manifeſtum haud raro ſignum exhibere, omnium Medicorum annales abunde teſtantur. Neque enim infrequens eſt in gaſtritide, morbo illo diriſſimo, uti L. RIVERIUS *t*) notavit, reſpirationem non tantum intercipi; verum, quod HOFFMANNUS *u*) & MORGAGNIUS *s*) inprimis obſervarunt, varios pectoris dolores, ſummas haud raro

t) *Prax. Med. Lib. 9. cap. 11.*
u) *Oper. Tom. 6. de Inflammatione Ventriculi frequentiſſima §. 12.*
v) *Epiſt. Anat. Med. 30. art. 4.*

raro anxietates, inquietudines aliaque ſymptomata morbi diagnoſeos Medicum certiorem feciſſe. Intolerabilem illam circa præcordia anxietatem; ad diaphragma, pulmones & cor ipſum ſeſe extendentem, præcipuum inflammati ventriculi ſignum exhibere, HOFFMANNUS *w)* jure ſuo aſſeruit.

Et quoties non ipſimet videmus, ſingultum in hoc morbo ſymptoma conſtituere adeo conſtans, ut, vel hoc etiam præſente, ſiniſtrum morbi eventum augurari Medico liceat.

Cordis palpitationes, leipothymias & ſyncopas non ſemper ab *ἰδιοπαθείᾳ* cordis oriri, ſed ventriculi phlogoſin haud raro comitari, obſervationes FORESTI *x)* & SENNERTI *y)* aliquando docuerunt.

Oeſophagi moleſta conſtrictio quoties non memorati ſæpius mali indicium? ut etiam in his morbis nullam primarum viarum rationem habuiſſe piaculum ſit.

Et quis demum non novit, varia reſpirationis incommoda, aſthmata, dyſpnœas, tuſſes; incubos aliaque pectoris mala anomaliæ functionis

w) L. c.
x) Obſervat. & Curat. Medic. Lib. 18. obſ. 1.
y) Oper. Tom. 4. pag. 375.

nis naturalis diagnoſin ſatis certam ſæpiuſcule præbere?

Atque ſic quoque ſponte eluceſcit, quanti ad pectus attendiſſe, ut variorum ventriculi malorum diagnoſi lux affundatur, in praxi Medica momenti ſit. Hæc itaque, quæ per ſe ſola vix ac ne vix quidem ſufficiunt, proprius exponere cumque aliis ſignis ſimul conferre, Medici officium jubet.

§. II.

Quæ ſigna varia ventriculi labes in pectore exhibeat.

Pleuritides & peripneumonias diatheſin mere phlogiſticam non ſemper cauſſari, aſt ſæpe ſæpius fundamentum ſuum primarium in prima coctionis officina habuiſſe, res docet atque ratio probat. An itaque mirum, ad cacochyliam variasque corruptorum humorum ad primas vias colluvies varios Auctores toties reſpexiſſe; quoties à bile, pituita, vermibus aliave ventriculi ſaburra, ſuo jam tempore Medicinæ parens HIPPOCRATES *z*) non tantum, ſed & inter recentiores HOFFMANNUS *a*), VAN DEN BOSCH *b*), STOLLIUS *c*) aliique *d*) varia pectoris mala obſer-

z) *Oper. ſect.* 5. *pag.* 534.
a) *Oper. Tom.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 7. §. 52.
b) *Hiſt. Conſt. Epid. Vermin. cap.* 3. *ſect.* 4.
c) *Rat. Med. part.* 2. *pag.* 107.
d) Vid. *ſect.* 1. *cap.* 2. §. 1.

obſervarunt? An hinc quoque rei veritate perculſus BALLONIUS dixit, potiorem pleuritidum partem non venæ ſectione, ſed iis, quæ gaſtricum ſyſtema purgant, inprimis curandam *c*)? Obſervationes certe variorum Auctorum antea citatæ hujus rei veritatem ſatis ſuperque oſtenderunt. Ardor in thorace, pectoris oppreſſio & ſpiritus difficultas quoties non dominantis in ventriculo bilis indicium? & quid ſolennius, quam, ubi verminoſa colluvies in digeſtionis officina nidulatur, cordis palpitationes, leipothymias & ſyncopas adeſſe: præterquam quod reſpiratio læſa, dyſpnœa & ſicca illa tuſſis, ſummas fauces moleſte admodum irritans, ad determinatam morbi diagnoſin haud parum contribuant.

Quis porro ignorat, ſpasmum illum gulæ in infantibus cum ſingultu conſpicuum, certiſſimum affecti ventriculi ſignum Medico haud raro præbere? Nonne itaque in variis caſibus, ubi memorata pectoris mala obſervantur, latitantis in ventriculo mali merito ſuſpicio naſcitur? Nonne itaque his ſignis aliquo modo fidendum? Diagnoſin profecto perverſam non niſi graves in eorumdem morborum therapia errores induxiſſe, Auctorum monumenta teſtantur, adeo quidem, ut, quem evacuantia ſanaſſent, ſtimulantibus perire haud raro obſervetur. Quantum itaque ad hæc attendiſſe Medici interſit, ex dictis facile liquet.

c) Conf. STOLL *Rat. Med. part. I. pag. 76. ſeqq.*

§. III.

Signa in pectore conſpicua, quæ tuſſis diagnoſin formant.

Neque minorem etiam in diſtinctione cauſſarum attentionem mereri videntur, quæ in tuſſi à Practicis quotidie notantur. Etenim moleſtiſſimi hujus ſymptomatis cauſſam non ſemper pulmonibus ineſſe; aſt ſæpius in ſtomacho, utero aliisque corporis partibus hærere, HIPPOCRATIS, AETII, ETTMULLERI, DIEMERBROEKII, BAGLIVII aliorumque Medicorum annales antea abunde probaverunt. An itaque pro varietate cauſſarum varius tuſſis ſonus? Rei certitudinem doceant illæ Medicorum obſervationes, quibus conſtitit, alium in catarrhali ſimplici, alium in clangoſa, alium in aſthmatica, alium in phthiſica, alium in hypochondriaca, alium in hyſterica, alium denique in morbilloſa tuſſis ſonum fuiſſe. Singularis obſervatio, ab amiciſſimo J. P. MICHELL Medico Amſtelodamenſi mecum humaniſſime communicata, ante dicta egregie confirmat. En morbi hiſtoriam ab ipſo viro doctiſſimo alibi *f*) deſcriptam.

„Matro-

f) Inſeruit dein hanc obſervationem doct. Auctor Diſſertationi ſuæ *de morbis nervoſis Batavorum*, ab Ultrajectina Societate artium & ſcientiarum cultui dicata, aureo nummo condecoratæ, quæ in ſequenti tomo actorum hujus Societatis publici juris flet.

„Matrona quædam, quæ diu tuſſi ſtomachica laboraverat & à variis, à diverſis Medicis celebrioribus, datis conſiliis vix ullum mali ſolamen obtinuerat, ita ut naturæ benefico auxilio malum, debito ſub regimine tolerabile committere cogeretur, ſanitatis cæterum ſatis perfectæ voluptate fruebatur. Verum, quum per biennium malo huic ferendo jam jam conſueta, poſt puerperium febri ex mammarum morbo oborta, vires fractas condoleret, tuſſis vehementia ita increvit, ut ſpaſticis conſtrictionibus thoracis infeſtiſſima Medicinæ opem re vera requireret. Tuſſis autem ſonus plane mutatus ſuſpicionem alius cauſſæ ſubſidentis movebat, ita ut ſimplicem ſtomachicam hanc tuſſim ſalutare amplius non auſus, hyſtericæ complicationis ſigna ex ejusdem ſono eruere mihi viderer, cujus opinionis probabilitatem periodica ſpasmodicæ conſtrictionis natura, globi inteſtina pervagantis ſenſus & anomalia menſtrua non parum confirmabant. Dubium omne tollebat ſalutaris aſæ fœtidæ & laudani uſus, quibus complicatum hoc ſymptoma brevi ad priſtinum ſimplicitatis ſtatum reducebatur. Subitum autem moleſtiſſimi hujus ſymptomatis levamen ægram impellebat, ut & quid de ſtomachica illa inveterata tuſſi ſentirem, num quænam eſſet inquam mali ſanationis ſpes, tentaret. Prognoſtica ſane, quum tot egregii Medici fruſtra in cura deſudaſſent, fauſtum medicaminum effectum certum non fore, dictabant. Neque

O 5 tamen

tamen omnis curationis ſpes plane abjicienda mihi videbatur. Juvenilis ætas, morigera ægræ indoles, corporis ſanus habitus & humorum blanda craſis uſum ipecacuanhæ, egregii in hoc morbo medicamenti, omni ſucceſſu haud eſſe cariturum mihi ſuadebant. Neque diu practica hæc Medicina fuit, quum omni bihorio grani dimidiam partem capiendo malum levaretur, & poſtea, augendo ſenſim doſin, absque ullo alio remedio ſanata fuerit noſtra. Verum brevi poſt felicem hanc curam recrudeſcebat vehementior tuſſis, quam & à catarrhali & ab hyſterica & denique à ſtomachica diverſam plane docebat ſonus: hæc enim morbilloſæ tuſſis characterem mihi ſenſibus, ſono hujus, epidemici tunc, morbi adſuetis imprimebat. Prognoſtica hoc fundamine prolati morbi probavit ulterior decurſus & ægræ plenaria curatio ".

Neque minus huc facere videntur, quæ in ægro haud ita pridem ipſe obſervavi.

„Juvenis ſcilicet viginti duorum annorum, temperamenti ſanguineo cholerici, poſtquam per aliquod tempus tuſſi laboraverat ſatis vehementi, poſt paſtum ſæpe recrudeſcente, variisque ad hunc morbum debellandum ſic dictis pectoralibus remediis fuerat uſus, irrito tamen cum ſucceſſu, auxilium meum implorabat. Singularis tuſſis ſonus, errores in diæta commiſſi, digeſtionis anomalia, quandoque nauſea, imo haud raro momen-

tane-

ſaneum ab incipiente vomitu levamen mali characterem, quo æger laborabat, ſatis certo mihi indicare videbantur. Neque falſam me morbi diagnoſin feciſſe ſalutares medicaminum effectus manifeſto docuerunt. Poſtquam enim radicis ipecacuanhæ vires, tartaro emetico nuptas, in ægroto fueram expertus, malum plenarie ceſſaſſe lætus obſervavi. Aegro interim lautiſſime vivente, poſt duas ſeptimanas, minori tamen impetu, morbus recruduit, donec ingruentes variolæ, frequentiore vomitu ſtipatæ, à moleſtiſſimo ſymptomate ægrotum ex toto liberarunt ".

Atque hæc cum ita obſerventur, quid eſt, quod miremur, Medicos in tuſſi ad hoc ſignum inprimis attendiſſe; eo magis, cum experientia alios docuerit Auctores g), ſimplicem tuſſim, in initio mere ſtomachicam, ſed non cognitam, neglectam, phlebotomiis, emollientibus, tepidis, oleoſis aliisque incongruis remediis tractatam, in ruinam pulmonum & totius demum corporis converſam fuiſſe.

g) Conſuli circa hanc rem inprimis meretur M. STOLL *Rat. Med. part. 2. pag. 320. & ſeqq.*

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

SIGNA, QUÆ EX DIGESTIONIS ANOMALIA AD DIAGNOSIN VARIORUM PECTORIS MORBORUM PETUNTUR.

§. I.

Signa in ventriculo occurrentia, quæ pectoris morborum Diagnoſin illuſtrant.

Nauſeam & vomitum aliaque anomalæ digeſtionis ſymptomata pleuritidem & peripneumoniam quandoque comitari, obſervationes BALLONII *h*), SCHENCKII *i*) aliorumque Medicorum, quos antea citavi, ſatis ſuperque probaverunt. An itaque mirum, in iisdem præcipue morbis tantopere ad hæc ſigna attendiſſe, iisque præſentibus juſtam memoratorum morborum diagnoſin Medicos feciſſe? Alvi profluvium pleuritidi aut peripneumoniæ ſuperveniens male ominari, antea ex HIPPOCRATE vidimus, quod etiam GALENUS *k*) confirmavit; præterquam quod plerasque pleuritides, quæ vomitiones perpetuas afferebant, mali ominis fuiſſe, alii *l*) abunde

h) *Conſ. Med. Lib.* I. *conſ.* 6.
i) *Obſ. Med. rar. Lib.* 2. *obſ.* 7 *pag.* 242.
k) Vid. ap. BALLONIUM *oper. Tom.* I. *p.* 215.
l) Vid. *ſect.* I. *cap.* 3. §. I.

unde annotarunt. Neque in pleuritide tantum, verum etiam in tuſſi WILLISIUS *m*), HOFFMANNUS *n*) aliique *o*) idem ſæpius ſymptoma obſervarunt.

Spasmos in abdomine præſertim ad præcordia, flatus, borborygmos pulſumque in hypochondriis undoſum, inſtantem quandoque hæmoptyſin præcedere, auctor eſt HOFFMANNUS *p*), SCHROEDERUS *q*), BALLONIUS *r*): SWIETENIUS *s*) confirmat. An itaque tantus ventriculi cum pectore conſenſus, ut hac ſola etiam de cauſſa in memoratis morbis non tantum, ſed etiam in phthiſi, hydrope aliisve ad ventriculum præprimis Practici attendant? Omnis ævi obſervationes docuerunt, docentque hodie adhucdum ſatis, pro majori minorive eorumdem morborum intenſitate, naturalem, ut ajunt, functionem plus minusve à ſtatu ſano recedere, ut adeo ad hanc attendiſſe prudentis etiam Medici ſit.

Imbecillitatem ventriculi, palpitationes, leipothymias, ſyncopas, polypos aliaque cordis ſymptomata

m) *Nerv. deſcript. cap.* 24. *pag.* 89.
n) *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 6. *pag.* 146.
o) Vid. *Beſchryving van de Epidemiſche Zinking-koorts te* Haarlem Anno 1782. *pag.* 94.
p) *Oper. Tom* 2. *part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 2. §. 6.
q) *Opuſc. Med. Vol.* 2. *pag.* 306. *ſeqq.*
r) *Epid. & Ephem. Lib.* 1. *pag.* 41.
s) *Comm ad Aphor.* H. BOERHAAVE *Tom.* 4. *pag.* 25. & *ſeq.*

ptomata minari, obſervationes TRALLIANI, ARETÆI aliorumque Medicorum antea allatæ ad amuſſim probarunt.

Et quis non novit, nauſeam & vomitum præcipua inflammati diaphragmatis ſymptomata ſiſtere, adeo conſtantia, ut ſummus BOERHAAVIUS *t*) & A. DE HAAN *u*) non dubitaverint eadem inter propria hujus morbi ſigna collocare. Singultum inflammationi diaphragmatis ſupervenientem, mortem fere certam, eandemque propinquam indicare, auctor eſt SCHROEDERUS *v*): ab inflammato œſophago ventriculum convelli, alii *w*) notarunt.

Verum, ne dicta repetamus, quum ex prioribus ſatis eluceſcat, quanta malorum caterva ex hoc præcipue fonte naſcatur, quumque in pectoris morborum diagnoſi formanda, ventriculi rationem habuiſſe Medico haud raro ſufficere obſervetur, hæcce Practici judicio ulterius relinquamus.

§. II.

Quæ ſigna pleuritis billioſa in ventriculo exhibet.

Neque minoris etiam indaginis videntur, quæ in bilioſa pleuritide ab Auctoribus ſigna recenſentur.

t) *Aphor. de cogn. & cur. morbis.* §. 909. Conf. VAN SWIETEN *ad hunc Aphor.*
u) *Rat. Med. part.* 9. *cap.* 2. §. 7.
v) *Opuſc. Med. Vol.* 2. *pag.* 304.
w) Vid. SAUVAGES *Noſ. Med. Tom.* I. *p.* 639.

tur. Etenim omnem omnino pleuritin à pectore procedere, quis eſt, qui non neget? Si Medicorum annales evolvamus, manifeſta hujus rei exempla habemus. Sola BALLONII obſervatio ſufficit: ita enim ait: *cum dolores vagabunde tenent nothas coſtas, & continuatione membranarum attingunt aliquando mammas & partes ſterni anteriores, caute videre oportet, an propter ventris inferioris cacochyliam, à qua propter vapores elevatos dolores ſurgunt, ſenſio adſit doloris, an cauſa ipſa à partibus ſuperioribus pendeat, an vero in thorace ipſo ſit: vulgo ſecatur vena, undelibet ſit dolor, idque male. Quis enim neſcit, ſi dolor iſte agnoscat cauſam in ventre inferiore, non modo prodeſſe phlebotomiam, ſed etiam ſæpe nocere, quod attractio fiat à partibus inferis, & ſi nondum adſit pleuritis, ea per venæ ſectionem acceleretur x)?* ſubjungitque inferius: *plerique queruntur de dolore pectoris, unaque ventriculi, & ſeſe animam ducere non poſſe ajunt. Statim Medicorum quorundam vulgarium opinione ad phlebotomiam concurritur, at nil, aut parum profici, declarat rerum exitus. Etenim ſi vel cholera, vel diarrhœa ſuccedat, vel purgante ſollicitetur alvus, dolores cito levantur. Sic cacochylia, hypochondriorum obſtructio dolores facit, qui maxime apparent, & proferuntur in pectore ob conſenſum diaphragmatis, & quia in*

x) *Epid. & Ephem. Lib. 1. pag. 58.*

in thorace communis eſt membrana & lateribus & diaphragmate parte convexa. Sic in iis, qui melancholia flatuoſa tenentur, circum mammas & ſternon & latera dolores ſurgunt; an propterea venam ſecabis y)? Quæ cum ita obſerventur, vel ultro, ni fallor, pateſcit, quanta in eorumdem morborum diſtinctione perſpicacia ingenii inprimis requiratur: non enim ea ſemper horum morborum ratio eſt, ut non, quibus vix ac ne vix quidem à Medico diſtinguantur, multa inter ſe communia habere obſerventur. Aſt vero graves errores in diagnoſi commiſſos horum morborum therapiam incurrere, quis non videt? Omnes, quibus in peripneumonia bilioſa ſanguis fuerat detractus, mortuos; quibus autem omiſſa venæ ſectio, adhibitaque evacuantia fuerunt, ſervatos fuiſſe ſcripſit TISSOTUS *z*); neque alii *a*) deſunt, qui hujus rei veritatem in ſcriptis notarunt. An itaque ad ſola pleuritidum ſigna, ex pulſu, reſpiratione atque ex dolore petita, à Medente tantum reſpiciendum? Nonne felicius in praxi verſabitur, qui hæc æque ac alia ſigna, quæ à bile ejusque orgasmo deſumuntur, quæque oris amarore, ſordida lingua, bile quandoque ſuffuſa, nauſea ipſoque bilioſo vomitu, anorexia, victusque inprimis animalis averſatione, præ-

y) *Epid. & Ephem. Lib.* I. *pag.* 64.
z) *De febribus bilioſis pag.* 130.
a) Vid. inpr. P. G. SCHROEDER *Opuſc. Med. Tom.* I. *pag.* 45. *ſeqq.*

præcordiorum dolore, oris ventriculi morſu aliisque ſeſe produnt, attente contempletur? Mirabiles pleuritidum hiſtoriæ, quas STOLLIUS *b)* adduxit, manifeſto hujus rei documento ſint. Haud tamen diffitendum, diagnoſtica, ut vocant, quæ ex capitis dolore, faciei rubore, alvo, urina flava bilioſa, pulſu plerumque molli, febre continua remittente, aliisque deſumuntur, lucem haud raro præbere, ut etiam aliis abſentibus, vel non niſi poſt morbi ingreſſum demum apparentibus, hisce ſolis quandoque fidere Medici cogantur. Imo ea aliquando horum morborum conditio eſt, ut ne vel leviſſimum quidem, quo bilioſæ pleuritidis ſuſpicio naſcatur, ſignum adeſſe obſervetur. Solebat clariſſimus OOSTERDYK in prælectionibus practicis cum Auditoribus ſuis communicare, ſe ipſum, dum Harderovici adhuc munus profiteretur, inter ægrotos binos fraterculos tractaſſe pleuritide correptos, diatheſis mere phlogiſticæ notas præ ſe ferente, ita ut eosdem vera pleuritide laborantes jurares; ex ſola tamen, quæ tunc temporis regnabat, epidemia, bilioſæ conſtitutioni inprimis favente, ſeſe morbi diagnoſin feciſſe, ſicque morbum excitata emeſi plenarie ſanaſſe, venerandus Præceptor aſſeruit. Verum, licet ante dicta obſerventur, adeo complicata quandoque ſymptomata ſunt, ut, quonam ſe vertat quodve conſilium arripiat, dubius & anceps Medicus ſit. Aſt vero quid juvenis; quid in

Praxi

b) Rat. Med. paſſim.

Praxi Medica tyro decidet, deque re judicabit, ubi ſummis etiam in arte Viris toties hærere aqua obſervetur. Præſtat itaque, quid in tali caſu ſit agendum, in praxi verſatorum judicio plenarie ſubmittere. Haud tamen inficias eundum, in diſtinctione cauſſarum magnam ex ventriculo lucem quandoque poſſe peti; quapropter, ut ad huncce præprimis in praxi attendatur, indeque ſigna colligantur, quibus ad medendum via pateſcat debitisque remediis morbus cicuretur, omnium Practicorum officium dictat.

CAPUT TERTIUM.

MEDICAMENTA, AD SANATIONEM MORBORUM EX MEMORATO FONTE NASCENTIUM, IN VARIIS MORBIS A VARIIS AUCTORIBUS LAUDATA, CONTINENS.

§. I.

Medicamenta, quæ ventriculo ingeſta pectoris morborum therapiæ maxime conveniunt.

Atque hinc quoque ſponte eluceſcit, quænam remedia in variis pectoris morbis, qui ex ventriculi conſenſu naſcuntur, à Medico præprimis adhibenda ſint. Etenim à pectoralibus ſic

ſic dictis remediis mali ſolamen eſſe exſpectandum, quis eſt, qui audacter confirmet; dum ratio non tantum probat, ſed & experientia abunde confirmat, ea remedia, quæ ventriculo directe ingeruntur, quæque hujus organi anomaliam corrigere cauſſasque morborum abigendo eſſe obſervantur, hincque vel evacuantium, vel corrigentium, vel roborantium aliove titulo ab Auctoribus ubivis celebrantur, in hunc præcipue cenſum venire. Quapropter, ut hujus rei veritas eo melius pateſcat, à ſcopo meo haud alienum eſſe duxi, ſi præcipua tantum remedia eorumque primarios effectus, quatenus ad noſtrum forum ſpectant & memoratis pectoris morbis medentur, adhucdum paucis percurramus. Ad horum itaque claſſem referenda videntur

I. EMETICA. Scilicet, quum morbi non recte curentur, niſi fons & origo mali tollatur; quum antea vidimus, variam ſaburram, in ventriculo & primis viis collectam, ob mirabile utriusque partis commercium, ſympathicos pectoris morbos ſæpiſſime cauſſari; quumque ſimul ex prioribus pateſcat, Naturam, quid agendum, tutam facilemque viam Medico haud raro monſtrare, quidni ars Naturæ imitatrix? Ea videlicet horum remediorum vis eſt & agendi modus, ut tenacem viscidamque colluviem incidere, ventriculi fibras

irritare, vomitumque non tantum, quo noxia quæcunque materia foras amandetur, producere obſerventur; verum etiam concuſſione, qua agunt, quamque ſolidis in toto corpore inducunt, vaſorum ſtaſes reſolvere, partium tonum reſtituere, Naturam ad agendum incitare ſicque criſin quandoque moliri, perque varias vias, quidquid Naturæ inimicum, expellere, apta nata videantur.

Unde ſimul deducenda ratio videtur, quare in variis morbis, ubi v. c. frigus incaute ſusceptum cutis ſpiracula occluſit, inprimisque, ſi minutiori doſi exhibeantur, ſolidorum ſpasmos laxare, cutim reſerare, ſicque perſpirationem reſtituere eadem remedia leni ſuo ſtimulo poſſe, prudentiores Practici noverint. Quare in febribus intermittentibus, per novos, quos excitant, tumultus, illam diatheſin, quæ paroxysmum renovat, mutare, imminuere vel aliquando plane delere obſerventur. Quare etiam in aliis morbis, præſertim hypochondriacis, exoptato ſucceſſu haud deſtituta emetica fuiſſe, varii Auctores teſtentur. Verum, ne latius, quam par eſt, evagemur, in promptu ſimul eſſe ratio videtur, quare in variis pectoris morbis, qui ex ventriculi conſenſu naſcuntur, ad hæcce remedia,

dia, tanquam ad ſacram anchoram, in praxi ſit confugiendum.

Etenim noxiam materiam, à qua memorati affectus ceu ſymptomata immediate dependent, hoc modo brevi facilique via ex corpore expelli, quis non videt? Quis, niſi ſympathiæ partium plane ignarus, non facile intelligit, ipſa medicamenti actione in ventriculo non tantum, ſed etiam in pectore tumultus in ſolidis oriri; quibus denſi humores in vaſis impacti quandoque facillime reſolvantur, ſubigantur, aſſimilentur; præterquam quod, vitiata humorum craſi, vel expectoratione, vel inſenſibili perſpiratione aliove modo, quo Natura vergat, ſperatum effectum ſortiendi occaſio ſæpiſſime naſcatur? Et quis non novit, horum remediorum actionem in eo præprimis conſiſtere, ut ſtimulo ſublato, ratione mirabilis illius conſenſus, in pectore ſolidorum motus compeſcere, vaſorum criſpaturas tollere, dolores minuere, ſedare, ſanguinis anomaliam corrigere, alioſve ex cauſſa ſtimulante productos effectus in corpore præſentes, quovis meliore modo extinguere vomitoria inprimis poſſe videantur. Neque horum remediorum uſui rationem tantum favere, experientia quotidie confirmat. Vix enim opus eſt, ut demonſtremus, quanti

vel hodie in pleuritide & peripneumonia, quæ bilioſa audit, quæque ex ventriculi ſaburra naſcitur, emeticorum uſus æſtimetur. Evolvite BALLONII, SCHROEDERI, STOLLII aliorumque Medicorum ſcripta & innumera hujus rei exempla videbitis. Neque irritum horum medicaminum ſucceſſum in ipſa hæmoptyſi fuiſſe, annotatum invenimus *c*); præterquam quod etiam in aſthmate & tuſſi, tanquam unicum & palmarium remedium, HOFFMANNUS *d*), HUXHAMUS *e*), A. DE HAAN *f*) & inprimis M. STOLL *g*) vomitoria laudarunt; ne alios *h*) memorem.

Atque ſic, ni fallor, eluceſcit, quantum in praxi medica ſolamen ab emeticis inprimis

c) Vid. STOLL *Rat. Med. part.* 2. *pag.* 114. *& ſeq.* Conf. P. G. SCHROEDER *Opuſc Med. Vol.* 2. *p.* 332.

d) *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. §. 5.

e) *De aëre & morb. Epidem. pag.* 300. Conf. *Natuur-en Geneeskundige Correſpondentie, opgericht in 's Hage* 1. *deel.* 4. *ſtuk. pag.* 676.

f) *Rat. Med. part.* 14. *pag.* 159.

g) *Rat. Med. part.* 1. *pag.* 136 *& paſſim.*

h) Vid. A. HALLERI *Diſputat. ad morb. Hiſtor. & Curat. facientes. Tom.* 2. *pag.* 22 *& ſeqq. Comm. Lipſ. Vol.* 14. *pag.* 520. *Vol.* 18. *pag.* 216. Conf. A. E. SAVOYE *de tuſſi convulſiva. Viennæ* 1780. tum etiam J. HEINEKEN *de morbis nervorum, eorumque frequentiſſima ex abdomine origine.* Gott. 1783.

primis expectandum ſit. Neque enim cum TRILLERO *i*) putandum, tam periculoſum, tamque nocivum remediorum genus in univerſum conſtituere, ut potius in memoratis pectoris morbis aliisve, quorum cauſſa in ventriculo latens hac via tutiſſime tollatur, tamquam præcipua & palmaria remedia, principem locum vomitoria jure ſibi vindicare, tuto aſſerere nequaquam dubitemus.

II. PURGANTIA. Neque minus ex dictis pateſcit, quare in variis pectoris morbis, qui ex memorato ſæpius fonte naſcuntur, purgantia quoque tanti valoris eſſe obſerventur, ut vel his quoque prudenter adhibitis unica ægrotantium ſalus haud raro tribuatur. Ea ſcilicet pleuritidis quandoque eſt natura, ut, morbo jam in melius vergente, ſalutarem criſin ſollicitet motusque moliatur ægro perutiles, quibus quidquid adhuc noxium in ventriculo & inteſtinis continetur, fortunato utique Naturæ conamine per alvum foras expellatur. Neque hanc eſſe ægro ad interitum fatalem, quam Medicinæ parens HIPPOCRATES *k*) in pleuritide & peripneumonia damnavit, quæque à pure in pulmonibus jam nato, vel ex inflammatione latius ſerpente,

 aliisve

i) *De Pleuritide cap.* 3. §. 8.
k) *Sect.* 6. *aph.* 16.

aliisve ſimilibus cauſſis in corpore toties naſcatur, obſervationes Medicorum abunde teſtantur. Alvi fluxum, præſertim ſi quædam concoctionis ſigna præceſſerint, ſalutarem in pleuritide fuiſſe, RIVERIUS *l*) notavit: quem etiam in morbi progreſſu & mitigatis jam ſævioribus ſymptomatibus ſuccedentem, ſalutarem & ægrotum citius ad ſanationem perducere, pronunciavit TRILLERUS *m*); præterquam quod etiam SWIETENIUS *n*), HUXHAMUS *o*), MORGAGNIUS *p*), STOLLIUS *q*) & bene multi alii Auctores diarrhœam in his morbis obortam inſigne quantum profuiſſe, unanimi doceant conſenſu. Verum, ne recentiores tantum, ut dicta probemus, adduxiſſe videamur, neque de his etiam antiquitas ſilet. Quid? quod vel apud ipſum HIPPOCRATEM haud obſcura hujus rei veſtigia proſtent, ex dictis facile liquet, dum de morbis pulmones aut latera obſidentibus agens hæc habet: *Quicunque dolores ex his*

l) *Prax. Med. Lib.* 7. *cap.* 2. *pag.* 250.

m) *De Pleuritide pag.* 5.

n) *Comm. in Aphor.* H. BOERHAAVE *Tom.* 3. *pag.* 25. Conf. SCENCKIUS *obſ. med. rar. lib.* 2. *pag.* 244.

o) *De aëre & morb. Epidem. pag.* 333.

p) *Epiſt. Anat. Med.* 20. *art.* 10.

q) *Rat. Med. part.* 1. *pag.* 62.

his locis neque per ſputorum expurgationes, neque per alvi dejectionem ſedantur, eos ſuppuraturos ſciendum r); ne alia loca *s)*, ubi bilioſas alvi excretiones inter illas evacuationes, quarum abſentia in peripneumonicis futurorum abſceſſuum ſignum exhibetur, divus Senex numeravit, ulterius notemus. Hinc etiam GALENUS jam dixit: *Moderatæ pleuritidi aut peripneumoniæ ſupervenientem diarrhœam aliquando vacuationis ratione prodeſſe, multoque magis, poſtquam coctionis ſigna morbis ineſſe apparuerint, neque metum adeſſe, ſed morbum periculo vacare t).*

Verum enim vero, quum Natura ſæpiſſime, ut ex ante dictis pateſcit, quid Medico agendum, viam commonſtret; quumque fauſtiſſimo haud raro cum ſucceſſu, ſua ſibi ſponte dejectionibus abundantis & corruptæ ſaburræ levamentum præſtare obſervetur, quidni arte eam licet imitari? An itaque mirum, in iis præcipue caſibus, ubi morboſa materies, in primis viis turgeſcens, in ventriculo non tantum, ſed etiam in pectore varia mala produxerit; aut ubi tantus putridæ corruptionis gradus adfuerit, ut

 metus

r) *Prænot. ſect. 2. pag. 41. edit.* FOES.
s) *Ibidem. pag. 43.*
t) Vid. SWIETENIUS *Comm. Tom. 2. pag. 737.*

metus omnino ſit, ne eadem morboſa materies, ſemel in maſſam humorum recepta, præter alia mala varii generis febres incendat, acutas, putridas, contagioſas, malignas aliasve, nec ipſa ſæpe Natura, nec arte ſuperandas; aut ubi coctionis ſigna præceſſerint ipſaque Natura ex morbo prægreſſo aliave de cauſſa oneri ferendo impar videretur; ſuo jam tempore HIPPOCRATEM *u)* non tantum, ſed etiam inter recentiores FORESTUM *v)* RIVERIUM *w)*, HOFFMANNUM *x)*, SWIETENIUM *y)* aliosque *z)* purgantia in uſum vocaſſe; quum ratio non tantum, ſed & experientia abunde probaverit, in eo præcipue horum remediorum actionem conſiſtere, ut in ventriculo & inteſtinis hærentem materiem ſolvere, reſorptum prohibere, Naturam in ſalutari ſuo opere juvare, eamque, ſi langueat, ad agendum incitare non tantum, verum etiam abnormes ſolidorum motus compeſcere, noxios quoscunque humores quaquaverſum deducere,

u) *De Rat. vict. in morb. acut. ſect.* 4. *pag.* 402.
v) *Obſ. & cur. medic. lib.* 16 *pag.* 55.
w) *Prax. Med. Lib.* 7. *cap.* 2. *pag.* 251. Conf. *obſ. cent.* 1. *obſ.* 60.
x) *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. *pag.* 113.
y) *Comm. Tom.* 2. *pag.* 777.
z) Vid. *Comm. Lipſ. Vol.* 15. *pag.* 121. Conf. P. G. SCHROEDER *Opuſc. Med. Vol.* 1. *pag.* 131.

deducere, à pectore inprimis revellere eosque tuta demum facilique via expellere, præ reliquis apta viderentur. Nonne hinc quoque ſponte eluceſcit, quare in ſicca æque ac humida illa tuſſi, quam ſtomachalem vocant Medici, purgantibus inprimis locus ſit. Quare in aliis pectoris morbis, uti in pleuritide & peripneumonia, quarum fomes in gaſtrico ſyſtemate hæret, eadem ſæpe remedia à Practicis ſummo cum fructu uſurpentur. Quare etiam in variis doloribus, quos pectus à ventriculo patitur, ab unico ſæpe purgante eorumdem dulce lenimen. Quantum itaque in his morbis purgantia valeant, ex dictis facile liquet.

III. DIAPHORETICA: quippe quæ in variis pectoris morbis, non tantum idiopathicis, verum etiam ſympathicis, iisque, qui à ventriculo præprimis naſcuntur, haud uno nomine ob egregios, quos præſtant, effectus ab Auctoribus ubivis celebrantur. Nec mirum: ſalutaris quippe, quæ per cutis poros fit, inſenſilis evacuatio uti ad ſanitatis prophylaxin, ita non minus ad morborum therapiam multum contribuit. Neque enim opus eſt, ut demonſtremus, quot & quam variis modis in diverſis etiam morbis hæcce evacuatio ſiſtatur, ut adeo hac ſola de cauſſa remediorum, quæ diaphoreſin promo-

promovent, hodiedum ampliſſimus in Medicina uſus ſit. Id vero præcipue notandum, ſive variarum cauſſàrum frequentiam, ſive generalem hujus organi in toto corpore influxum ſpectemus, interceptæ perſpirationis primariam cauſſam in ventriculo utcunque latere, adeo quidem, ut merito dubites, utrum in tanta cauſſarum diverſitate, quæ perſpirationis anomaliam producunt, vel ullibi frequentior occurrat, quam quæ à ventriculo naſcatur. Nec aliter effecta docent. Quid enim ſolennius, quam ubi quis frigidæ potui nimis indulſerit, univerſum quandoque corpus frigere, horreſcere? Quid frequentius, quam poſt aſſumtum venenum cutis ſpiracula claudi, dum eadem potu calidiore nimis liberaliter ingeſto facillime reſarciantur? Quid denique conceptu facilius, quam quod, in ventriculo cauſſa latente, ob eximium hujus organi ſenſum, in parte primario affecta non tantum, ſed etiam in toto nervoſo ſyſtemate varii tumultus naſcantur, dolores producantur, ſolida criſpentur; hinc circulus humorum turbetur, ſecretionum anomaliæ omniumque excretionum errores demum inducantur? præterquam quod à cuticulari evacuatione hoc modo intercepta, ne alias memorem, præter memoratos affectus, fluidorum aberrationes, ſtagnationes, acritates diverſæ, irrita-

irritatis ſolidis dolores, ſpasmi, convulſiones omniumque functionum perturbationes ocyus ſerius naſcantur.

Atque hinc inprimis deducenda ratio videtur, quare, ſi Medicorum libros paſſim pervolvamus, in hisſce ſimilibusve morbis talia ab Auctoribus remedia laudentur, quæ vel ſtimulo, quo agunt, ſanguinis circulationem, ſolenne illud Naturæ inſtrumentum, quo, quidquid in morbis in vitio eſt, ſæpiſſime corrigitur, digeritur, reſolvitur, diſcutitur ipſeque morbus haud raro tutiſſime ſanatur, non tantum intendere, ſicque ſimul efficere, ut eodem temporis ſpatio organis ſecretioni dicatis ſecernendi liquidi copia major applicetur; verum etiam, circulo humorum adaucto, ſtagnantem materiam, ubicunque locorum ea exſtiterit, ſolvere mobilemque factam ſenſibili per cutim evacuatione expellere; vel ſufficiens ſanguini vehiculum ſubminiſtrando, ſtimulum quovis modo obtundere, ſolida laxare eaque ita diſponere poſſunt, ut ingeſta non tantum, ſed & noxia quæcunque materies leni minusque ſenſibili tranſpiratione una cum hiſce foras amandetur. Hinc etiam videmus, quare opio & opiatis remediis dolores non tantum ſedentur, anxietates tollantur,

tur, reſpiratio facilitetur, ſed & ipſa diaphoreſis egregie reſtituatur.

Hac quippe ratione intelligimus, quare ab ipſis antimoniatis remediis, ſi paulo reſtrictiori doſi ingerantur, ſpasmi toties fallantur, obſtructum in vaſis reſeretur, ſicque expectoratione vel inſenſibili perſpiratione morbus plenarie ſolvatur. Quin imo hinc potiſſimum liquet, quare in variis pectoris morbis, tum ad dolores mitigandos, tum ad anxietates tollendas aliaque mala prævertenda, medicamenta, quæ cutim leniter laxant, tanti inprimis valoris eſſe obſerventur, ut totum quandoque ſanationis] punctum abſolvant. Quid? quod vel ipſi rationi experientia non cedat, obſervationes variorum Auctorum abunde probaverunt, ut adeo mirum non ſit, in tuſſi ſtomachali rheumatica, quale quid HOFFMANNUS *a*) obſervavit, diapnoica remedia ſumme proficua fuiſſe; ne varios pectoris dolores, anxietates aliosque mali ominis effectus, quos ab hisce remediis tuto, cito & jucunde ſublatos varii Auctores memorarunt, ulterius ſiſtamus. Pergamus ad

IV. ROBORANTIA. Ea nimirum ventriculi quandoque imbecillitas eſt, ut, nulla licet in pulmonibus labes inhæreat, ex ſola tantum

a) *Oper. Tom. 3. ſect. 2. cap. 3.*

tum virium imminutione, quæ alimentorum digeſtioni præſunt, indeque vitiata chylopoiëſi, ingeſtorumque ſpontanea degeneratione, aliisve de cauſſis multiplex malorum genus in pectore naſcatur; ut adeo mirum non ſit, ſi variorum Auctorum obſervationes conſulamus, reſpirationes difficiles, aſthmata, tuſſes, incubos, quin imo palpitationes, polypos aliasque cordis & pulmonum affectiones hac ſola de cauſſa ſæpius natales habuiſſe. Nec mirum. Etenim, ſive nervorum decurſum & ramificationes, quos ab octavo pari & intercoſtalibus ventriculus æque ac pulmones accipiunt, ſive utriusque partis contiguitatem & nexum aliave conſenſus adminicula ſpectemus, in promptu eſſe ratio videtur, ventriculum vix affici poſſe, quin & pectus in conſenſum neceſſario trahatur, adeo quidem, ut eadem quoque remedia, quæ ventriculo toties proſpiciunt, hac ſola de cauſſa pectori mederi obſerventur. An itaque mirum, in eo præcipue caſu, ubi vel à ventriculi tono dejecto digeſtionis anomalia inducatur; vel ubi etiam ingeſta in ſtomacho diutius hærentia ſuamque naturam utplurimum ſequentia, flatuum, borborygmorum, murmurum aliarumque multarum ægritudinum cauſſæ exiſtant; vel ubi denique in ventriculo non tantum varios dolores, tum cardialgicos; tum

tum colicos alioſque, verum etiam, ratione mirabilis hujus organi in omnes actiones influxus, in toto corpore & vel maxime in pectore vicino, eadem ventriculi ægritudo varia mala produxerit; talia à Medicis in uſum vocata remedia fuiſſe, quæ in ventriculo non tantum ciborum coctionem adjuvare, varias cauſſas antea recenſitas quovis meliore modo corrigere, tollere, hincque vel roborantium, carminantium, adſtringentium aliove titulo ab Auctoribus veniunt; verum etiam, quod rei eſt, quæ multiplices in pectore effectus, ceu à ventriculi atonia ejusque depravata functione productos, inprimis abigendo eſſe poſſe, ratio dictabat. Neque experientia dictis refragatur. Tuſſim quippe hypochondriacam adeo vehementem, ut per integras ſæpe horas, præſertim nocturno & veſpertino tempore, ingentem viſcidi ac tenacis cinericei muci copiam non ſine moleſtiſſimo hypochondriorum & abdominis dolore exſcreando æger defatigaretur, ſtomachicis remediis HOFFMANNUS *b*) ſanavit; quem etiam affectum, reconvaleſcentibus diu non raro moleſtum, roborantibus, ſtomachicis, polygala & lichene Islandico tolli STOLLIUS *c*) dein-

b) *Oper. Tom.* 3. *ſect.* 2. *cap.* 3. *obſ.* 5. *pag.* 117.

c) *Rat. Med. part* 1. *pag.* 230.

deinde confirmavit; ne bene multos alios Auctores, quos inter HUXAMUM *d*), HARRIS *e*) ROSENSTEIN *f*) & DE GORTER *g*) præprimis nominaſſe ſufficiet, ad dicta confirmanda ulterius adducamus. Syncopen, ab imbellicitate ventriculi natam, ad ſui ſanationem roborantia requirere, auctor eſt BALLONIUS *h*). Quid? quod vel in ipſiſſimis pectoris morbis eadem remedia quandoque neceſſario requirantur; ut morboſa materies debite coquatur, cocta à Natura expellatur, ſequens doceat obſervatio.

„Communicavit ſcilicet mecum doctiſſimus mihique amiciſſimus J. P. MITCHELL, ſe non ſolum ſæpius in ægris ſuis illud obſervaſſe, verum & haud ita pridem in ſe ipſo veritatem hujus complicationis manifeſtiſſime expertum fuiſſe. Catarrhalis materies tum ſtomachum & primas vias, tum & pulmones occupabat. Tuſſis inde complicata. Materiei mucoſæ moleſta anacatharſis, ſæpe cum nauſea & vomitu. In longum

d) *Oper. Phyſ. Med. Tom.* 1. *pag.* 347.
e) *De Morb. acut. infant. pag.* 117.
f) *Over de ziekten der Kinderen, pag.* 368.
g) *Med. Dogmat. cap.* 3. *de Tuſſi pag* 195.
h) *Conſ. Med. Lib.* 1. *pag.* 368. *conf. pag.* 396.

longum protrahebatur iſta ſtomachi & pulmonum ægritudo, licet varia remedia, quæ tum pulmonum, tum ſtomachi integritatem reſtituendo erant, præmiſſis reſolventibus, diapnoicis, tum &, quæ primas vias purgabant, remediis, jugiter aſſumerentur. Stomachi itaque ægritudinem obſtaculum coctionis materiæ catarrhalis in pulmonibus concludebat, & hac indicatione fretus, corticem Peruvianum, menthæ, egregio ſtomachico, junctum aſſumſit: cujus remedii vel primis doſibus morbus in ſimplicem catarrhum convertebatur."

Atque hæc cum ita obſerventur, quumque ratio æque ac experientia horum remediorum uſui faveat, quumque tot caſus obſerventur, in quibus; quidquid etiam ſic dictis remediis pectoralibus tentes, ne hilum quidem proficias, tuto concludere licet, in aliis pectoris morbis, uti v. g. in aſthmate, dyspnœa, hæmoptoë aliisque, qui à naturalis functionis anomalia toties naſcuntur, roborantia & id genus remedia maximam, ſi non omnem, curationis partem abſolvere.

Et hæc præcipua remedia ſunt, quæ in memoratis pectoris morbis, quatenus ex ventriculi varia labe naſcantur, à Practicis ſummo cum fructu uſur-

uſurpantur. Haud tamen diffitendum, ſive multarum cauſſarum diverſitatem, quibus omni fere vitæ momento ventriculus exponitur, ſive earumdem in producendis morbis efficaciam ſpectemus, & hisce latiſſimum hujus organi cum pectore conſenſum addamus, multa adhucdum in cenſum venire, quæ vel ventriculo ingeſta, vel & eidem externe applicita, vario ſub titulo pro varietate cauſſarum, à Medicis laudantur. Hæc vero remedia, ex fonte diætetico, pharmaceutico atque chirurgico petita, quum unicuique ſatis ſuperque nota ſupponamus, ſicco pede tranſire in præſentiarum animus eſt, haud incongrue facturum me putanti, ſi remediorum tantum præcipua, quæ pectori foras admota, eidem non tantum, ſed etiam ventriculo proſpiciunt, hincque ſympathicis hujus organi malis mederi haud raro obſervantur, adhucdum paucis pertractem.

§. II.

Remedia quædam externa pectori applicita eorumque in ventriculum & pectus agendi modus.

Quemadmodum vero antea vidimus, in variis pectoris morbis ventriculi functionem non ſemper ſartam tectamque ſervari, ſed eandem pro horum morborum intenſitate magis minusve poſſe lædi, ita quoque, ut eorumdem ſanatio felix & rationalis eſſe queat, vel a priori, ut ajunt, Medicis conſpicere datur, quænam præcipue remedia

media ſummo cum fructu adhibenda ſint. Neque enim opus eſt, ut demonſtremus, quot & quam ſalutares ſæpe medicaminum effectus, quorum primarius in ſanandis pectoris morbis agendi modus eſſe obſervetur, quæque pectoralium titulo apud omnes Auctores celebrentur, in variis ventriculi malis à Practicis paſſim notentur. Hæc quippe, ſi ſtrictiori ſenſu ſumantur, nervis utplurimum amica, ſtimulum haud raro obtundere, nerveique ſyſtematis in turbas & erethismum quandoque adacti tumultus ſedare, ſpirituum ataxiam corrigere, anomalos ſolidorum æque ac irregulares fluidorum motus non tantum ſopire, aliosque ſalutares effectus in toto etiam corpore præſtare, verum etiam ex ſympathiæ mirabili lege, quam cum ventriculo pectus ſancivit, labefactatæ hujus organi functioni proſpicere, eamque reſtituere haud raro obſervantur. Hujus rei veritatem doceant illæ Medicorum obſervationes, quibus ſæpe ſæpius conſtitit, varia ventriculi mala, ut nauſeas, vomitus, anorexias, apepſias multaque alia vitiatæ digeſtionis ſymptomata, pectoris morbis ſubvenientia, methodo non ſua plenarie debellata fuiſſe. Verum ne hæcce nos diutius morentur, utpote quæ in omnium Practicorum libris ſatis ſuperque occurrentia, indeque facillime petenda, ſpecialem ſui pertractationem vix ac ne vix quidem mereri videantur; eoque magis, quum modus, quo hæcce medicamina agant, tot tantisque

tisque dubiis adhucdum obvolutus, ſuſpicionem merito præbeat, utrum à pectore, an vero à ventriculo ipſo ſperatos liceat medicaminum effectus repetere. Certum interim eſt, licet modum ignoremus, laudabiles horum remediorum effectus in ventriculum ejusque functionem ſæpiſſime redundare. Hæc itaque miſſa faciamus, potius viſuri, quodnam ab externis quibuſcunque remediis, pectori inprimis applicitis, in variis ventriculi morbis ſolamen exſpectandum. In hunc præcipue cenſum veniunt

I. VESICANTIA: egregium remedii genus in quibuscunque etiam morbis, ab omnibus Medicis, tum veteribus, tum maxime recentioribus, ſummò cum ſucceſſu adhibitum. Etenim Natura humana, morbis quandoque nimium oppreſſa, vel & iisdem ita debilitata, ut oneri ſuo ferendo impar videatur, cujuscunque generis ſtimulos, quibus ad agendum incitetur, internos æque ac externos, ocyus ſerius in Medicinam induxit, ut vel hinc quoque, ob egregium uſum, quem hodie in ſalutari arte conſtituunt, cantharides natales mutuentur. Ea videlicet, ſi corpori externe applicentur, horum animalculorum efficacia eſt, ut eorumdem principium agens, quidquid ſit, ſive ſalinum,

ſive aliquid quodcunque, à perſpirabili materia per cutis ſpiracula ſeſe penetrante ſolutum, epidermidem ſubire, reſorberi, vaſorum criſpaturas inducere, nerveas papillas ipſosque nervos irritare, ſicque majorem humorum affluxum non tantum provocare; verum etiam, ſtimulo diutius perdurante, cutisque inflammatione inducta, epidermidem, Malpighii reticulo deſtructo, à cute ſeparare, eamque in veſiculam, humore ſoroſo, flaveſcente, quin & aliquando gelatinoſo repletam, ocyus ſerius elevare obſervetur. Haud tamen inficias eundum, ſive horumce inſectorum actionem propius intueamur, ſive ſtupendos ſane, quos à veſicantibus è cantharidibus paratis in quibuscunque etiam morbis Practicorum induſtria detexit, effectus in auxilium vocemus, non adeo arctis limitibus, qualem ſententiam GLANDORPIUS *i)* aliique Medicorum foverunt, cantharidum actionem abſolvi, ut non longe lateque extra cutim agendo, ſalutares æque ac noxios in corpore producant effectus. Neque enim opus eſt, ut in memoriam revocemus, quot & quam dira ſæpe ſymptomata ab hiſce remediis,

i) Conſuli hic inprimis meretur R. FORSTEN, vir clariſſimus, in *Diſſ. de Cantharidum Hiſtoria Naturali, Chemica & Medica pag.* 82.

diis, externe applicitis, in renibus & veſica urinaria naſcantur, ut adeo mirum non ſit, A. CAPPADOCEM, A. PAREUM, W. HOEFERUM, G. F. HILDANUM aliosque *k)*, urinæ ardores, dyſyrias, ſtrangurias variaque uropoietici ſyſtematis mala exinde ſatis ſuperque annotaſſe. Tranſeo laudabiles veſicatoriorum tot in capitis morbis effectus, ſi diſſitis etiam locis applicentur, ut vel in iisdem tum præcavendis, tum ſanandis, certius nullum efficaciusque remedium quandoque Practici noverint. Neque minus ex eorumdem in variis pectoris morbis actione eluceſcit, ſive loco dolenti apponantur, ſive ad pedes aliasque corporis partes applicentur, ultra cutim cantharides multiplices ſuos effectus ſæpiſſime exſerere. Nec mirum. Etenim acre illud cantharidum, quod cuti applicatum memoratos præſtabat effectus, cum ſanguine miſceri, ibique non iners hærere, ſed peculiares ſuas virtutes, quibus in fluida agit, reſolventes exſerere, ſolidisque vivis applicatum, ſtimuli vice poſſe fungi, ſicque vaſa irritare, ſanguinis circulationem intendere, inprimisque vi derivante gaudere, res docet atque ratio probat; præterquam quod univerſales etiam cantharidum effectus ex mirabili, qui cutim inter totum-

Q 4 que

k) Ibidem pag. 82 *& ſeq.*

que nervoſum ſyſtema intercedit, conſenſu repetendos eſſe, unusquisque facillime agnoſcat.

An itaque in iis ventriculi morbis, quos varia pectoris mala induxerunt, quosque vel pulmonum, aliarumve adjacentium partium, latiſſime ſerpens & ad ipſum ventriculum perducta, uti obſervationes Practicorum haud raro docuerunt *l)*, inflammatio produxit; vel ubi in aſthmate humorali dicto digeſtionis officina turbetur; vel ubi ſeptum transverſum phlogoſi correptum, vicinum ventriculum affecerit, vomitusque cauſſa exiſtat; vel ubi vis vitæ debilior, quam ut morbus ſubigatur, ſtimulum requirat, quo peccantem materiem ſolvere, attenuare, mobilem reddere, eamque mobilem factam à nobilioribus corporis partibus ad cutim queat amandare; vel ubi pulmonum & ventriculi vires adeo debilitatae ominoſam illam diarrhœam induxerint, nullis fere remediis compeſcendam; in genere, ubi vel ſtimulandum, vel reſolvendum, vel evacuandum, vel & forte mitigandum, veſicatoriorum ſtimulus, pectori applicitus, adeo

l) Vid. *Beſchreyving van de Epidemiſche Zinkingkoorts te Haarlem pag.* 193. *ſeqq. conf. ſect.* I. *cap.* 3. §. I.

adeo alienus eſſe videtur, ut non memoratis in caſibus cum fructu cantharides adhiberi poſſe videantur? Notavit BAGLIVIUS *m*), poſtquam duo veſicatoria tibiis, (quidni etiam, ſi pectori?) applicari curaverat, pleuritidem non tantum, ſed & ſimul diarrhœam, quæ periculoſas illas pleuritides comitabatur, vel imminutam fuiſſe vel & penitus ceſſaſſe. Imo etiam TRILLERUS obſervavit, mulierem pleuriticam, contumaci alvi fluxu fere exhauſtam, omnis ſenſus expertem, ronchos ſonoros de pectore ducentem, facie livida & tumida, cum pulſu exili, tremulo, intermittente, urina & fœcibus clam elabentibus, ex ipſis orci faucibus ereptam alvique fluxum cohibitum fuiſſe, poſtquam aliis remediis incaſſum adhibitis veſicatoria è cantharidibus parata in uſum demum vocabantur *n*): præterquam quod etiam A. DE HAAN *o*) omnem dolorem brevi ſedatum, febrim non modo non intenſiorem, ſed moderatiorem, multoque faciliora ſputa prodiiſſe, à veſicantibus ſe vidiſſe teſtetur.

Q 5 Atque

m) *Prax. Med. lib.* 1. *cap.* 9. *pag.* 37 *& in Diſſ. de uſu & abuſu veſicantium cap.* 3. *pag.* 656.
n) *De Pleuritide pag.* 71 *& ſeqq.*
o) *Rat. Med. part.* 8. *cap.* 3. *pag.* 169.

Atque ſic demum conſpicere datur, in variis ventriculi malis, quae pectus cauſſatur, veſicatoria ne ſua quidem utilitate carere. Haec itaque ceu tuta & proficua remedia, ceu una ſæpe fidelia, qua memoratis in morbis duos dealbare parietes Medici valeant, quanto cum jure in praxi indicentur, quivis vel ultro percipiet. Hinc etiam mirum non eſt

II. EMPLASTRA, FOMENTA, CATAPLASMATA, LINIMENTA, BALNEA, VAPORES aliaque id genus remedia, pro diverſo morbo diverſa, ad eundem ſcopum obtinendum ſæpe cum felici ſucceſſu Medicos tentaſſe; quorum ſive applicandi modum ſpectemus, ſive ad topicos æque ac univerſales, quos in toto corpore præſtant, effectus attendamus, par etiam ratio eſſe videtur, ut adeo nemini mirum videatur, in aſthmate ſpasmodico, cum cardialgia conjuncto, & quod à ſpaſtica ſepti transverſi ſtrictura naſcitur, linimenta ex axungiis animalium recentibus parata, demulcentia & anodyna, neque minus id genus emplaſtra, ſummo HOFFMANNO(p) obſervante, plus ſæpe, quam ſpirituoſa & calidiora remedia, interne aſſumta,

(p) *Oper Tom. 3. ſect. 2. cap. 2. pag. 100.*

ſumta, emolumenti attuliſſe. Et quoties non ipſimet videmus, ex frigore liberalius atque diutius pectori admiſſo, non tantum dyſpnoeas & tuſſes, verum etiam cardialgias ſæpe atrociſſimas induci, diſcutiente, reſolvente, lenique diaphoretico emplaſtro pectori impoſito, tuto, cito & jucunde ſanandas. Quis porro ignorat, quantum vel à priori, ut ajunt, iis in caſibus, ubi dolores mitigandi & ſpasmi fallendi, ab oleoſis, emollientibus, anodynis, balſamicis, ſive fomenti, ſive linimenti aliave forma pectori applicitis, ſolamen exſpectandum; ut adeo hac ſola de cauſſa, externa quaecunque remedia ſua ſeſe utilitate in praxi ſummopere commendent *(q)*?

Verum, ut rem paucis expediam, quum horum actio aeque ac aliorum remediorum, quae in omnium Practicorum fere libris occurrunt, quæque pro uſu externo ab Auctoribus laudata, mirabiles ſuos effectus vel ſtimulando, vel reſolvendo, vel derivando, vel evacuando, vel mitigando, vel ſedando aliove modo præſtare obſervantur, ex prioribus ſatis eluceſcat, indeque facillime petatur, quumque numerus pa-

gella-

(q) Vid. HUXHAMUS *Oper. Phyſ. Med. Tom.* 2. *pag.* 226.

gellarum increſcens Diſſertationi limites ponat, haud ita multum de iis diſſeremus, ſatius nos oſtendiſſe putantes, externa etiam remedia ſympathicos ventriculi morbos ſanare.

SECTIO TERTIA.

SYMPATHIAE, QUAE VENTRICULUM INTER ET PECTUS INTERCEDIT, FONTES INDAGANS.

INTRODUCTIO.

Si varias variorum Auctorum hypotheſes, quas quisque pro ingenii modulo finxit, ut conſenſionis cauſſas & fontes, quibus partium ſympathia in actum ducatur, poſſet explicare, quosque vel nomine vaporum, ſicuti GALENUS, quique GALENUM ſequebantur, vel poſt detectam inprimis ab immortali HARVAEO ſanguinis circulationem, poſt accuratiorem à WILLISIO factam nervorum inveſtigationem, alii ex partium vicinitate, ſitu, tenſione; alii ex humorum communicatione, vel et operis ſocietate; alii ex membranarum continu-

itate

itate; alii ex nervoſo ſyſtemate, eoque ſolo; alii (*r*) alio ex fonte explicabant; ad examen revocemus, dubitandum profecto videtur, utrum in re quidem aliqua, quam in hacce ad ſympathiae cauſſas explicandas, majori cum diſſenſu, tum á veteribus, tum à recentioribus maxime fuerit elaboratum. Verum, quemadmodum vulgo fit, ita hic etiam factum videmus, ab aliis nempe in exceſſu, ab aliis in defectu peccatum fuiſſe; ut adeo, quae pluribus ex cauſſis nonnulli derivabant, inventi etiam fuerint Auctores, qui ſympathiae phaenomena ex unico tantum fonte haurienda eſſe palam docuerunt.

Noſtrum nunc eſt, licet vel à priori ingenue fatendum, in re adeo obſcura, de qua tot inter tantosque viros etiam lites motæ fuerunt, haud multam noſtra conamina lucem poſſe præbere, dictat tamen officium, in hujus ſympathiae fontes inquirere. Id vero, praecipue ſi ad effectus attendamus, quos mediante partium conſenſu in homine detegimus, vero admodum ſimillimum videtur, unam alteramve cauſſarum, quas mox memoravi, ad dicta probanda vix ac ne vix quidem ſufficere, ut potius cum ſummo Pathologo dicamus; *credibile, conſenſum non una modo, ſed pluri-*

(*r*) Conferri circa hoſce Auctores inprimis meretur H. J. REGA in praeſtantiſſimo tractatu *de Sympathia cap.* 3.

pluribus conditionibus niti, harumque principem in genere nervoſo ſitam eſſe; deinde in ſyſtemate circulationis; porro in continuitate membranarum; tum in vaſorum communitate; forte & in fabricæ aut humorum, quos partes ſecernunt accipiuntve, ſimilitudine. Quin et huc facere poteſt vicinia partium, & collocatio declivior, aut ex diametro oppoſita, actionumve aliqua cognatio. Prout igitur plura aut pauciora horum una concurrunt, ita varii ſympathiae gradus naſci videntur. Nec prætereunda vis vitalis, quæ cum & latiſſime per univerſum corpus diffuſa ſit, nec æqualiter tamen aut in ſingulis partibus, aut in quibusvis hominibus, vigeat, & ampliſſimo ſimul polleat conſenſu, quam plurimum ſane hic valere debet. (s) Hanc itaque, quatenus ad noſtrum ſcopum ſpectat, in explicatione cauſſarum normam ſequemur, de ſingulis ſeorſim acturi.

(s) *Inſtit. Pathol.* §. 864.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

VARIAS CONDITIONES PROBABILES, QUIBUS PARTIUM SYMPATHIA INNITITUR, EXPONENS.

§. I.

Sympathia Nervoſa.

Quicunque ad nervos attendit, eorumque diverſas admodum ramificationes, prouti per totum etiam corpus diſperguntur, quantum oculo humano aſſequi liceat, diligenter rimatur, ſtupendam profecto horum organorum texturam, mirabilem nervearum fibrillarum decurſum, ſubtiliſſimasque earumdem diviſiones neceſſe eſt miretur. Neque minus, ſi uſum ſpectemus, quem nerveum ſyſtema toti œconomiæ humanæ ſuppeditat, ſubeſſe miratio videtur, ut adeo, quamcunque etiam corporis actionem attendas, ſive vitalem, ſive animalem, ſive naturalem, plerorumque, ſi non omnium, phænomenorum in iisdem occurrentium, vix ac ne vix quidem Phyſiologis absque nervorum præſentia ratio reddatur. *Ea quippe ſolidorum vivorum facultas, qua á perceptione ſtimuli alicuius applicati excitan: in ſen-*

ſenſorio communi gratam vel ingratam affectionem, quæ ſpecie ſenſus varia, pruritu, titillatione, tenſione, frictione, preſſione, anxietate, teneſmo, dolore multiplici aliisve modis ſeſe prodit & menti repræſentat, ſenſatio vocatur. t) Atque hanc facultatem ſentiendi, qua ſolida gaudere obſervantur, nervis præcipue competere, ſanior Phyſiologia docuit; licet tamen tum pro diverſa ſolidorum ſenſilitate, tum pro vario ſtimulo, partes ſentientes magis minusvè irritante, varioque modo applicito, diverſaque ſtimuli natura, ſenſatio quoque differre videatur. Id vero cum gravi Phyſiologo, venerando Præceptore VAN DOEVEREN, admodum probabile, nerveum ſyſtema, qua ſenſationibus praeeſt, vi quadam motrice animari, qua agente ſtamina ejus tendi, rigeſcere, turgere, ſuoque modo leviter contrahi poſſunt, fluidumque illud nerveum, (cujus exiſtentiam alii negarunt, alii majori cum probabilitate admiſerunt), propellere, ſicque ſenſorii communis ope perceptas affectiones extraneas menti imprimere. Verum enim vero, quum haec ita obſerventur; quumque nerveum ſyſtema, totum quantum per univerſum corpus diſtributum, cujuscunque generis ſtimulis pateſcat, non uno tamen modo ab iisdem afficiatur; quumque res doceat atque ratio probet, nervis eorumque diſpoſitio-

t) Ita celeb. VAN DOEVEREN in prælectionibus ſuis Academicis *de Vi vitali.*

ſitione partium ſenſationem præcipue abſolvi; haud adeo arctis limitibus ſtimuli perceptionem Natura circumſcripſit, ut in parte tantum primario affecta memoratos effectus ſortiretur, ut potius ad alias, quin imo remotiſſimas corporis partes eadem haud raro propagetur. Atque hinc quoque ſponte eluceſcit, undenam mirabilis ille conſenſus, quem tum in ſanitate, tum etiam in morbis nervi diverſimode cauſſantur, ampliſſimus in homine naſcatur. An itaque mirandum in ſenſiliſſimo organo, plurimis nervis, quos vel ipſa autopſia miretur, pulchro certe ſpectaculo ſcatente, variisque cauſſis tum proegumenis, tum procatarcticis expoſito, quale ventriculus conſtituit, ſympathiam, quæ nervoſa audit, toties in actum deduci, quoties laudabiles non minus, quam vitioſas qualitates in totum etiam corpus exinde redundare, quotidie videmus? An veroſimilius, in iis præcipue partibus, quibuscum ſympathiæ legibus ventriculus eſt junctus, pro majori minorive ſtimuli intenſitate & natura, gratas ingratasve affectiones neceſſario induci debere? Res per ſe ſatis certa ulteriori, quo confirmetur, ſcrutinio vix ac ne vix quidem indigere videtur. Neque enim opus eſt, ut demonſtremus, quot & quam varia ſæpe ſymptomata ab affecto ſolo ventriculo capiti infeſta eſſe obſerventur, ut adeo in multis capitis morbis ad hunc ſympathiæ fontem attendiſſe res ſit in praxi ſummi momenti. Aſt quid de pe-

ctore dicemus? Obſervationes profecto variorum Auctorum antea allatæ, conſenſum, qui per nervos ſit, hic, ſi qua alibi, ſatis ſuperque adſtruere videntur. Nec mirum. Etenim nervum intercoſtalem æque ac par vagum cum innumeris ſuis plexibus & ramis ventriculo æque ac pectori proſpicere, res eſt unicuique notiſſima, ut adeo, qualia ex ventriculo memorant Auctores, aſthmata, dyspnœas, tuſſes, præcipue illas convulſivas, quin & cordis palpitationes, lipothymias alioſque pectoris morbos ex hoc ſympathiæ fonte repetere omnino debeamus.

Atque hæc præcipua ſunt, quibus nervorum in peragendo conſenſu efficacia paucis probetur. Haud tamen diffitendum, præcipue ſi modum, quo hæc ita obſerventur, indagemus, dubia adhucdum multa ſupereſſe nunquam enodanda, quamdiu cerebri nervorumque penitior notitia Medicorum aciem effugit. Verum, quum noſtrum non ſit in hæcce Naturæ penetralia propius inquirere, quumque animus tantummodo eſſet hujus ſympathiæ cauſſas & fontes detegere, hæc miſſa faciamus. Scopo itaque dicta ſufficiant.

§. II.

§. II.

Syſtema Sanguineum.

Neque minoris etiam indaginis videntur, qui ex altera claſſe cauſſarum, quam nunc inchoamus, a priori plane diverſam, ab Auctoribus conſenſuales affectus recenſentur. Etenim ex vaſculoſo ſyſtemate humorumque circulatione aliam conſenſus ſpeciem inſurgere, haud minus momentoſam, nunc ſupereſt ut ex ordine probemus. Tali ſcilicet modo machinam humanam Naturae Auctor fabrefecit, ut, humoribus undique perviâ, ne minima quidem corporis particula detur, quin et ſuos habeat accipiatque à Natura deſtinatos, quibus ad hanc illamve actionem peragendam apta nata videatur. Datur et ſyſtema vaſculoſum, quod ſicuti iisdem continendis, regendis, coercendis in corpore præeſt, ita non minus ſuum etiam habere modum videtur, qui ſanitati maxime idoneus eſt. Atque hæc bina inter ſe adeo conſpirant, ut leviſſima quæque affectio ſi ſolida tantum affecerit, ocyus ſerius in fluida malum redundare obſervetur; eodem modo, quemadmodum & hæcce citius momento, ſi morboſe patiantur, in ſui quaſi auxilium ſolida vocare conſueverunt. Neque minus annotari etiam meretur, præcipue ſi vaſorum decurſum, eorumque multivarias anaſtomoſes ſpectemus, tam arctam vaſorum, quotquot in corpore dantur,

tur, inter ſe communionem intercedere, ut hac ſola etiam de cauſſa latiſſimus, quem in Medicina ſanguineum ſyſtema conſtituit, conſenſus natales habuiſſe videatur. Hac quippe ratione facillime explicamus, quare in aliqua corporis parte, ſi ſtimulus diutius inhæreat, vaſorum criſpatura non tantum inducatur, ſed & ſanguis majori cum impetu aliorſum ſæpe determinetur. Hinc illi capitis dolores, quos in febribus acutis utcunque obſervamus; præterquam quod variæ motuum abnormitates, ſic dictæ congeſtiones ad caput, pectus aliasque corporis partes, non niſi ex hac cauſſa à peritis deriventur. Hinc etiam videmus, quare in morbis contagioſis vel ipſa morboſa materies, vaſis inhalantibus expoſita, abſorpta & in ſanguinem delata, per totum etiam corpus deleterios ſuos effectus ſortiatur. Hinc eluceſcit, cur ab externis quibuscunque remediis, veſicatoriis v. g., epispaſticis, fonticulis, ſetaceis aliisque derivantibus & revellentibus pharmacis, ſummo cum jure ſolamen exſpectemus. Ex hoc etiam vaſorum conſenſu explicamus, undenam morboſa materiès, ſuis ex cancellis dimota & ad alia corporis loca ſeſe penetrans, peſſimas ibidem tragœdias ludere haud raro obſervetur. Hinc morboſarum materiarum metaſtaſes: hinc illi frequentiſſimi morborum metaſchematismi. Quin imo potiſſimum hinc liquet, quare vel in ipſa pleuritide & peripneumonia, morbo jam ad ſuppurationem vergente, mobilis haud

raro

raro facta materies, & ad ventriculum & inteſtina delata, ſalutari Naturæ conamine per alvum expellatur. Neque minus inde deducenda ratio malorum, quæ, mediante vaſorum conſenſu, pectori ventriculus ſæpiſſime cauſſatur. Quid enim frequentius, quam quod, in ventriculo peregrino quodam ſtimulo hærente, ſanguinis motus in hoc organo non tantum infringatur, ſed etiam in pectore ſummæ quandoque anxietates, oppreſſiones aliaque circulatorii ſyſtematis mala inducantur? Quid magis ſolennius, quam in iisdem præcipue hominibus, qui hæmoptyſi quandoque laborant, paroxysmum renovari, quotiescunque lauta diæta ſanguinis fluxus ſuperiora verſus determinetur, ut adeo ad hoc attendiſſe maxima in hoc morbo prophylaxis ſit?

Atque ſic demum eluceſcit, undenam vaſorum præcipue conſenſus naſcatur. Hæc itaque tanquam primarium fontem, unde tot morbi, tot effectus & tam mirabilia ſæpe phænomena unice ſcaturiunt, in praxi medica habenda eſſe, nullus eſt, quin palam agnoſcat.

§. III.

Continuitas Membranarum.

Eodem modo, quemadmodum vaſa & nervi inter ſeſe communicant, variorumque malorum, quæ per conſenſum producuntur, ut antea vidimus,

mus, cauſſæ eſſe obſervantur, ita quoque haud minorem attentionem conſenſus illa ſpecies meretur, quæ à continuitate membranarum in homine naſcitur. Corpus ſcilicet humanum, diverſis ex partibus conflatum, membranarum interceſſione variarum adjacentium partium nexum non tantum abſolvere, ſed & easdem, per totum ſui ambitum longe lateque diſperſas, tum vaſis & nervis ordinandis, tum aliis etiam modis impendere, ſatis ſuperque docet Anatome. Neque minus eadem ſat lucide exponit, ſi microcosmi ſtructuram attente perluſtremus, in eo tantum harum membranarum utilitatem conſiſtere, ut potius continuata etiam ſerie per totum, qua late patet, corpus productas, variisque modis reflexas, conſtitutivam, ut vocant, nonnullarum partium formam easdem exhibere, ſagax Anatomicorum induſtria præprimis detexiſſe videatur *u*). Quid? quod vel ipſi fuerint Auctores, qui corpus univerſum non niſi membranam, variis in locis replicatam, congruisque liquidis ubivis irroratam, audacter conſiderarunt, eorumdem monumenta abunde teſtantur. Id vero certum ratumque eſt habendum, per omnes & ſingulas partes membranas latiſſime diffundi, ut adeo absque membranarum præſentia nullam ſolidorum

u) Qui egregie de hac re diſſeruit, inprimis eſt clariſſimus BONN, Præceptor nunquam ſatis honorandus, in *Diſſ. de continuationibus membranarum.*

dorum ideam formemus. Atque hæc quum ita ex conſtanti Naturæ lege obſerventur; quum rationi admodum conſentaneum videatur, conſenſionis energiam talium præcipue organorum miniſterio, quæ continuata ſua ſerie minimas etiam corporis particulas perreptant, potiſſimum ſeſe manifeſtare; quumque ex ante dictis unicuique ſponte pateſcat, hàc quoque facultate membranas pollere, nullam video rationem ſubeſſe, quare & arctiſſimum fœderis vinculum cum multis aliis Auctoribus membranis denegemus. Quid, quæſo, conceptu facilius, quam quod ab objectis morboſis ſolidum quodcunque irritatum & oſcillans ad vicina æque ac remotiora corporis loca, quibuscum unum quaſi idemque conſtituit, oſcillationes ſuas protendere, quandoque augere, quin & easdem ita poſſit modificare, ut pro diverſa affectarum partium ſenſilitate, earumdem ad motum concipiendum diſpoſitione, variaque applicati ſtimuli natura, major minorve contractio ſequatur? Manifeſtum hujus rei præbent argumentum, quæ in veſicâ urinaria haud raro obſervantur. Hanc quippe calculo vel materie quadam tophacea obſeſſam, pruritum in glande penis excitare, ſine dubio per continuationes membranarum veſicæ & urethræ inductum, nec novum eſt, nec infrequens; præterquam quod à vermibus, in inteſtinorum cavo hærentibus, in naribus infantum pruritus hac ſola de cauſſa frequentiſſime naſcatur. Quin imo membranarum productio, earumque continuata

contractio ac oſcillatio unicam videntur rationem conſtituere, quare à faucium irritatione temporis momento ſucceſſive vomitus ſequatur. Quare, hoc imminente, labium inferius tremiſcat. Cur denique varios œſophagi, ventriculi aliarumque vicinarum partium morbos, quibuscum membranæ communicant, toties ſibi invicem ſuccedere poſſe, experientia teſte abunde confirmemur.

Et hæc pauca ex multis ſufficere videntur, quibus membranacearum partium conſenſus clariori luci exponatur. Quantum itaque vel hoc quoque nomine ſeſe membranæ in corpore commendent, quot & quantorum malorum, quæ per ſympathiam inducuntur, eædem quoque cauſſæ eſſe poſſint, eademque revera cauſſentur, ex dictis ſponte pateſcit.

§. IV.

An & in fabricæ aut humorum, quos partes ſecernunt accipiuntve, ſimilitudine?

Ita videtur. Tali nimirum ratione corpus humanum conſtructum eſſe novimus, ut, ſi omnes & ſingulas ejusdem partes contemplemur, eas inter quasdam conſpicere detur, quæ fabricæ ſimilitudine noſtram attentionem quam maxime merentur, ut adeo hac ſola de cauſſa peculiaris quoque conſenſus ſpecies naſcatur. Quis, quæſo, niſi ad ſummam glandularum analogiam ſtatim recurrat,

currat, alio ex fonte explicabit, harum unam alteramve, à cauſſis præcipue internis obſtructam, mox reliquas omnes in ſui condolentiam trahere? plauſibilem profecto, licet modus ignoretur, rationem eum attuliſſe, qui ad generis ſimilitudinem attendit, vero admodum ſimillimum videtur. Quid? quod vel ipſis humoribus, quos partes ſecernunt accipiuntve, conſenſionis efficacia probetur, nec infrequens, nec res eſt novi argumenti. Vix enim admonitione videtur indigere, quot & quam variis modis uterus & mammæ conſentiant, ut adeo, ſive mirabilem illam mammarum, quæ ſub pubertatis tempore obſervatur, mutationem ſpectemus, ſive utriusque hujus organi ſecretos liquores paulo accuratius examinemus, nullam aliam phænomeni cauſſam, quam affinitatem ſecreti humoris memoratas inter partes conſenſum fovere, à veritate haud ita multum alienum eſſe putemus. Et quoties non ipſimet videmus, quotieſcunque à frigore corpori incautius admiſſo tranſpiratio ſiſtatur, perſpirabilem materiem à cute ad inteſtina deferri, ibidemque diarrhœam moliri, ab humorum ſimilitudine, quos memorato in caſu inteſtina accipiunt, nec aliter naſcendam. Quin & hinc quoque rectius deducas, quare in affectionibus hypochondriacis hepatis & lienis officium, quodcunque ſit, ſuos etiam defectus patiatur, ut adeo in variis utriusque hujus organi morbis ad hoc attendiſſe, res ſit, quæ ſua ſeſe utilitate in praxi ſummopere commendet. Nec anxie

 pro-

profecto eſt quærendum, undenam, ſi utriusque partis functionem ſpectemus, pulmones inter & ventriculum tantus præcipue conſenſus obſervetur. Chylum quippe, in digeſtionis officina ſubactum, variisque humoribus commixtum, propulſum, ſicque lactea ingreſſum, dilutum, antequam in ſanguinis maſſam deferatur, peculiari vaſorum pulmonalium actione alternante & reciproca, alias inſuper mutationes ſubire, ulterius ſolvi, dividi, atteri, attenuari, ſicque ad ſecretiones in corpore obeundas præparari, facilemque per reliqua corporis vaſa tranſitum non modo adaptari; verum etiam hoc modo propius ad naturam animalem accedere, formamque quaſi acquirere corporis nutritioni inprimis deſtinatam, ſatis ſuperque Phyſiologia demonſtrat. An itaque mirandum, præ reliquis corporis partibus à chylo pulmones maxime pati, quotieſcunque vel lentior in ventriculo ſecretus, vel & alienis qualitatibus imbutus, idem ad pulmones deferatur. Nonne huic cauſſæ imputandum, reſpirationis difficultate & anxietate circa præcordia, quin & febricula poſt paſtum præcipue illos laborare, quibus pulmo vel naturali debilior, vel & per morbos labefactatus utcunque obſervetur. Doceant phthyſici, doceant aſthmatici.

Atque hæc quoad hunc ſympathiæ fontem dicta ſufficiant.

§. V.

§. V.

Vicinia partium.

Verum quid de partium vicinia cenſendum? An et hinc quoque ſympathiæ fons & origo? Rectius huic, nec alii profecto cauſſæ conſenſuales illos morbos imputaveris, qui in omnium fere Practicorum libris ubivis recenſentur, ut adeo ſpecialis ille conſenſus, quem diverſas corporis partes intercedere varii etiam ſtatuunt Auctores, hoc fundamento præcipue nitatur. Contiguum ſic inteſtini recti & veſicæ urinariæ ſitum haud raro in cauſſa eſſe poſſe, cur cum teneſmo ſtranguria complicetur, frequentes ſatis omnis ævi obſervationes abunde docuerunt: quem etiam affectum in fœminis ab utero haud raro proficiſci, inanes profecto alvum & urinam deponendi conatus ſæpiſſime probarunt. Nec rarum etiam eſt odontalgiam ab otalgia excitari, quemadmodum & hæc illi ſæpiuſcule ſuccedat, ut adeo, ſi hujus phænomeni cauſſam inquiramus, rem totam abſolvere partium affectarum vicinia utcunque videatur.

Quin & ex propinquo diaphragmatis & ventriculi ſitu ſufficientem non minus rationem poſſe peti, cur, uno alterove primario affecto, & alterum ſtatim in conſenſum rapiatur, multa ſane phænomena evincunt. Singultus, ab affectione ventriculi inductus, manifeſto hujus rei documen-

to

to ſit. Quid? quod vel ipſa collocatio partium declivior, aut ex diametro oppoſita, actionumve aliqua cognatio peculiari quodam modo ad conſenſum contribuat, haud ita multum à veritate alienum eſſe videtur. Quem fugit, ubi renes v. g. inflammatione ſunt correpti, malum non ita arcte coërceri, ut non in veſica urinaria etiam ominoſi quandoque effectus obſerventur; præterquam quod varios ventriculi dolores, oppreſſiones, anomalias aliaque hujus organi mala, à pectore toties naſcentia, non niſi ex hac ſpecie conſenſus explicari poſſe nec debere, vero admodum ſimillimum ſit.

Verum enim vero, ut rem paucis expediam, quum hæc ita ex conſtanti ordine Naturæ obſerventur; quum ratio non minus quam experientia probet, eodem fere modo, quemadmodum in toto etiam homine univerſalis obtineat conſenſus; ita quoque ſpecialem quasdam inter corporis partes ſympathiam intercedere, per effectus, quos edit, ſatis obſervabilem, à priori diverſam; quumque præterea haud ita improbabile videatur, eandem pro maxima parte partium vicinia innixam, certisque tantum limitibus, quo usque ſeſe extendat, circumſcriptam, peculiares in agendo ſibi leges obſervare, certas tamen ratasque, ſenſuum noſtrorum acie haud ita detegendas; quid eſt, quod miremur, maximam in conſentiendo efficaciam vel hinc quoque varios Auctores

Auctores petiiſſe, ut potius in ſanitate æque ac in morbis laudabiles non minus, quam vitioſas qualitates, à partium vicinitate, ceu fonte, jure quodam noſtro derivandas eſſe putemus.

§. VI.

Vis Vitalis.

Nec prætereunda vis vitalis, quæ, cum & latiſſime per univerſum corpus diffuſa ſit, nec æqualiter tamen aut in ſingulis partibus, aut in quibusvis hominibus vigeat, & ampliſſimo ſimul polleat conſenſu, quam plurimum ſane hic valere debet v). Ea ſcilicet ſoli machinæ humanæ præ reliquis corporibus competens proprietas, qua omnes & ſingulæ ejusdem partes peculiarem quaſi vitam peragere, & ob quod vita gaudere dicuntur, Phyſiologorum recentioribus vocatur vis vitalis. Hæc binis ſeſe modis in homine repræſentat, vel irritabilitate vel ſenſatione. *Irritabilitas illa ſolidorum vivorum dicitur facultas, qua perceptione alicujus ſtimuli, non accedente alia vi externa, producitur in iis motus, qui contractione, vibratione, tremore, oſcillatione, palpitatione, corrugatione, crispatione, tenſione aliove modo ſenſibus obſervantis ſe prodit. Senſatio ſive facultas ſentiendi ſolidis vivis dicitur ineſſe, quum à perceptione ſtimuli alicujus applicati exci-*

v) Vid. GAUBIUS *Inſtit. Pathol.* §. 864.

tant in ſenſorio communi gratam vel ingratam affectionem, quæ ſpecie ſenſus varia, pruritu, titillatione, tenſione, preſſione, frictione, anxietate, tenesmo, dolore multiplici aliisve modis ſeſe prodit, & menti repræſentat. (*w* Atque hæc bina, licet intime conſpirent, ſenſilitatemque ſolidorum ut principium ſuum agnoſcere videantur, totidem diſtinctas utriusque facultatis principii vitalis notiones exhibere, recentiores Phyſiologi inprimis detexerunt. Hoc vero præcipue tenendum, ut utrumque illum effectum vis vitalis ſortiatur, pro cauſſa excitante neceſſario ſtimulum requiri; qui, ſicuti pro varia corporis parte diverſus, varias quoque virtutis vitalis modificationes producere haud raro obſervatur. Haud tamen inficias eundum, præcipue ſi ad effectus attendamus, functionumve differentias ſpectemus, non æquali ſemper vigore, gradu eademque lege ſtimulum in ſolidis vivis operari, ut adeo, licet perceptioni quidem ſatis proportionata contractio videatur, irritationem inter atque perceptionem haud ſimilem rationem intereſſe, tuto aſſerere nequaquam dubitemus. Neque minus annotaſſe etiam ſufficiet, quemadmodum à vario ſtimulo diverſaque ejus natura diſpares principii vitalis effectus obſervantur, ita quoque, tum pro varia ſolidarum partium vi-

va-

w) Verba ſunt clariſſimi Præceptoris VAN DOEVEREN in prælectionibus *de Principio Vitali.*

varum diſpoſitione, qua irritationem percipiunt, inque contractiones cientur magis minusve manifeſtas, tum pro varia ætate, ſexu, temperamento, idioſyncraſia, vitæ genere aliisque id genus accidentibus, memoratos vitalis principii effectus multum omnino variare, ut adeo ad hæc attendiſſe, res ſit in praxi haud exigui momenti. Hoc etiam inſuper notandum, quemadmodum antea vidimus, facultatem ſenſationis, in parte quadam ſolida viva excitatam, ad vicinas alias non tantum, ſed & remotiores corporis partes ſeſe propagare, ita quoque experientiam docere, alterum virtutis vitalis effectum, quem irritabilitatem nuncupamus, modo haud abſimili effectus ſuos in corpore exſerere, ut adeo vivas inter partes irritabiles, cum una modo irritetur, conſenſus aliquis ac conſpiratio, qua mutuum ſibi auxilium ferunt, pari ratione in corpore humano adeſſe obſervetur.

Hiſce primum poſitis, haud ita multis argumentis opus eſſe puto, ut vel hinc quoque latiſſimus partium conſenſus derivetur, præſtat tamen, ut ex hoc fonte inter ventriculum & pectus ſympathia illuſtretur, ad ſequentia attendere.

I. Ventriculum organum conſtituere ſenſiliſſimum, irritabiliſſimum; hinc ſtimulos in hoc maxime agere, illudque irritare.

II. Hanc irritabilitatem ventriculi varios quoque ſuæ differentiæ gradus admittere, prouti

ti conſtat, vix ullam in corpore partem adeſſe, quæ tot & tam variis ſtimulis, quam ſolus ventriculus, pateſcat, licet tum ætas, tum temperamentum, tum idioſyncraſia aliæve cauſſæ huc quoque & ſuum contribuant.

III. Quidquid ventriculo ingeſtum, vel & ipſi directe applicatum, vaſa, fibras ipſosque nervos, quatenus affectiones eorumdem validæ irritabilitati pro irritamento eſſe poſſint, incitando eſſe obſervetur, hancce hujus organi actuoſitatem quovis modo augere, adeoque

IV. Eſculenta, potulenta, medicamenta, venena aliaque, ſive interne aſſumta, ſive externe admota, maximam in irritabilem virtutis vitalis effectum efficaciam habere.

V. Huncce ſtimulum quemcunque, juſto diutius in ventriculo detentum, vim ventriculi contractilem non tantum ad agendum incitare, ſed etiam ex lege Naturæ mirabili, per effectus tantum cognoſcenda, eas præcipue partes afficere, quas inter ſympathia intercedit. Hinc etiam facillime

VI. Rationem poſſe peti, quare vel hoc quoque nomine tantus inter ventriculum & pectus conſenſus obſervetur.

Atque

Atque ſic quoque fontes abſolvimus, quibus univerſalis æque ac particularis partium conſenſus ſuo quisque modo explicetur. Haud tamen diffitendum, ſi conſenſionis efficaciam præcipue ſpectemus, non adeo arctis limitibus vel ipſos ſympathiæ fontes Naturam adſtrinxiſſe, ut non hos etiam inter aliquis vigeat conſenſus. Ea ſcilicet horum eſt natura, ut, ſive nonnullarum partium fabricam diligenter inquiramus, ſive requiſita earumdem ad functionis integritatem adminicula in auxilium vocemus, vix ac ne vix quidem fons unus ſcaturiat, quin & alter ſuos effectus ocyus ſerius præſtare obſervetur. Hinc illa frequentiſſima & ab omnibus Auctoribus laudata partium mixta ſympathia: hinc, prouti plures paucioresve concurrunt, ſympathiæ varii gradus: hinc multifaria privatarum id genus conſenſionum differentia.

TANTUM.

III.

DIDERICI VEEGENS,

DIDER. FILII,

Harlemo - Batavi,

Diſſertatio medica inauguralis,

De Sympathia inter ventriculum & caput, præcipue in ſtatu præternaturali.

Lugduni Batavorum,

d. xxx. Octobris, 1784.

INTRODUCTIO.

Si veterum ſcripta evolvamus, ventriculum ſummis ab iis Encomiis celebratum, quin imo totius corporis Regem ſalutatum fuiſſe, reperiemus, nec male recentiores ſtomachum præcipuum machinæ noſtræ organon denominarunt, ob miram quam cum univerſo corpore alit fovetque Sympathiam: hinc jam Divus COUS ventriculum dixit magnum fontem, qui maris adinſtar non ſolum habet facultatem omnibus ſuppeditandi, ſed

etiam

etiam ab omnibus accipiendi, ſic ut ad ejus normam omnes actiones dirigantur, vegeto enim ventriculo, vigent omnia, dum, illo languido, cuncta languent. Latum hoc ventriculi Imperium ut magis magisque indagetur, ſatis mereri videtur cum itaque conſcribenda ſit diſſertatio, meum in commodum ſaltem, haud plane utilitate carebit, hac de re quædam in medium protuliſſe.

Ut ordine quodam procedamus, Capite primo breviter quædam præmonebimus de ventriculo ejusque functione, dein Capite ſecundo ventriculi Sympathiam cum capite in ſtatu præternaturali obſervationibus comprobabimus, dum tertio nonnulla magis generalia quoad diagnoſin & curam earum affectionum, quæ ex hoc fonte promanant, ſumus ſubjuncturi; & denique quarto pauca de cauſſa hujus Sympathiæ addemus.

CAPUT PRIMUM.

De Ventriculo, ejusque functione.

§. I.

Corporis Humani talis eſt conſtitutio, ut propter actiones, quibus deſtinatum eſt, debilitetur, deteratur, & ſic ſe ipſum deſtruat; at, ne noſtra machina tali modo cito nimis deſtrueretur, a SAPIENTISSIMO CREATORE nobis impoſitum eſt, ut illam debitis alimentis nutriamus, reficiamus, & a momentoſo interitu præcaveamus, varia hunc in finem nobis conceſſit alimenta, ad quae adſumenda ſenſationes famis & ſitis incitant, & de eorum utilitate nos admonent; verum dum hæc alimenta non illico apta ſunt nutriendo corpori, ſed prius ſubigi & mutari debent, ejusmodi etiam Organis inſtructum eſt C. H., quibus hæc mutatio peragatur; præcipuum horum cenſendus eſt ventriculus, per quem digeſtio incipit.

Ventriculus hic dicitur ſaccus membranaceus Lyripipium referens, ſub diaphragmate poſitus in medio regionis epigaſtricæ partim & in regione hypochondriaca ſiniſtra retro hepar & coſtas ſiniſtras ſpurias;

rias; connectitur, orificiis ſuis ſuperius cum œſophago, inferius cum inteſtino duodeno; ex ſiniſtro ejus latere cum liene ope omenti & Vaſorum brevium, anterius & poſterius cum omento majori & minori. Binis gaudet orificiis, ſiniſtro ſeu ſuperiori, cui Cardiæ nomen, quod in epigaſtrica regione verſus hypochondrium ſiniſtrum poſteriori magis loco poſitum, œſophagi finem conſtituit;

Dextrum orificium, idque inferius, quod Pylorus dicitur, ſimiliter in epigaſtrio poſitum eſt, ſed verſus hypochondrium dextrum & anteriora magis reſpiciens: Valvulam huic attribuerunt nonnulli, quæ vero nihil aliud eſt, niſi plica magnà angulum craſſum lævem carnoſum referens, ex fibris muſcularibus transverſis, textu celluloſo & tunica ventriculi nervea intimaque villoſa compoſita.

Binas etiam curvaturas in ventriculo diſtinguunt Anatomici, majorem, quæ vacuo ventriculo deorſum ponitur, ab orificio uno ad alterum productum, huic arcui adhæret omentum majus: dum curvaturæ minori pariter inter ambo orificia, ſed loco ſuperiori obſervandæ inſeritur omentum minus: Ventriculo autem repleto curvatura major inferior fit anterior, minor poſterior.

§. II.

Membranacea eſt ventriculi ſtructura, ita ut ex quatuor tunicis compoſita ſit, ita tamen, ut inter ſingulas tunicas tela celluloſa inveniatur, quâ arctiſſime cohærent: Prima, eaque Extima tunica, reliquas coërcens, tenax, firma, a peritonæo enaſcitur, quod a diaphragmate deſcendens œſophagum comitatur & ſupra ventriculum extenditur, utrumque omentum producit, hinc eſt quod in curvatura majori & minori ventriculus hac tunica deſtituatur.

Altera muſcularis dicitur, quoniam variis fibris muſcularibus varie decurrentibus componitur. Differunt admodum haud infimi ſubſellii Phyſiologi in deſcriptione decurſus fibrarum harum muſcularium, quæ differentia videtur derivanda ab eo, quod Natura hic conſtans non ſit, ſicut ex centum ventriculis humanis vix binos invenias, in quibus idem plane eſt fibrarum decurſus: id igitur ex *Clar.* ALBINO deſumſiſſe noſtro ſufficit, nempe quod „*tunica muſcularis duplici fibrarum ſtrato conſtructa ſit, exterioris fibræ hujus longæ ex ſtomacho ad pylorum ſe dejiciunt, aliæque diffuſæ conſpiciuntur. Illæ interiores circulares, ſeu ſpirales, breviores, in ſe invicem continuatæ, cum externis chiasmum faciunt.*“ *a)*

Ter-

a) In Aureo Libello de N. Hominis §. 455, 456, 457.

Tertia eſt nervea HALLERO dicta, candicans, firma, craſſa genuinam ventriculi fabricam conſtituit, ab œſophago continuata, ſuperficie ſua exteriore convexa, æquabilis, interius concava quodammodo plicata, ut rugis tunicæ villoſæ ſe accommodare queat.

Quarta denique villoſa dicitur, Epidermidi continua villis prominentibus brevibus, amplisque plicis conſtans; qui villi nihil aliud ſunt, quam ultimæ extremitates vaſorum arterioſorum exhalantium, & initia vaſorum abſorbentium: per quas arterioſas in ventriculi cavum ſecernitur & continuo ſtillat humor tenuis, aquoſus, leniter ſalſus, dum viciſſim hujus humoris pars, & liquidiſſima ingeſtorum pars per venas abſorbentes ſuſcipitur; ut ex experimentis RUISCHII & KAAUWII BOERHAAVE conſtare videtur. Inter Quartam hanc & Tertiam ventriculi tunicam inveniuntur glandulæ ſimplices, quæ ductibus ſuis villoſam perforant, quarum muco parietes ventriculi illiniuntur.

§. III.

Habet ventriculus ſua quoque vaſa, arterioſa, venoſa, & Lymphatica.

Ex thorace in abdomen deſcendens Arteria aörta dat arteriam cœliacam, quæ ſub ventriculo in tres ramos dividitur, quorum varii iterum ra-

muli ad ventriculum vergunt; ſic ut fere tota arteria coronaria ſtomachica ex coeliaca enata ventriculo impendatur, dum adhuc ſatis multos ramos ab hepatica & ſplenica accipit, ut & nonnullos a meſenterica ſuperiori; quæ omnes arteriæ frequentes inter ſe faciunt anaſtomoſes & multiplices offerunt diviſiones in textu celluloſo, ut tranſitus libertas conſervetur.

Secundum Arterias Venæ ambulant, valvulis deſtitutæ, in venam portarum confluunt; dum vaſa brevia venoſa in ramum ſplenicum tendunt.

Multa etiam vaſa Lymphatica per ventriculum diſtribuuntur, maxima autem quantitate reperiuntur in arcu minori ventriculi, quæ omnia in ductum thoracicum exonerari artificioſis experimentis demonſtravit *Clariſſ.* MONRO.

Numeroſis nervis gaudet ventriculus, octavum ſcillicet nervorum par anterius & poſterius juxta œſophagum deſcendens, eique adhærens, duplicem plexum format, ſtomachicum dictum, quorum anterior minor in faciem ventriculi anteriorem & curvaturam majorem, poſterior in curvaturam minorem abit; alios adhuc nervos ab intercoſtali accipit ventriculus inprimis a plexu cœliaco, & ſplenico; ſicut ex horum nervorum enumeratione ſatis patet quam inſignis ſit eorum numerus, forte igitur non plane a veritate aliena erit *Clar.* BOERHAAVII *b)* ſuſpicio, quod etiam

b) Inſt. Medicæ §. 77.

etiam quædam liquidi nervei quantitas ingeſtis adfunderetur, putabat ſcilicet omnes illos nervos non ſolum motui & ſenſui inſervire; ſed, quoniam nondum ipſis liquidi exſiſtentia comprobata ſit non majori, quam hypotheſeos titulo hæc opinio digna erit.

§. IV.

Ventriculi munus eſt alimenta deglutita accipere, accepta retinere, retenta mutare, mutata expellere; hoc omnibus Phyſiologis in confeſſo eſt; ſed admodum diſſentiunt, quænam ſit cauſſa & modus hujus functionis, quam digeſtionem vocant: varii varia attulerunt, & dolendum, quod illa experimenta, quæ quisque pro ſua opinione attulit, vel minus accurata ſint, vel quod ex phænomenis, quæ in animalibus obſervata ſunt, concluſio ad ventriculum humanum facta ſit. Itaque, quæ noviſſima experimenta ſummâ cum prudentiâ capta attulerunt, ut cauſſam, & modum digeſtionis eruerent, hic in medium proferre non dubitamus. Scilicet JOANNES HUNTERUS obſervaverat in diſſectione cadaverum, ſæpiſſime eam ventriculi partem, quo ex poſitura cadaveris liquor gaſtricus collectus erat, maxime ſolutam, imo aliquando plane diſruptam fuiſſe, absque tamen, ut hoc morbo prægreſſo tribuendum eſſet, ita ut hoc etiam ſit expertus in cadave-

 ribus

ribus hominum violentâ morte peremptorum, unde ſtatuit hanc ſolutionem oriri ex continuata poſt mortem digeſtione, ſic ut ſucci gaſtrici etiam ventriculum vitalitate ſua deſtitutum ſolvere valerent: Ex hoc experimento concluſit, ſuccum gaſtricum pollere virtute ſolvendi varias ſubſtantias, dummodo vita privatæ eſſent.

Diligentiſſimus & accuratiſſimus *Italus Abbas* SPALLANZANI *c)* propriis jam quodammodo edoctus experimentis, quæ in animalibus ceperat, quam dubia ratione explicaretur cauſſa & modus digeſtionis, HUNTERI experimentis incitatus hanc in rem ulterius inquiſivit, tantâ cum diligentia & fidelitate, ut iis fidem negare piaculum videatur, & probavit, cibos animales & vegetabiles a dentibus comminutos, ſaliva commixtos, accedente calore, a ſucco gaſtrico plane ſolvi, absque ut ullum fermentationis vel putrefactionis indicium accedat.

Contra hanc opinionem fortiter militare videntur illa experimenta, quæ, *Illuſtr.* PRINGLE & MACBRIDE inſtituerunt, ut fermentationem tanquam proximam digeſtionis cauſſam ſtabilirent: ſcilicet hi viri miſcebant partes animales & vegetabiles cum aqua & ſaliva; reponebant in loco calido, obſervarunt haſce partes fermen-

c) In Diſſert. Itala, cujus compendium exſtat in de Nieuwe Genees - Natuur - en Huishoudk. Jaarb. T. 2. P. 2. Num. 8. p. 57.

mentationem concipere, quæ ſenſim ſenſimque increſcebat, donec hac ceſſante, ſupereſſet ſubſtantia dulcis & balſamica, unde concluſerunt, id, quod in ſuis vaſis contingebat, etiam accidere debere in ventriculo: verum enim vero, ſi conſideraverimus, quod alimenta non ita diu in ventriculo noſtro morantur; præterea, quod hæ partes in ventriculo commixtæ ſunt cum ſuccis gaſtricis, qui longe diverſa ratione agere videntur quam ſaliva, quippe qui partibus animalibus additi etiam extra Corpus Humanum, illas ſolvunt, & licet ſolutio haud perficiatur, tamen illas a putrefactione tuentur, dum e contrario ſoli ſalivæ expoſitæ multo citius quam in aqua communi, corruptelam experiantur, patet, concluſionem falſam fuiſſe, dum notabilis circumſtantia in hoc experimento fuerit neglecta; accedit quod, ſi idem experimentum inſtituamus, ſed ſuccum gaſtricum adhibeamus, nulla adſit fermentatio, nullus motus inteſtinus, ſed quidem plenaria ſolutio; apparebunt quidem nonnullæ bullulæ; ſed hæ in omni ſolutione adſunt, & pauciores erunt, ſi vaſa conquaſſantur, eadem tunc conditio adeſt, ac ſi ventriculus in digeſtionis munere verſetur, nam præter motum totius corporis, ventriculus digerens ſemper in motu verſatur; — denique varia animalia, etiam in quibus lente procedit digeſtio, tempore digeſtionis necavit, ut alimenti ventriculo contenti conditiones exploraret, eo cum eventu, ut nulla ſigna fermentatio-

tationis, nullus motus inteſtinus, ne ipſæ quidem bullulæ, apparuerint. Hæc ad noſtrum ſcopum de digeſtione ſufficiant, ſi quis plura velit, adeat laudatam diſſertationem, ubi hanc opinionem a dubiis plane, ni fallor, vindicatam reperiet.

§. V.

Sed & aliam adhuc facultatem ventriculo tribui debere nobis videtur, ſcilicet novam vitam, novum vigorem cum partibus etiam remotiſſimis communicandi, idque non per vaſorum anfractus, ſed ſubito, ope ſtimuli cujusdam, quem hoc vel illud ingeſtum intulit.

Hæc facultas tanta eſt, ut, quod de corde dixerit HIPPOCRATES, nempe quod teneat habenas, quibus totum corpus regit, idem de ventriculo dici poſſe videatur; dum ejus quaſi muneris ſit, omnes alias functiones dirigere.

Hanc facultatem maxime illuſtrant phœnomena varia, tam in ſanis quam ægrotantibus occurrentia; pro exemplo ſit homo fame pene enectus, mæſtus hic eſt, languent illi omnes functiones; mox vero, ſi apta illi offerantur alimenta, quæ vires reſtaurant, quaſi reviviſcit, donec, his digeſtis, denuo languor redeat cum debilitate, qui non tollitur, niſi novæ ſuppetiæ priſtinum vigorem & vires corpori reddant: Unicus vini generoſioris hauſtulus decrepitis & labefactatis

pro-

propinatus ſubito tollit, vel deminuit pro tempore artuum tremores, viresque erigit. Abeſt tamen, ut quis horum effectum, in ſanguinem ingreſſui tribueret, quippe qui non ita cito contingit, ſed unice adſcribendus eſt dictæ ventriculi facultati, quæ a propinatis illis cardiacis excitatur & in actum ducitur.

§. VI.

Hæc ventriculi facultas, hoc ejus imperium etiam extra arctos noſtri corporis limites ſeſe extendit: Quemadmodum verum ſit, animi adfectiones inſigniter ventriculum adficere, ſic & adhuc efficacius nonnullæ hujus organi conditiones mentem adficere ſolent: ſic ut anxietas illa & oppreſſiones, quæ in ſtatu morboſo frequenter ſentiuntur, ut & mentis anxietas, revera ſint habendæ pro ſenſationibus ventriculi, non, ut vulgo creditum eſt, cordis: Veteres hoc jam agnoverunt; ſic ARETAEUS CAPPADOX *d)* inquit, „*Stomachus jucunditatis & triſtitiæ hegemon ſeu princeps eſt, cordis potens vicinus, ſive ad tonum & fortitudinem, ſive ad puſillanimitatem, cum mente Sympathia junctus; & hæc precipua ejus virtus eſt.*“ & HELMONTIUS, *e)* „*nemo non ſentit horrores, timores, pavores, iras, excandeſcentias, triſtitias, ſuſpiria omnemque concupiſcibilium pertur-*

d) De morb. diuturn. Lib. 2. Cap. 6.
e) De Jure Duumvir. p. 564.

perturbationem ſibi circa os ſtomachi ſuboriri & agitari. "

Ventriculi in mentem imperium egregie & luculenter comprobant hypochondriaci, qui metu, moroſitate, triſtitia, deſperatione agitantur, vel e contrario animum habent elatum, cogitationes vagas, memoriæ hebetudinem, ridiculas imaginationes alunt foventque, eo usque perdurantes, donec cardiacum quoddam ſtimulo ſuo aliam irritationem adducat; quæ tamen omnia mala redibunt, ſimul ac hujus irritamenti actio ceſſat.

Quid multa? Egregie hoc ventriculi imperium probant experimenta de venenis capta, quippe quæ absque, ut ullam mutationem in corpore humano ſubeant, toto ſyſtemate motorio & ſenſitivo in conſenſum rapto, horrenda mala, non, niſi expulſo veneno, tollenda, excitant *f*).

Ex hac cauſſa, ex hoc imperio multi oriuntur morbi, ita ut veriſſimum ſit, quod habet *Doct.* REGA *g*) *quod varii, iique graviſſimi in ſtomacho radicantur morbi partibus vicinis, & ex infauſta radice germinantes, ceu ex equo trojano prorumpunt in univerſum corpus.*

Id etiam ratione adfectionum capitis veriſſimum eſſe, obſervationibus evincere jam tentemus.

CAPUT

f) WEPFERUS de Cicuta aquatica.
g) In egregia diſſert. de Sympathia p. 107.

CAPUT SECUNDUM.

De adfectionibus Capitis a Ventriculo orjundis.

§. V.

Dolores Capitis.

Quæcunque Capitis adfectiones doloroſæ, quas Cephalalgiæ, Cephalææ, Hemicraniæ, Clavi & id genus aliis nominibus prout vel totum caput, vel alterutram, vel exiguam ejus partem adficiant, comprehendunt Pathologi Veteres & Recentiores, commode diſtinguuntur in Idiopathicas & Sympathicas; hæ illis frequentiores hujus loci ſunt, & præprimis illæ Sympathicæ, quæ ex Ventriculo adfecto ſuam originem ducunt, ſive cauſſæ hæreant in ejus cavitate, ſive occupent ipſam hujus organi ſubſtantiam.

Veteres hanc cauſſam jam agnoverunt, ſic GALENUS *h)* obſervavit, flavâ in Ventriculo bile contenta, Caput dolore affici, non, niſi ejecta bile, ſedato. Graviſſimos ab hac cauſſa oriundos capitis dolores frequenter obſervavit HOFFMANNUS *i)*; hemicraniam in cholerico poſt quemcunque iracundiæ paroxysmum ortam & poſt aliquot horas billioſo vomitu ſolutam

h) De loc. adf. T. X. p. 442. Ed. Chart.
i) Oper. omn. T. 2. p. 235.

lutam vidit BIANCHI *k*), ſimilem caſum obſervavit BORELLUS *l*); ſic plures novi homines, inquit *Illuſtr.* SWIETENIUS *m*) quibus ſemel in menſe oritur ſubito immanis Capitis dolor & febris; poſtquam aliquot horas hæc perpeſſi fuerunt, magnam bilis copiam vomunt, & illico ſe optime habent; purgans ſemel vel bis in menſe datum, quo accumulari iam incipiens bilis evacuatur, antequam turgeat, tollit hæc mala. Atroces Cephalalgias Culenburgenſes Epidemica febre laborantes vexaſſe, habet *Doct.* KLOEKHOF *n*) non niſi purgationibus furſum deorſumve factis, ſublatas.

Acutiſſimos capitis dolores ſolis purgantibus tollendos, febri bilioſæ Lauſanenſi junctos fuiſſe memorat illuſtris TISSOT *o*); obſervavit *Doct.* STOLLIUS in febribus bilioſis fere ſemper graviſſimum capitis dolorem, qui modo occiput, ſubinde frontem, non raro totum caput atrociter affligebat, ſtatasque exacerbationis periodos obſervabat; has raro niſi Emeticis tolli, affirmat *p*). Eſt in Ephem. Naturæ Curioſorum *q*) caſus

k) Hiſtor. Hepat. Part. 3. p. 511.
l) Hiſtor. & Obſerv. rar. Phyſ. Med. Cent. 2. Obſ. 1.
m) Comment. T. 2. p. 44. §. 586.
n) Opuſc. Med. p. 4 & 82.
o) In Diſſert. de Febr. bil. Lauſ. in Op. Med. T. 1. p 7, & 61.
p) Rat. Med. in Noſoc. Vindob. P. 1. p. 24 & 25.
q) Dec. 3. Anno 1. Obſ. 83.

caſus feminæ hemicraniæ obnoxiæ, cujus acceſſiones ſemper lympidiſſimæ, ſed fauces acrimoniâ erodentis Lymphæ vomitum habebant comitem, ſatis certo indicio conſenſualem hunc adfectum fuiſſe. Adfectiones capitis doloroſas periodicas huc etiam reducit *Doct.* WHYTT *r*), quippe quæ unico ſæpe Emetico tolluntur.

Similium obſervationum numeroſum certe catalogum in medium proferre poſſem, niſi illis ſcaterent FORESTI, WILLISII, LOTICHII, RIVERII, BARTHOLINI, aliorumque opera.

Hujus fori cenſendi ſunt illi capitis dolores, qui oriuntur ex ſenſilitate, & irritabilitate, nec non debilitate ventriculi majori. Hoc jam agnovit GALENUS *s*), „dolores (inquit) capitis diuturni & ſolutu difficiles a levi cauſſa „vehementes acceſſiones habentes, ita ut nonnulli malleo ſe percuti arbitrentur, alii caput „contundi, diſtendique ſentiant, neque ſtrepitus, neque vocem vehementiorem, neque lucis ſplendorem, neque motum tolerare poſſunt, non paucis ob ſenſus in ventriculo exſuperantiam excitantur". Huc pertinet caſus juvenis, qui vix a cunabulis remotus ſævis & continuis capitis doloribus vexatus erat, increcre-

r) De morbis nerv. p. 203. & 204. Ed. BIKKERI & BAGLIV. de fibra motr. Lib. I. p. 105.
s) De loc. adfect. T. X. p. 448. Ed. Chart.

creverant uſu venæſectionis, purgantium, aquarum mineralium & thermalium, balneorum, jusculorum, aliorumque ſub varia forma tentatorum remediorum farragine; quamdiu paroxysmus aderat, deficiebat appetitus; balneis autem frigidis & cortice peruviano ſanitas perfecte reſtituta fuit *t*). Ab hac etiam cauſſa periodicas Cephalalgias, quæ nunc manifeſtiori, nunc nulli plane febri junctæ ſunt, vario typo, ut plurimum vero quotidiano, æqualibus intervallis invadentes, derivat *Doctiſſ.* RAHN *u*); licet non ſit diffitendum, hos periodicos dolores aliquando unice ab acri primas vias obſidente materia ſuam originem ducere, quâ evacuata, ſponte ceſſant; ſic obſervavit LENTILIUS *v*) periodicam cephalalgiam, cujus paroxysmos vomitus humoris ſalſiſſimi cum levamine præcedebant & comitabantur, qui mitigabantur per copioſos frigidæ aquæ hauſtus, quibus acre illud diluebatur.

Sympathicas Cephalalgias etiam producere poſſunt vitia ventriculi topica; ſic habet HILDANUS *w*) de juvene, qui poſt crapulam vehementi cardialgia, vomitibus & acutiſſimo capitis dolore adficiebatur per octodecim menſium ſpatium; poſt mortem ulcus magnum ad cardiam,

t) De morb. ex manuſtupr. in op. T. I. p. 107.
u) De miro Comm. inter Cap. & viſc. abdom. p. 13
v) Eph. Nat. Cur. dec. 2. Anno 3. obſ. 40.
w) Obſerv. Cent. 3. obſ. 20.

diam, ventriculus humoribus corruptis fœtidis & atrabiliariis refertus inventus eſt. Simile ulcus in ventriculo obſervavit BONETUS *x*) in cadavere pueri perpetuis capitis doloribus per ſat longum tempus vexati, absque ut ulla cerebri læſio adeſſet.

§. II.

Oculi Adfectiones.

Veteres Oculorum cum toto Corpore Sympathiam jam agnoverunt; HIPPOCRATES jam annotavit, „*Oculi prout validi fuerunt, ita etiam corpus*". Ipſe ille ſenex ex falſis oculorum ſplendoribus vomitum bilioſum prædicere novit *y*).

FORESTUS narrat caſum juvenis, qui per intervalla utriusque Oculi ſuffuſione laborabat, eo maxime tempore, cum largius potaſſet, vel alimenta crudiora copioſius devoraſſet; coctione vero peractâ, ructibus emiſſis, aut leni ſubſecuto vomitu, diſtinctius videbat *z*). LOMMIUS *a*) meminit incipientis cataractæ, ex ventriculo oriundæ, quæ intermittebat & remittebat, ſi digeſtio bene procederet; cruditate vero obſeſſo ventriculo, invaleſcebat vel revertebatur. Amau-

 roſin

x) Lib. I. Sect. I. obſ. 123.
y) Progn. 3. Num. 3.
z) Obſ. Med. Lib. XI. obſ. 22.
a) Obſerv. Med. Lib. 2. p. 36.

roſin obſervavit *Doct.* WHYTT in matrona, quotiescunque ventriculus acidâ colluvie obſeſſus erat, quæ, ſimul ac Emetico vel abſorbentibus pulveribus erat expulſa vel abſorpta illa materia, ſanata fuit *b*). *Illuſtr.* HALLERUS memorat caſum Nobilis viri qui variis aegrimoniis ante conflictatus, ſero lactis erat uſus, unde tantam ſibi contraxerat ventriculi debilitatem, ut amauroſis inde orta fuerit *c*) veram amauroſin in adolescente poſt iteratas Belladonnæ doſes ſequi vidit GREDING *d*); poſt comeſtas baccas ſolani furioſi altero die cæcitatem in puero ſecutam fuiſſe legimus *e*).

Ophthalmiam pertinaciſſimam ex crapula oriundam meminerunt Auctores Hiſt. Morb. Uratisl. *f*) & alii.

Hemeralopiam eodem tempore plures milites invadentem Emeticis præcipue ſanavit *Clar.* FOURNIER *g*).

Nyctalopiam febrem intermittentem comitantem unico vomitorio, quo bilioſæ cruditates evaçuabantur, ſanavit *Clar.* MEDICUS *h*).

Nec

b) De morb. nerv. p. 16. Ed. BIKKERI.
c) Oper. min. T. 3. p. 379.
d) Vid. LUDWIG adverſ. Medicopract. vol. 1. Part. 4. p. 699.
e) Commerc. Norimb. Anno 1732. p. 334.
f) Anno 1699. p. 38. Ed. HALL.
g) Recueil period. Tom. 5. p. 102, 426.
h) Samml. Med. Beobacht. Lib. 2. p. 364.

Nec a Sympathicis adfectionibus immunia manent organa lacrymarum ſecretioni dicata, moleſta hinc Epiphora ſæpe vexantur, quibus debilis eſt digeſtio, ſenſilior juſto ventriculus; frequentius illam obſervavit *Illuſtr.* TISSOT in ægris febre bilioſa Lauſanenſi debilitatis, quæ ſtomachicis tollebatur *i*).

Sic etiam inſigniter palpebrarum, & bulbi oculi muſculi ſympathice adſici ſolent; ut patet in infantibus, quorum ventriculus acri ſaburra repletus eſt *k*). Strabismum periodicum cum oculorum dolore diarrhæâ criticâ bilioſâ ſolutum legimus *l*) ſimilem periodicum obſervavit BORELLUS *m*)

§. III.

Narium adfectiones.

Nares etiam ſympathice a Ventriculo adfecto pati, Ratio & Experientia probant: ſcilicet, quemadmodum viſus, aliique ſenſus externi mirum quantum adficiuntur, ſic etiam odoratus, ejusque organa vario modo ſæpe a ventriculi adfectionibus læditur.

Exempla falſi odoratus ex adfecto Ventriculo

T 3 habent

i) De febr. Bil. Lauſ. in opuſc. T. 1. p. 82.
k) RAHN l. c. p. 29.
) Journ. de Medecine T. 23. p. 63.
m) Hiſt. & Obſerv. rar. Med. cent. 2. obſ. 1.

habent HARDERUS *n*), MORGAGNUS *o*) BAUHMER *p*) & alii.

Sternutationes etiam frequentiſſime obſervantur conſenſuales ex hoc fonte: ſic eſt Hiſtoria *q*) de ſene, qui in crebras ſternutationes incidebat, quoties ventriculum plus juſto impleverat, quæ vomitu ſolvebantur.

Clar. BOERHAAVIUS *r*) obſervavit infantes verminoſos, aliquando & adultos, frequenter matutino tempore, a levi motu vermium verſus ventriculum repentium, ſternutare, donec vermis ac alia materia vomitu ejiciatur, vel vermium inquietudo, adſumto cibo, ſedetur.

Periodicarum ſternutationum varia exempla memorat *Clar.* MEDICUS *s*), easque Sympathicæ indolis eſſe, probare videtur egregius adverſus has corticis Peruviani uſus, quem ſæpe expertus fuit *Clar.* BERGIUS *t*), qui narrat caſum ancillæ, quæ per aliquot hebdomades immanibus ſternutationibus per intervalla redeuntibus vexabatur; his ſemper ingrata circa ventriculum ſenſatio juncta erat, quæ ſoli huic cortici Peruviano ceſſerunt.

Ipſas

n) Obſerv. anat. pract. obſ. 46.
o) De ſed. & cauſſ. morb. Ep. 14. §. 28.
p) Act. Acad. Elect. Mogunt. T. 1. p. 305.
q) Act. Nat. Curioſ. Vol. 2. obſ. 190.
r) De Morb. Nervorum p. 690.
s) De Morb. period. §. 22.
t) Act. Acad. Reg. Scient. Suec. Anno 1770.

Ipſas narium hæmorrhagias originem ſuam duxiſſe ex primis viis conſtat, quippe quæ ſæpius obſervantur in verminoſis, ut patet ex BAGLIVO *u*) VAN DEN BOSCH *v*) & VAN PHELSUM *w*) ſed & evidentiſſime has promanare ex ipſo ventriculo probat obſervatio *Doct.* MAYERI *x*) de juvene, qui frequentibus & uberibus narium hæmorrhagiis erat obnoxius, quæ tandem in hæmoptyſin deſinebant, cui fruſtra quæcunque laudata remedia exhibebantur; cum vero ſpontaneis vomitibus incredibilis pituitæ & bilis copia rejiciebatur, ab eo die familiaribus ipſi ſanguinis excretionibus liber erat, ex qua obſervatione jure merito concludi licet, hanc ad conſenſuales ex ſtomacho hæmorrhagias referendas eſſe.

Denique quod ad Gravedines & Coryzas, hæ etiam per conſenſum aliquando produci videntur; raro enim catarrhi occurrunt, quin ſimul ſordium primarum viarum indicia adſint, vel accedant, ita ut febres, quæ hos comitantur, non ita frequenter videantur inflammatoriæ, quam quidem billoſæ indolis eſſe, ut *Illuſtr.* SCHROEDER & MAY *y*) probarunt; ita ut, ſi multa- T 4 rum

u) Oper. p. 341.
v) Hiſt. conſt. Epid. verm. p. 293.
w) Hiſt. Aſcar. path. p. 198.
x) In Eph. NC. cent. 6. obſ. 57.
y) SCHROEDER & MAY diſſert. de amplit. generis febris bilioſæ, Gottingæ 1766. §. 12.

rum febrium catarrhalium, quibus ob Symptomatum gravitatem malignitatis nomen impoſitum fuit, deſcriptiones perlegamus, ſtatim pateat omnem ſæpiſſime malignitatem ex colluvie iſta dependiſſe. Conferri hac de re meretur *Doct.* RAHNNIUS z).

§. IV.

Aurium Adfectiones.

Aures etiam a ventriculo ſæpenumero in conſenſum trahi, docet quotidiana experientia, Otalgiæ etenim ſæpe producuntur ab acri bilioſa materie ventriculum occupante, qui dolores multum levantur, & ſæpe plane tolluntur, apertà alvo vel & per vomitum iſta colluvie rejectà: hinc eſt quod ventriculo cruditatibus obſeſſo tinnitus & ſuſurri aurium moleſte homines adficiant: — memorabilis obſervatio hujus loci eſſe videtur de ægro, qui vexabatur doloribus vehementibus auris ſiniſtræ, & ab hac ſagittæ ad inſtar in ſiniſtrum hypochondrium delabentibus, non aliunde oriundis, quam ab apoſtemate fundum ventriculi occupante a).

Surditatem ex ventriculo crudis repleto oriri non ſolum efficacia evacuationum materiæ crudæ bili-

z) Diſſert. Laud. p. 43.

a) Vid. SAND. diſſert. de raro ventric. abſceſſu in Illuſtr. HALLERI coll. diſſ. pathol. vol. 3. p. 128.

bilioſæ, ſpontanearum, vel arte evocatarum probat, præeunte Divo HIPPOCRATE *b*) ſed plane evincit obſervatio *Clar.* STRACKII *c*); in febre ſcilicet petechiali epidemica plurimi ſurditate laborabant, eâ ſemper ratione, ut quibus ventriculus magis ſaburra obſeſſus erat, gravior auditus eſſet, quam iis quibus puriores erant primæ viæ; & diutius remanſerit ſurditas iis, quibus ſordes diutius relinquebantur, dum vero omnes auditum recuperaverint, ſimul ac ſordes erant expulſæ.

Hujus etiam loci habendæ ſunt illæ ſurditates, quæ febrium intermittentium paroxyſmos comitantur, cumque iis ceſſant; quales obſervarunt LANZONUS *d*) & MOLITOR *e*).

Probatur quoque hic conſenſus aures inter & ventriculum hiſtoria, quam refert PECHLINUS *f*) de viro, qui ex ſola meatus auditorii externi contrectatione vehementi vomitu corripiebatur: Spectat huc exemplum viri, qui ſimul ac ſonum muſicum audiebat, gravi vomitu afficiebatur *g*).

b) Aphor. ſect. 4. aph. 28.
c) Obſerv. de morb. petech. p. 144.
d) A. NC. vol. 1. obſ. 32.
e) In Collect. diſſ. Path. Illuſtr. HALLERI vol. 5. p. 270.
f) Pechlin. obſerv. Phyſ. Med. Lib. 2. obſ. 45.
g) Ephem. N. C. dec. 3. Anno 3. obſ. 182.

Hæc de conſenſu aures inter & ventriculum dicta ſunto.

§. V.

Faciei Adfectiones.

Neceſſe vix eſt, aliquid de hiſce adfectionibus addere, cum res ſit in vulgus notiſſima & Phyſiognomiæ præcepta minime edoctus ex externo faciei conſpectu facile de valetudine & ventriculi conditione debiliori vel fortiori judicare noverit; veteres hinc æque ac recentiores maxime huc attenderunt; hinc BALLONIUS ſe obſervaſſe inquit, illis, quibus facies primum nitorem exuerat, imo aut virore, aut flavitie, aut pallore erat deturpata, primam regionem viridantibus, omnisque generis humoribus accumulatam eſſe; quibus priſtinus nitor reddebatur, ſurſum deorſumque evacuatione inſtituta *h*).

HIPPOCRATES *i*) faciei exanthemata ex perturbata alvo jam derivavit: nec dubitavit BAGLIVUS ſtatuere, eryſipelatem ex ventriculo dependere, idque probari ex egregio in hoc adfectu catharticorum uſu *k*).

Hujus quoque loci eſt Riſus Sardonius, qui licet a nonnullis pro ſigno pathognomico inflammatio-

h) Oper. T. I. p. 83.
i) Lib. de diæta 2.
k) Vid. SWIET. Comm. T. 2. p. 398 & 399.

mationis diaphragmatis fuerit habitus, tamen obſervationibus probatus eſt a ventriculo adfecto ſuam ſæpe originem trahere, absque ut inflammatio diaphragmatis adſit: ſic ex Ranunculi ſcelerati eſu hunc ſpasmum vidit SHARFFIUS *l*) ex Belladonnæ uſu riſus ſardonius contractus fuit *m*).

A ſpina piſcis deglutita ventriculum irritante & vellicante ortum fuiſſe habet LE TUAL *n*) ex deglutita acicula obſervavit WIEDENFELD *o*).

Clar. VAN DOEVEREN *p*) obſervavit Riſum ſardonium in febris intermittentis paroxysmis, qui poſt datum Emeticum, quo inſignis Lumbricus cum copioſa colluvie bilioſa & mucoſa expellebantur, evaneſcebat.

Huc quoque referendus videtur tremor ille labiorum inprimis inferioris, qui ſæpe a colluvie acri & cruda primarum viarum producitur; hinc eſt, quod *Clar.* BOERHAAVIUS ex hoc ſigno inſtantem intra ſemihorium in febribus acutis vomitum præſagiebat *q*).

Ex eodem hoc tremore Magni Præceptoris *illuſtris* Commentator SWIETENIUS Epilepſiæ ſedem in ventriculo eſſe, concluſit, eamque una

cum

l) Eph. N. Cur. dec. 3. Anno 2. obſ. 87.
m) Journal de Medic. T. 18. p. 144.
n) Ibidem. T. 25. p. 359.
o) Obſerv. Medic. triga Anno 1768. Gott. obſ. 3.
p) Diſſert. de verm. inteſt. p. 68.
q) Prælect. Acad. T. 6. p. 298.

cum illo tremore Emeticis, interpoſitis ſtomachicis, roborantibus, funditus ſanavit *r*).

§. VI.

Linguæ & Oris Adfectiones.

Linguae & oris cum ventriculo Sympathia luculenter ſatis patet; Quis enim eſt, quem fugit, alienum oris ſaporem, ſordes linguæ ſuperficiem obtegentes primarum viarum cruditates indicare; ita ut ex ſolius linguæ conſpectu ſordium copia & qualitas determinari queat; prout enim viſcidus magis oris ſapor ſit, ſpumoſa magis, tenuiorve ſaliva linguæ marginibus adhæreat, vel mucus ſubalbus linguæ papillas cingat aut obducat, majorem minoremve pituitæ copiam ventriculo contineri, patet. Ex ſapore amaro punctis flavis per linguæ dorſum diſperſis, pelliculis luteis linguam obtegentibus bilioſam colluviem magis minusve meram adeſſe concludere licet; quæ ubi putrida eſt, puniceus, fuſcus, nigerve illius pelliculæ color, ructus putridi & nidoroſi adſunt: mobilitatem hujus materiei linguæ mollities, immobilem vero eandem & crudam eſſe, tenax ſordium linguæ adhæſio docet; ſummo hinc jure BAGLIVUS medicos monet, ne ab ægris, lingua non inſpecta, diſcedant. *s*) Hu-

r) Comment. T. 3. p. 439.
s) BAGLIV. Op. Med. T. I. p. 96 & 97.

Hujus etiam loci ſunt adfectiones muſculorum linguam moventium, unde ejus tremores, balbuties, aphoniæ conſenſuales: tremores illi linguæ haud raro obſervantur in febribus ex acri biliosa colluvie ventriculum occupante.

Aphoniæ exempla ex ebrietate, comeſtis venenis, ut Semine Daturæ, Baccis Belladonnæ, Radicibus Hyoſcyami, quæ ſolvebantur, expulſis vel ſolutis venenis, habent SAUVAGESIUS *t*) MORGAGNUS *u*) aliique *v*).

HIPPOCRATES *w*) in febre continua voce deſtitutis vomitum ſalutarem jam pronunciavit. EGGERDES plures milites eodem tempore aphoniâ correptos vomitoriis ſanavit *x*); idem contigit KOELICHEN *y*).

Aphonam puellam ex ulceroſa metaſtaſi ad ventriculum redditam fuiſſe, eſt in obſervatis *z*) cui loquela, exhibito vomitorio, fuit reddita.

Vidit Illuſtr. SWIETENIUS *a*) in tyrone artis

t) Noſol. meth. T. I. p. 777.
u) De Sedibus & Cauſſ. morb. Ep. 14. §. 35. Ep. 63. §. 13.
v) A. Nat. Cur. Vol. 6. Obſ. I. & HIPPOCR. aphor. S. 5. aph. 5
w) Coac. Præn. num. 80.
x) Eph. N. C. dec. 3. Anno 4. Obſ. 8.
y) Vid. BARTHOLINI Act. Hafn. Anno 1671. Obſ. 86 & 87.
z) Eph. N. C. dec. 2. Anno 6. Obſ. 25.
a) Vid. Comm. T. 4. p. 714.

artis Chirurgicæ miti febre continua decumbente, ſubito acceſſiſſe aphoniam, cum involuntaria fæcum alvinarum excretione; in toto hoc morbo nullum cerebri adfecti ſignum adfuerat; paullo poſt evomuit vermen teretem vivum, & illico omnia hæc mala evanuerunt.

Memorabilis quoque eſt aphoniæ exemplum, quod memorat HEISTERUS *b*): ſcilicet ancilla triginta tres annos nata, ſubitis, iisque validiſſimis abdominis doloribus præcipue circa ventriculum obnoxia, fortiter convellebatur, ita ut nullum verbum proferre poſſet, licet mente & ſenſibus valeret; ſequebatur tetanus univerſalis cum palpitatione cordis; mens autem conſtabat, dolores ventriculi horrendi manebant, & tertio die periit: peſſima hæc & anomala ſymptomata dati veneni ſuſpicionem faciebant, aperiebatur hinc cadaver, & in inteſtino duodeno, atque in cardia numeroſi inveniebantur vermes teretes magni, qui cardiam eroſerant.

Pertinet huc quoque oris illa ſiccitas & ſitis, quæ in febribus ex materie bilioſa ventriculum obſidente locum habent, quippe quæ, teſte Illuſtr. SWIETENIO *c*) unico vomitorio ſæpe tolluntur.

Sympathice etiam dentes a ventriculo adfici ſolent, probant hoc odontalgiæ, quæ ſæpius ex

b) Wahrnehmungen numero 372. p. 614 & 615.
c) Comment. T. 2. p. 209.

ex ſordibus ventriculi oriuntur, & quæ, omnibus licet dentibus evulſis, haud ceſſant, dum unico vomitorio plane tolluntur.

Expertus in ſe ipſe RIVERIUS acerbiſſimam odontalgiam, quæ ejecta per vomitum multâ pituitâ ſtatim evaneſcebat *d*). Narrat BIANCHI *e*) de muliere per plures hebdomadas odontalgia adflicta, quæ mox ſopiebatur, cum per vomitum & alvum inſignis copia amariſſimi humoris rejecta eſſet.

Ipſe, dum feriis æſtivis huic diſſertationi conſcribendæ operam dedi, moleſtâ ſatis odontalgiâ periodicâ una cum febre intermittente ex P. V. ſordibus nata, adflictus ſui, quæ tamen, una cum febre, evacuatâ ſaburrâ, ceſſavit.

Neque etiam. ſi carie adfectos dentes inveniamus, ſtatim concludendum eſt, hanc doloris cauſſam eſſe, quoniam, licet carioſi ſint dentes, homines ab hoc ingrato dolore tamen ſunt immunes, dum hi dolores, nulla medicinâ adverſus cariem exhibita, ſed ſordibus evacuatis, tolluntur: pulcrum hoc probat exemplum, quod obſervavit PAULINI *f*) in virgine gravi odontalgia vexata, huic paraverat pilulas carioſo denti immittendas, quas cum conſpexiſſet, horruit, nauſeavit, vomuit & finito vomitu, omnis dolor evanuit, ita ut illis pilulis minime indigeret.

Neque

d) Obſerv, Cent. 4. Obſ. 31.
e) Hiſt. hepat. P. 3. p. 513.
f) Eph. N. Cur. dec. 2. Anno 5. append. p. 22.

Neque ſemper odontalgiæ illæ conſenſuales oriuntur ex ſordibus P. V. ſed quoque ex nimia ventriculi ſenſilitate & debilitate; hæ hyſtericas ſæpe vexant.

Denique Glandulæ etiam ſalivales ſympathice ex hoc fonte adfici videntur: talis ſalivationis exemplum in nobismet ipſis ſæpius obſervare poſſumus; quotiescumque enim acre quid in ventriculo hæret, & nauſeam excitat, ſaliva majori copia os implere ſolet. Inſtantis vomitus certiſſimum ſignum præbet aquoſi humoris ex ore effluxus *g*).

Salivatio in variolis major minorve; prout ventriculus acri bilioſave materia obſeſſus ſit, conſenſus hujus etiam evidens nobis præbet exemplum, ut & quod in adultis ſalivatio vices dejectionum impleat.

In femina pylori ſcirrho laborante præter alia ſymptomata ſalivæ abundantiam & perpetuum ſtillicidum obſervavit LANGGUTH *h*): hæc nunc dicta ſufficiant de adfectionibus capitis externis ex ventriculo ſympathice oriundis: transeundum nunc ad morbos capitis internos ex hoc fonte provenientes.

§. VII.

g) Conf. Doct. RAHN l. c. p. 57.
h) Progr. de tabe ſicca lethali ex calloſa pylori anguſtia Vitemb. 1750.

§. VII.

Vertigo.

Inter opii effecta, quæ in hominibus & animalibus exſerit, TRALLESIUS etiam hunc adfectum recenſet, *i*) SAUVAGESIUS memorat gravem vertiginem, quam mulier ex adſumto jusculo, in quo folium hyoſcyami albi erat incoctum, paſſa fuit *k*); ſaniſſimi etiam homines, ſi ventriculum nimia cibi copia repleruint, intolerabilem vertiginem patiuntur, donec omnibus evomitis plenarie ceſſat.

Immortalis BOERHAAVIUS *l*) obſervavit, infantes, dum lac coagulatum acidum in ventriculo hæret, oculis apertis, lucem refugere & vertiginoſos; imo epilepticos evadere, in quorum cadaveribus ventriculus coloſtro compacto & acido plenus inventus fuit.

Habet PLATERUS *m*) hiſtoriam viri cujusdam ſubito interdum vertigine correpti, ita ut in terram concidere cogeretur, quam epileptici adinſtar, ſui tamen conſcius, & ſe retinere tentans, unguibus radebat & pedibus pulſabat, & quovis paroxysmo ſoluto lentam pituitam evomebat,

i) De opio ſect. 1. p. 88.
k) Noſ. meth. 62. p. 174.
l) De morb. nerv. p. 497.
m) Obſ. med. L. 1. p. 100.

mebat, quem vomitoriis & purgantibus ſanavit. Similem vertiginem horrendis cardialgiâ, vomitibus & diarrhæâ ſtipatam ſtomachicis ſanavit BOETTICHEN *n*).

Periodicam vertiginem ex ſordibus P. V. productam ultra viginti annos virum quendam vexantem per pilulas cholagogas, quæ bilem per Epicraſin educebant, curavit HELWIGH *o*).

Ab inflammato ventriculo ſummam vertiginem obſervavit SWIETENIUS *p*). Binos inflammati ventriculi caſus memorat LIEÚTEAUD *q*). Utrique vertigo juncta erat.

§. VIII.

Affectus Soporoſi.

Hoc Morbi genus frequentius abdominalibus viſceribus & præprimis ventriculo deberi, quam olim crediderunt Medici, hodie ſatis ſuperque compertum eſt.

In varias ſpecies diſtingui hi adfectus ſolent; horum princeps Apoplexia pro exemplo nobis ſufficiet, quam per conſenſum ex ventriculo ortum ſuum ſæpiſſime ducere patet; ſi conſideremus:

1. Sæpe

n) A Nat. Cur. Vol. 8. Obſ. 51.
o) Obſ. phyſ. med. Obſ. 40.
p) Comm. T. 3. p. 147.
q) Hiſt. Anat. med. T. 1. p. 72 & 73. cujus compendium exſtat in *Præceptoris & Promotoris æſtumatiſſimi* E. SANDIFORT Bibl. T. 8. p. 171

1. Sæpe numero cauſſam manifeſtam apoplexiæ prægreſſæ lethalis minime obſervari in cadaveris Encephalo, ut jam agnoverunt BALLONIUS *r*) WILLISIUS *s*) MORGAGNUS *t*) & CAS. MEDICUS *u*).

2. Sæpe occurrere in cadaveribus cauſſas apoplexiæ, absque ut apoplexia præceſſerit, vel in mortis cauſſà fuerit. Conf. MORGAGNUS *v*) & PLATNERUS *w*).

3. Frequentem hunc morbum oriri ex venenis adſumptis, ex luxuria, guloſitate, ingluvie, crapula.

4. Hujus morbi per Emetica vel Purgantia curationem ſæpe ſuccedere.

Sic SLOANE *x*) quatuor, qui ſemen hypoſcyami comederant & inde in deliria & ſopores inciderant, ſanavit purgante, quod vomitum & alvum movebat. *Doctiſſ.* KAAUW BOERHAAVE *y*) habet hiſtoriam juvenculæ, cui effœtus ſcortator Daturæ ſemen in cyathum immiſſum propinaverat, unde convulſionibus & pro-

r) Conf. med. L. 2. hiſt. 1.
s) De anima brut. Cap. 8.
t) Ep. anat. med. 4. §. 5, 6, 8, 9. & ſeqq.
u) De morb. period. Vol. 2. p. 299.
v) Ep. anat. med. 2. §. 17. Ep. 4. §. 29, 34 & 35.
w) Inſt. Chir. §. 513, 531, 534.
x) Phil. tranſact. Anno 1733. p. 99.
y) Impetum faciens dictam HIPP. p. 282. ſeqq.

ſundo ſopore corripiebatur, quibus, data ipecacuanha, mente conſtans liberabatur.

Ab ipſo copioſius ingurtitato vino nonnulli apoplectici ceciderunt, qui per vomitum reddito vino mox ſanabantur, teſte BOERHAAVIO *z*). Magni hujus Medicinæ hodiernæ Fundatoris *illuſtris Commentator* SWIETENIUS *a*) memorabilem huc ſpectantem caſum narrat, quem iisdem verbis hic inſerere lubet: „Novi, inquit, „Celeberrimum virum, qui in conſortio amico„rum ſubito incepit oculos hinc inde convertere, „mox obmutuit, & apoplecticus cecidit; dum „conclamatum crederent ſummi in arte viri, qui „aderant, poſt quadrantem horæ, nullo tentato „remedio, præter ſanguinis miſſionem, vomuit, „præter contentos in ventriculo cibos, ingen„tem copiam pituitæ, & quidem tantam, quan„tam humanus ventriculus capere poſſe, vix cre„di poterat; ſtatim redierunt ſenſus & motus, & „blando ſomno refectus ſequenti die omnino ſa„nus fuit, riſitque futuros hæredes, qui, nuncio „miſſo, advolaverant quantocijus “.

Similes caſus paſſim apud auctores occurrunt, ex ebrietate apoplecticos vomitu ſanarunt FORESTUS *b*) & alii.

RIVE-

z) De Morbis nervorum, p. 563.
a) Comment. T. 3. p. 289.
b) Obſerv. Lib. 10. obſ. 34.

RIVERIUS *c)* puellam comate & convulſionibus detentam, fruſtaneis clyſteribus, frictionibus, cucurbitis, veſicatoriis, ſternutatoriis, vitriolo albo, quod copioſos vomitus excitabat, ſanavit, ut & RIEDELINUS *d)*.

Huc & referendi videntur ſopores illi, quibus febrium intermittentium acceſſiones ſæpe ſtipantur, qui omnibus incaſſum adhibitis, tribus ante paroxysmum horis propinato emetico, teſte Cl. F. HOFFMANNO *e)* præcavebantur, tam felici cum eventu, ut inſignis materiei viſcidæ & bilioſæ copia evacuatâ, proximus paroxysmus mitior longe fuerit & ſopore caruerit.

Sympathicas eſſe has adfectiones ſoporoſas, quæ febribus intermittentibus junguntur, nemo facile dubitabit; probant etenim hoc ſymptomata, quæ junguntur, qualia ſunt nauſea, oris amaror, dolor hypochondriorum, vomitus, diarrhœæ bilioſæ, levantes; urina turbida, viride ſanguinis emiſſi ſerum; totidem ſigna adfectarum primarum viarum: Confirmant hoc cauſſæ, ex quibus plerumque oriuntur, ut ſunt neglecta primarum viarum debita purgatio, vel abuſus vehementiorum vomitoriorum, ſpirituoſorum. Docet hoc curandi methodus, quæ minime alicui cauſſæ cerebrum idiopathice ad-

U 3 fligenti

c) Obſervat. p. 329.
d) Obſerv. Centur. 1. Obſ. 40.
e) Operum omnium T. 3. p. 215.

fligenti reſpondet, ſed unice P. V. evacuandi & roborandi ſcopo inſtitui ſolet. Denique evincunt hoc cadaverum diſſectiones, quæ viſcera abdominalia inflammata, ſtomachum & inteſtina bilioſa materia repleta, veſiculam felleam bilem craſi ſua varie mutatam continentem, cerebrum vero plerumque ſanum oſtenderunt. Conf. *Doct.* RAHNNIUS *f*).

Oppoſitus huic morbus Agrypnia haud raro ſympathicæ indolis cenſendus eſt: febribus bilioſis frequens ſymptoma unico emetico ſæpe tollitur, dum narcotica non ſolum incaſſum propinantur, ſed & morbum augent, deliria, aliaque pejoris indolis ſymptomata producendo *g*).

Ex ventriculi debilitate pertinaces ſæpe Agrypniæ oriuntur, ex hac cauſſa illi, qui ex febribus ſic dictis bilioſis reconvalescunt, ſæpe numero hoc adfectu vexantur; uti annotavit *Illuſtr.* TISSOTUS *h*).

Ex eodem fonte Agrypniam, quæ hypochondriacos & hyſtericas vexabat, & non niſi emiſſis ructibus ceſſabat, derivavit WILLISIUS *i*).

§ IX.

f) Diſſert. laud. p. 81 & 82.
g) Tiſſot. de febre bil. Lauſ. Opuſc. Tom. I. p. 131.
h) Ibid. L. C. p. 85.
i) De anima brut. P. 2. Cap. 2.

§. IX.

Paralyſes.

Vix eſt, ut quidquam de hiſce adfectionibus addamus; cauſſæ enim, quas vidimus Apoplexias Sympathicas produxiſſe, iis omnino ſunt ſimiles, ex quibus paralyſes oriuntur.

Venena illa, quæ in aliis apoplecticam mortem excitarunt, in aliis paralyſes, easque modo univerſales modo particulares reliquerunt.

Pereuntem ex febre & paralyſi virum vidit FERNELIUS, cum familiaris ipſi bilioſus vomitus ſiſteretur *k*).

Paralyſin ex febre tertiana feminam adfligentem, educta per ſuperiora & inferiora magna humorum bilioſorum copia, inter tres hebdomadas ſanatam legimus *l*), ita ut cum antea neque calorem, neque frigus ſentiret, nec minimus motus ſupereſſet, nunc absque ullo impedimento ambulare poſſet.

Eſt in Hiſtoria Medica exemplum paralyſeos conſenſualis artuum inferiorum cum quotidiano vomitu humoris amari bilioſi interdum nigricantis, quæ jam per tres annos ægrum vexaverat, quæ tamen reſolventibus & ſtomachicis intra ſex hebdomadarum ſpatium ſanata fuit *m*).

k) Patholog. Lib. 4.
l) Eph. N. Cur. dec. 3. Anno 1. Obſ. 1.
m) Med. und Chirurg. Anmerkungen p. 3. ſeqq.

§. X.

Deliria.

Admodum frequentia eſſe deliria ex hoc fonte provenientia nemo facile negabit; ita ut veriſſimum ſit *Ill.* TISSOTI effatum *n*), intra viginti deliria tam acuta quam chronica octodecim ex hypochondriis eſſe; ſæpiſſime enim mentem alienari obſervamus absque ut ullum idiopathicum in cerebro vitium adſit, ſed unice in ventriculo quærenda ſit: probant hoc deliria ex venenis ſuborta; in cauſſidico illo, qui duas ſeminis hyoſcyami drachmas devoraverat, confeſtim inſaniam & dementiam oriri, intra ſemihorium tamen, dato vomitorio, tolli hæc mala vidit HELMONTIUS *o*).

Qui ejusdem plantæ decocto delirabant omnes liberabantur, quotquot, ipecacuanha adſumpta, vomebant, teſte STEDMANNO *p*).

Habet LORRY *q*) de femina hyſterica, quæ cum duo pilularum de cynogloſſo adſumſerat grana, in vehemens delirium incidebat, quod ſtatim ceſſabat, ejecta per vomitum pilula argenti lamina adhuc involuta.

Omnis ævi medici hanc ſympathicam delirio-rum

n) De febr. bil. Lauſ. opuſc. T. I. p. 77.
o) De jure duumvir. §. 22.
p) In Ep. ad PRINGL. in Philoſ. transact. An. 1752
q) Recueil period. T. 4. p. 75.

rum originem jam agnoverunt; ſic GALENUS r) jure ſuo illa deliria, quæ in febrium vigore accedunt, non propria cerebri adfectione, ſed per conſenſum fieri, dixit.

Patriæ noſtræ HIPPOCRATES egregie hoc animadvertit: ſæpe, inquit, ſordes ventriculi deliria in morbis acutis producunt; quæcunque remedia applicentur, non levabitur morbus, niſi agatur in has ſordes s) quam doctrinam ſæpius confirmatam ſe vidiſſe & ex ſalutari magni Præceptoris monito, ſibi hac ratione procedenti feliciter curam ceſſiſſe *Illuſtr.* SWIETENIUS gratus recordatur.

Ne ipſam phrenitidem hinc excipiendam eſſe ſequenti capite patebit.

Sed quoque deliria chronica non raro ex ventriculo ſuam originem ducunt: etenim depravatæ digeſtionis ſigna, ſenſus ponderis, tenſionis, tumoris circa præcordia, appetitus proſtratus, depravatus vel immodice auctus, vomitus ſordium levantes ſæpe numero Symptomata Melancholiæ vel Maniæ ſunt, totidem indicia, ventriculum hic ſuas partes ludere: mirum hinc non eſt, quod HIGHMORUS paſſionem Hypochondriacam & Hyſtericam ex ventriculo quaſi fonte derivaverit t). Confirmare

 multum

r) De Locis adfect. T. 7. p. 428. Ed. Chart.
s) BOERHAAV. de Morb. Nerv. p. 360. & ſeq.
t) Exercit. de paſſ. hyſt. & hypochondr.

multum hanc ſententiam videtur cura Maniæ per Emetica, ut feliciter fecerunt GRUNDELIUS *u*) & HUNEWOLFF *v*) furentem quamdam virginem Emetico ſumpto, non aliter, quam propinato opiato, quieſcere vidit APINUS *w*).

In Actis Pariſinis exſtat caſus pueri, qui poſt largiorem cœnam febre corripiebatur, in qua ſimul memoria penitus delebatur, quæ tamen, ſimul ac cruditates expulſæ erant, reſtituebatur. Amentiſſimum jam ab aliquot annos virum, qui voraciſſimus erat, vomitoriis repetitis vicibus propinatis, ſapientem reddidit GAHRLIEP *x*).

Probant hanc deliriorum originem illi caſus, ubi ex depoſitione materiei morboſæ ad ventriculum melancholia nata fuit, ſic ex materia atrabilaria fixata in ventriculo melancholiam hypochondriacam natam vidit KEMFU *y*).

Ex vitiis ventriculi topicis melancholia nata fuit; huc pertinet illa melancholia, quam ex induratione & ſcirrhoſitate tunicarum ventriculi productam fuiſſe, vidit *Clar.* WHYTT *z*).

Denique dantur aliæ chronicorum deliriorum cauſſæ,

u) Eph. N. C. dec. 2. Anno 4. Obſ. 166.
v) Ibidem dec. 2. Anno 6. Obſ. 92.
w) Ibidem dec. 3. Anno 5 & 6. Obſ. 116.
x) Ibidem dec. 2. Anno 6. Obſ. 18.
y) Vid. Diſſert. ejus in 3. vol. ſyllog. opuſc. Med. Ed. BALDINGERO.
z) De Morb. nerv. p. 148 & 139.

cauſſæ, ventriculi ſcilicet debilitas, ejusque nimia ſenſilitas; frequentiſſimam hanc cauſſam declarat *Doct.* WHYTT; quam in ſe ipſo expertus eſt *a*).

Vidit KAAUW BOERHAAVE *b*) hyſtericam feminam, quæ, quando cardialgia ipſi ſolennis accedebat, in vehemens delirium & furorem incidebat; quam primum vero dolor ceſſabat, mens conſtabat, turbata illico ad adſectum iterum ventriculum.

Hujus loci etiam videntur eſſe deliria illa periodica, quæ certis temporibus recurrebant, & incaſſum adhibitis aliis remediis, brevi tempore Cortice Peruviano tollebantur *c*).

Nec incongrue huc referemus illas maniæ & melancholiæ ſpecies, quæ poſt febres intermittentes venæſectionibus, evacuantibus ſurſum deorſumve tractatas ſæpe remanent, primus hanc ſpeciem memoravit Angliæ illud decus SYDENHAM *d*) illamque non niſi roborantibus & ſenſilitatem ventriculi ſopientibus remediis tolli monuit, qua de re egregie diſſerit *Illuſtr.* SWIETENIUS *e*).

§. XI.

a) LL. p. 93 & 94.
b) Impet. fac. dictum Hipp. p. 288.
c) Vid. Medicus Samml. von Beobacht. L. 2. p. 372.
d) Oper. Omn. T. 1. p. 260.
e) Comment. T. 3. p. 530.

§. XI.

Convulſiones.

Nullæ dantur frequentiores Sympathicarum Convulſionum cauſſæ, quam illæ, quæ in ventriculo variis ſtimulis irritato ſuam ſedem habent: & certe ſi conſideremus mala, quæ ex venenis adſumtis originem ſuam habent, reperiemus, convulſiones horrendas exinde natas minime tribui debere veneno per circulationis anfractus ad cerebrum delato, ſed unice produci ex eo, quod ventriculo incluſa ejus nervos, & per hos totum ſyſtema nervoſum adficiant; evincunt enim experimenta in animalibus inſtituta, & diſſectiones cadaverum eorum, qui iisdem venenis trucidati erant, nihil mali in cerebro fuiſſe inventum, ſed ipſas veneni particulas integras nec comminutas in ventriculi plane conſtricti & corrugati fuiſſe repertas *f*).

Probatur hoc aſſertum utilitate emeticorum juſto tempore exhibitorum; ſic vidit *Clar.* BOERHAAVIUS *g*) octo pueros cicutam devoraſſe, unde angebantur, delirabant, vomituriebant, convellebantur; omnes vero qui ex propinato vitriolo vomuerunt, ſervati ſunt.

Horrendæ convulſiones ortæ ſunt a venenis mechanicis deglutitis; ab acicula deglutita non ſolum

f) Vid. WEPFERUS de Cicuta aq. p. 5. & ſeqq.
g) Prælect. Acad. T. 6. p. 388.

lum furioſum delirium, ſed & vehementes colli; brachiorum, crurum convulſiones enatas, videtunt HILDANUS *h)* & WIEDENFELD *i)*; Epilepticis inſultibus brevia per intervalla recurrentibus vexabatur miſere puer ille, qui denarium deglutierat, teſte LAZERME. *k)*.

Nec mitiores cenſendi ſunt effectus ab irritamentis in ipſo ventriculo natis: horrendos Epilepſiæ inſultus a pituita infantum ventriculum & inteſtina obſidente obſervavit PECHLINUS *l)*.

Reducenda huc eſt convulſio maxillæ inferioris, quam Triſmum vocant, quæ frequenter infantes affligit ob retentum meconium: huc pertinet quoque Triſmus hic a venenis ortus, qualem ab œnanthe obſervavit VACHER *m)*.

Denique & huc referri poteſt horrendus ille Triſmus, qui febrium intermittentium paroxysmis ſeſe adjungit; qualem ex acris bilis in ventriculo contentæ & irritantis copia obſervavit, deſcripſit & curare docuit *Clar.* C. MEDICUS *n)*.

Sæpe convulſionum univerſalium æque ac particu-

h) Obſerv. Chir. Cent. I. Obſ. 34. app. p. 30.
i) Obſerv. Med. triga. Obſ. 3.
k) De Morb. Capitis. p. 253.
l) Obſerv. phyſ. Med. Lib. 2. Obſ. 29.
m) Journal de Medic. T. 18. p. 236.
n) Ep. ad ZIMMERMANNUM p. 5. ſeqq.

ticularium non raro ſaniſſimis etiam infantibus lethalium cauſſam conſtituit lac maternum ex diæta, aut animi pathematibus venenatum: Ex matris diæta, quæ carnem ſuillam & braſſicam avide ingurgitaverat, filiolam lactantem aliquot a prandio horis vehementibus convulſionibus correptam vidit WOLFF. *o*). Convulſiones Epilepticas infantibus iratæ matris ubera ducentibus lethales viderunt SOMMER *p*) & SWIETENIUS *q*).

Ex vehementi gaudio, quo lactans mater ob improviſum mariti adventum adficiebatur, infanti intra viginti quatuor horas lethales convulſiones ortas vidit ARMSTRONG *r*).

Nec raro dirum hoc morbi genus infantes infeſtat, ob acidum coloſtrum ventriculum replens; talibus obſervationibus ſcatent Medicorum ſcripta: & *Illuſtr.* SWIETENIUS *ſ*) cadavera infantum qui convulſionibus mortui erant ſecans, reperit, nullum in toto corpore adeſſe vitium, præterquam quod ventriculus coloſtro acidum redolente repletus erat, quod in quibusdam inſtar cunei pyloro intruſum omnem ex ventriculo exitum impediebat; & hoc fundamento felici cum eventu innumeros convul-
ſos

o) In A. N. Cur. Vol. 7. Obſ. 7.
p) Eph. N. Curioſ. dec. 2. Anno 2. Obſ. 172.
q) Comment. T. 3. p. 403.
r) Verſuch. von der Kinderkrankh. p. 41.
ſ) Comment. T. 4. p. 686.

ſos infantes morte liberavit HARRIS *t*) convictus de veritate effati BAGLIVI *u*) omnes fere infantum convulſiones ex ſtomacho oriri.

Neque etiam ſemper non eſt attendendum ad ventriculi conditionem in convulſionibus, quæ in primo variolarum ſtadio occurrunt, quippe quæ, licet frequentius ex ſola irritatione veneni varioloſi oriri videantur, neque peculiarem medelam requirant, tamen ex alia quadam cauſſa in ventriculo latitante ſæpe exacerbantur: ſic FÜRSTENAU *v*) graviores convulſiones in puero quodam variolarum eruptionem præcedentes, propinato ſulphure aurato antimonii, quo inſignis pituitæ copia vomitu reddebatur, mox ſuſtulit.

Non infrequentem convulſionum etiam in adultis cauſſam conſtituunt ſordes ventriculo contentæ; hoc jam agnovit GALENUS *w*), in febribus, inquit, quosdam derepente convulſionibus prehendi vidimus, qui vero, bilioſo ſuperveniente vomitu, ſtatim ab illis liberabantur. Confirmat hoc *Illuſtris* SWIETENIUS *x*), vomitorium, inquit, ſæpe uno momento febriles convulſiones tollit, dum fluctuantem circa præcordia acrem & copioſam bilem actiones cerebri

t) De Morbis infantum p. 36.
u) Oper. p. 114, 336.
v) A. Nat Cur. Vol. 8. Obſ. 73.
w) De locis adfect. L. 3. C. 3.
x) Comm. T. 2. p. 359.

bri turbantem evacuat; Convulſiones illæ, quæ febri bilioſæ Lauſanenſi junctæ aliquando erant, nullam medelam, præter expulſionem materiæ bilioſæ, requirebant *y)*; idem in febribus putridis obſervarunt *Clar.* DARLUC *z)* & BOUCHER. *a)*.

Sic febres intermittentes univerſali ſtipatas tetano non aliunde orto obſervavit *Clar.* MEDICUS *b)*, in cadaveribus hac febre exſtinctorum nullum cerebri vitium repertum fuit; ſed ventriculus & inteſtina bile viridi, nigra erant repleta.

Nec ſolummodo illæ convulſiones, quæ febribus junctæ ſunt, ex hoc fonte derivandæ, ſed & illæ, quæ ſine febre adultos ſæpe vexant, & per longum tempus perdurant, quæque juxta CELSI *c)* de morbo comitiali effatum, vomitoriis tollantur, neceſſe eſt.

Ex ſalutari cruditatum vomitu ſuppreſſo ſtatim epilepſiam ſequi vidit SELIGER *d)*. Virum quemdam, cui contra cardialgiam, nauſeam, laſſitudinem, ſudorifera dedit rudis balneator, paulo poſt graviſſimâ epilepſia adflictum, feliciter

y) De febr. bil. Lauſ. L. C. p. 113.
z) Recueil. period. T. 6. p. 64. & ſeqq.
a) Ibidem. T. 10.
b) Samml. von beob. Lib. 1. p. 106. & ſeqq.
c) De Medic. Lib. 2. C. 8.
d) Eph. N. Cur. dec. 2. Anno 1. Obſ. 137.

ter tamen emeticis curatum fuiſſe, narrat LEDELIUS *e)*. Emeto-cathartico tollebat *Clar.* SAUVAGESIUS *f)* univerſalem tremorem ſubito ſine febre, ſed cum linguæ ſorditie virum quendam corripientem.

Choream Sancti Viti Emeticis & Catharticis ſanavit RUAMPS *g)*. Ab acido P. V. horrendas totius corporis convulſiones cum vomitu pituitæ acidæ fauces erodentis & canina fame, ſolis abſorbentibus ſanavit MARTEAU *h)*; ſimilibus ex eadem cauſſa convulſionibus vexatam feminam ſola Magneſia liberavit WATSON *i)*.

Denique Sympathicarum Convulſionum frequentem cauſſam conſtituit ventriculi debilitas ejusque nimia irritabilitas: pulcre jam notavit GALENUS *k)*, „in quibusdam hominibus majorem ſto-„machi imbecillitatem ac ſenſibilitatem adeſſe, illos-„que imprimis ideo capitis morbis affici; ita enim „Epilepſia ob ſtomachi imbecillitatem quibusdam „oritur." Spectat huc ejus obſervatio in juvene Grammatico, qui ſimul ac inediam diutius ſuſtineret,

e) Ibid. dec. 3. Anno 2. Obſ. 46.
f) Noſ. Meth. Vol. 1. p. 559.
g) Recueil. period. T. 8. p. 241.
h) Ibid. T. 13. p. 142.
i) Medical Obſerv. and inquir. Vol. 3. p. 335.
k) De Sympt. cauſſ. Lib. 1. C. 7. T. 7. p. 60. Ed. Chart.

neret, inſultu Epileptico corripiebatur, &, dum poſtea ab ipſo Galeno jam curatus integra valetudine frueretur, tamen breviſſima convulſione adfligebatur, quotiescunque ob negotia diutius a cibo abſtinere cogeretur *l*).

CAPUT TERTIUM.

Continens nonnulla de diagnoſi & cura adfectionum harum Sympathicarum.

§. I.

Qui feliciter in Arte medica & in curandis tollendisque morbis verſari velit, eorum cauſſas cognoſcat, neceſſe eſt, in promptu ergo debet habere illa ſigna, quibus cauſſæ a ſe invicem diſtinguuntur; poſtulat igitur rerum ordo, ut ea ſigna adferamus, ex quibus diſcere poſſumus, capitis morbos Sympathice a ventriculo originem ſuam ducere; verum enim vero licet induſtriâ & diligentiâ obſervatorum, eorumque, qui Pathologiam & Aetiologiam fundarunt, & e tenebris, quibus circumvolutæ erant, quaſi excitarunt, majores, quoad diagnoſin morborum, feciſſe videtur progreſſus medicina, nullum tamen

l) GALENUS de loc. adfect. L. 5. C. 6. T. 7. p. 492. & ſeq.

men adhucdum datur genus morborum, quod difficilius & rarius ſanatur, quam morbi capitis, non aliunde, quam quod eorum cauſſæ adeo multiplices ſint, & peritiſſimos etiam in Arte Apollineâ viros ſæpe fugiant: probant hoc Apoplexiæ ſæpe numero lethales, ut taceam Manias, Epilepſias, Cephalalgias & plures ejusmodi adfectiones, quæ per totam ſæpe vitam miſeros mortales torquent & ſanari neſciæ, merito Artis ſalutaris dedecus conſtituunt.

Hiſce ita ſeſe habentibus, ſpes nobis plane excidit, fore ut noſtra indagatio quid lucis in his tenebris ſit adlatura; quare modo generalia quædam, antequam ad indicationes curatorias tranſeamus, de ſignis hiſce ſubjungemus.

§. II.

Quid de diagnoſeos horum morborum certitudine ſit ſtatuendum, exemplo de doloroſis capitis adfectionibus deſumpto, illuſtrare lubet.

Quæ Sympathicas Cephalalgias ab Idiopathicis diſtingunt, varia proferuntur ſigna; eaque diſtingui poſſunt in illa, quæ in ipſo capite adſunt & ea, quæ in ventriculo reperiuntur.

Ex ipſo capite novimus, hoc Sympathica ex ventriculo adfectione doloroſa adfici; ſi nulla evidens cauſſa, ut æſtus, frigus, ictus, odor gravis, aut aliquid eorum, quæ capitis dolorem

excitare conſueverunt, prius occurrerit; præterea, Cephalalgia Idiopathica id habet, quod ſolitaria plerumque & perpetua perſtet, fixatâ ſimul ſede, non intermittat, nec, ſi increſcat alterius partis adfectus, augeatur, nec quovis alio ſublato, tollatur: Sympathica vero ſæpe redit, receditque, alterius adfectus incremento increſcit, quo remittente, vel ſublato, miteſcit, vel tollitur: pro ſatis certo ſigno diagnoſtico habet FORESTUS, quod ex qualicunque Stomachi vitio ortus dolor capitis vergere ſolet in capitis partem anteriorem, & potiſſimum quidem verſus tempora. Verum hæc ſigna, quæ ex doloris fixa ſede, vehementia & diuturnitate mali depromuntur, ut inde de idiopathica Cephalalgiarum origine concludatur, admodum incerta ſunt, cum conſtet, Sympathicas ſummâ cum vehementia per plures annos perſtare poſſe: docet hoc caſus quem refert BÄGLIVUS *m*) de femina, quæ graviſſimo per plures annos capitis dolore vexata erat, quæ vero ex præſcripto vomitorio potentiſſime vomuit, unde ſtatim ſanabatur.

Et quod ad illa ſigna attinet, quæ in ventriculo occurrunt, ut appetitus morboſus, nauſea, vomituritio, cardialgia & alia, hæc quidem demonſtrant ventriculum adfectum eſſe, ſed, quoniam eadem ſymptomata oriri poſſunt ab affectione capitis

m) Operum p. 360.

pitis morboſa, patet quid de eorum certitudine judicandum ſit, hinc eſt, quod præcipue ad cauſſas prægreſſas attendendum ſit, nec non ad doctrinam de juvantibus & nocentibus.

§. III.

Verum & aliam Sympathicarum capitis adfectionum cauſſam ventriculo tribuendam eſſe patuit; ſcilicet, hujus organi præternaturalem ſenſilitatem & irritabilitatem, qua leniſſimum ſtimulum tam acriter ſentit, ut mox in ſpasmos cieatur, & enormes in toto corpore turbas excitet. Capitis dolores ex hac cauſſa oriri, cognoſcimus ex eo, quod frequenter ipſi ægri ſentiant ſpasmos in abdominis regione incipientes ſenſim per pectus & collum ad caput propagari, ubi nunc ſenſum tantum vibrationis & oſcillationis integumentorum muſculorum capitis & faciei producunt, nunc intolerabiles dolores excitant, qui modo ſynciput, modo frontem, in his dimidiatum, in aliis univerſum caput occupant, aliquando in exiguo loco, qui transverſo pollice tegi poteſt, cum frigoris ſenſu jugiter defixi, enormibus bilis æruginoſæ vomitibus haud raro juncti. Egregie de hac cauſſa, ejusque ſignis SYDENHAM, BRENDELIUS, & WHYTT.

Cæterum noſcitur hæc cauſſa plerumque ex teneritudine & ſenſilitate totius corporis, ex vi-

tæ genere, quod hanc cauſſam inducit, & ex abſentibus ſignis aliarum cauſſarum.

§. IV.

Ex indagatione adfectionum ſympathicarum capitis ex ventriculo oriundarum ſatis jam patuit, non unam eamdemque ſemper eſſe earum cauſſam, ſed commode referri poſſe ad ſordes ventriculo contentas, & ad ventriculi ſenſilitatem nimiam & debilitatem; ſequitur hinc, binas etiam indicationes curatorias generales formari poſſe, quarum una conſiſtit in evacuandis ſordibus, altera in tollendâ ſenſilitate nimia & debilitate ventriculi.

Optime igitur procedemus, ſi ad harum indicationum normam probaverimus primo, quatenus procedat primæ indicationis utilitas in capitis adfectionibus ſympathicis, dein quomodo altera indicatio conducere queat ad ſanitatem reſtituendam.

§. V.

Primæ indicationi ſatisfaciunt Remedia Evacuantia, quo referimus Emetica & Purgantia: inprimis huc in cenſum vocari debent Emetica, quorum actio præcipua in ventriculum eſt.

Inſignem horum efficaciam in doloroſis capitis adfectionibus ſatis probant obſervationes, quales nonnullas jam in præcedenti capite attulimus; pertinet huc hiſtoria, quam narrat POTERIUS *n)* de

n) Obſerv. Cent. 2. Obſ. 74.

de viro cephalæâ vexato adeo atroci, ut in paroxysmis amentiam, cæcitatem, tandemque ſopores produceret, a qua tamen liberabatur, poſtquam noxii humores e præcordiis evacuati erant, & digeſtionis organa vigorem recuperaverant: & CAROLUS PISO *o)* exemplum adfert nobilis virginis ſubitâ hemicrania cum capitis in poſtica convulſione, tortura oris, maxillarum adſtrictione, ſuccedentibus manuum & brachiorum torpore correptæ, quæ ex hauſtu hydrelæi magna copia humoris bilioſi vomitu rejecta, brevi ſanabatur.

Merito hinc BALLONIUS *p)* medicos monet, ne in diuturnis capitis doloribus nimis ſecure venas frontis aut occipitis aperiant, nec audacter arterias temporum reſerent, cum, quod ſæpe caput doleat, potius per effumationem quandam, quam ſanguinis copiam fiat, quæ potius purgationem, quam venæ ſectionem poſtulat.

Quanta ex perverſa illa methodo quibuscunque capitis doloribus venæ ſectionibus, nullo plane reſpectu ad cauſſam habito, medendi, tunc inprimis, ubi ex ſordibus ventriculi proveniunt, oriantur mala, triſtibus exemplis comprobatum vidit *Illuſtr.* TISSOTUS *q)*: & certe, ſi conſideramus venæ ſectiones intendere mobilitatem & ſenſilitatem nervorum, acris colluviei in ſanguinis

o) De morb. ex coll. ſeroſ. oriund. Obſ. 13.
p) Oper. T. I. p. 87.
q) LL. T. I. p. 108 & 109.

maſſam reſorptionem promovere, laxitatem ſolidis inducere, ideoque noxiæ materiei excretionem retardare, ejusque vim acuere, ſatis patet, quantum nocere debeant, ubi neque plethora, neque diatheſis inflammatoria adſit.

Nec minus nocent opiata, quæ ſæpe imprudentius in Cephalalgiis exhibentur; licet enim hæc prius doloris vehementiam ſedent, brevi tamen poſt intenſius redit, incurabilior ſemper evadens, unde TRALLESII moniti ſemper memores eſſe oportet *r*), ne in obſtinatis Cephalalgiis nimis liberales ſimus in propinandis opiatis, cum experientia doceat, quæcunque etiam cauſſa Cephalalgiam foveat, ſemper hanc mitius adfligere, ſi ventriculo bene ſit, intendi, ſi is male habeat; opium enim niſi ſumma cum prudentia adhibeatur, motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum minuit, excretionem alvinam retardat, ſanguinem commovet, & ad caput determinat: triſte imprudentis opii exhibitionis exemplum eſt in hiſtoria medica *ſ*): ægro febre laboranti, & gravi Cephalalgia vexato medicaſter opium propinaverat, ſtatim ceſſabant dolores, redibat ſomnus, quem excipiebat ferox delirium & mors horrenda.

Recte igitur hic concludit *Doct.* RAHNIUS, unicam hic ſpem eſſe a remediis, quæ ſordes acres ſolvunt, diluunt, mitigant, evacuant, digeſtionem corrigunt, novas cruditates præcavent.

§. VI.

r) De Opio S. 3. p. 233.
ſ) Vid. Eph. N. Cur. dec. 3. Anno 5, & 6. Obſ. 54.

§. VI.

Quanta ſit oculorum cum ventriculo ſympathia, quoties ex ſordibus ventriculi oculorum morbi producantur, jam ſupra patuit; ſequitur hinc quam egregie in quocumque ex hoc fonte oculorum adfectu conducant hæc Remedia Evacuantia, quod jam teſtatus fuit HIPPOCRATES *t*) dum lippientibus alvi profluvium prodeſſe, annotavit.

Referenda eſt huc obſervatio *Doct.* M. STOLLII *u*) ophthalmiæ, in qua oculi conſtanter rubebant, dolebant vero ſtatâ periodo intenſius circa veſperam; in hac ne hilum profuerunt hirudines pone aures, cataplasmata diſcutientia, ſed unice auſcultabat emeticis, ita, ut revertens dolorifica ſenſatio & lacrymatio neque collyriis, neque alvi ductionibus profligari potuerit, ſed repetita per emeticum bilioſæ materiei eductione, integre ſanata fuerit.

In Amauroſi quantum ſæpe proſint emetica & purgantia, ſatis docet experientia, ut jam §. 2. cap. præced. probavimus: confirmat horum uſum hiſtoria juvenis, qui poſtridie, ex quo de ſublimi arbore in humum ceciderat, cæcus reddebatur, qui tamen, repetitis emetici doſibus, viſum ſenſim recuperavit *v*).

t) Sect. 4. aph. 17.
u) Rat. Med. Part. 2. p. 68.
v) Act. Acad. Suec. T. I. p. 81.

§. VII.

Conſenſuales ſæpe eſſe narium adfectiones, ſupra probavimus, & ex iis patuit, quanto cum ſucceſſu Evacuantia ſurſum deorſumve in his ſæpe exhibeantur. Comprobat hoc hiſtoria juvenis, qui frequentibus & copioſis narium hæmorrhagiis vexatus, bilioſæ & pituitoſæ materiei vomitu ab illis liberabatur *w*).

Egregius horum Evacuantium uſus in catarrhis & coryzis quotidianâ experientiâ probatur, quippe quæ citius ad coctionem perducantur, ſi ſordes ex ventriculo evacuantur, quare ipſa natura ſæpiſſime ægros vomitus & vel diarrhææ bilioſæ ope liberat *x*); conſtat etenim, raro adeſſe catarrhos, quin ſimul ſigna ſordium ventriculo contentarum adſint, vel ad finem accedant, ſive quod ſimilis ſtaſis muci in glandulis ventriculi adſit, ſive quod per frequentem tuſſim major bilis copia exprimatur, ſive quod ob ſuppreſſam perſpirationem, quæ frequentiſſima catarrhorum cauſſa eſt, major humorum copia ad primas vias confluat. — Ex his facile eluceſcit, quantum noxæ absque discrimine in catarrhis exhibita ſudorifera, afferre debeant, quæ, licet incipientem catarrhum absque febre & inflammatione ſanare queant; tamen, cum fere ſemper febricula adſit, ſæpiſſime

major

w) Eph. N. Cur. Cent. 6. Obſ. 17.

x) Vid. BAKER de Catarrho & Dyſent. Londin. 1764. p. 11.

major vel minor inflammatio in pulmonibus, faucibus, membranâ narium juncta ſit, & ſæpiſſime etiam ventriculus ſordibus repletus ſit, maxime nocere poſſunt, febrim incitando, inflammationes producendo & augendo, ſordes generando, intercludendo, corrumpendo, ad ſanguinem pellendo, æſtum, inquietudinem aliaque ſymptomata excitando vel augendo, ita ut ſequatur pleuritis vel peripneumonia facile lethalis: abeſt tamen, ut concluderemus, diaphoretica nunquam cum ſucceſſu in febribus catarrhalibus adhiberi, vel ut crederemus, omnes omnino febres catarrhales bilioſæ ſemper indolis eſſe, evacuantibus tractandas; obſervationibus enim ſatis probatum eſt, eas aliquando mere inflammatorias eſſe, easque antiphlogiſticis, repetitisque interdum venæſectionibus, eſſe tractandas & in iis peſſime cedere evacuantium uſum *y)*.

Nec infrequentes ſunt caſus, in quibus complicatus ſtatus adeſt, ubi tunc prudenter cura antiphlogiſtica & evacuans jungenda eſt; *z)* ut taceam de iis, quas HUXHAMUS, *a)* ELLERUS *b)* aliique obſervarunt, in quibus putrida ſanguinis diatheſis aderat, quæque eadem, ac reliquæ febres putridæ, auxilia poſtulabant.

Denique non ignoramus, frequenter illas febres

y) Vid. TISSOT avis au peuple &c. §. 128.
z) BAKER LL. p. 10. & ſeqq.
a) Oper. T. I p. 315. & ſeqq.
b) De cogn. & cur. morbis p. 112.

bres catarrhales ſpeciem febris lentæ nervoſæ induere, in quibus non ſolum mites primarum viarum per emeſin & catharſin evacuationes, ſed & nervina, cardiaca, diaphoretica, ut & cortex peruvianus egregii uſus ſunt, ut debilitati ſuccurratur, & ſudor ægrum plerumque ſublevans promoveatur *c*).

Hæc de cura catarrhorum dicta ſufficiant, de quibus latius & ſimul egregie memorati auctores egerunt.

§. VIII.

Ordo jam requireret, ut ageremus de implenda hac indicatione in aliis adhuc externis capitis adfectionibus, verum cum capite præcedenti ſatis ex allatis obſervationibus patuit, quantum in his ſæpe ſit utilitatis, ne dicta repetamus, pauca adhuc addemus, de utilitate hujus indicationis in nonnullis capitis morbis internis ex ejus ventriculo ſympathiâ oriundis.

§. IX.

Miſſis etiam ob hanc rationem, quæ de horum remediorum uſu in vertigine dici poſſent, nonnulla, quæ ad adfectus ſoporoſos ſpectant, annotabimus.

HIPPOCRATES *d*) jam ſuaſit in morbo attonito,

d) De Morb. L. 3. c. 3.

tonito, enemata, quæ bilem vehementer ducunt, purgantia & vomitoria: SYDENHAM *e*) ſolebat poſt adhibitam venæſectionem Emetica & Purgantia propinare; & BAGLIVUS *f*) multos ab apoplexiæ recidivis præmunivit ſingulis menſibus propinando vomitorium: neque ullus datur Medicus, qui improbat Emeticorum vel Catharticorum in nonnullis Apoplexiæ ſpeciebus uſum, ſed tamen pauciores ſunt, qui eorum indicationem ex ſordibus ventriculi & inteſtinorum derivant, ſed omnes fere reſpiciunt ad cerebri idiopathicam a ſeroſa vel pituitoſa colluvie adfectionem. Hujus loci minime eſt de uſu vomitoriorum & purgantium in Apoplexiis idiopathicis differere, deque certitudine, vel incertitudine indicantium & contraindicantium agere: ſed unice notare velim, quod, ubi ſigna certa contentæ in primis viis ſaburræ adſunt, æque ac ſi venena ventriculo contineantur, ſemper tunc & egregie conveniant Emetica; neque hoc tantummodo locum habet, ſi abſunt congeſtionis ſanguineæ ad caput ſigna, ſed &, ubi facies rubet, turget, extrema calent, totusque corporis habitus viget, dum ipſum illum turgorem, & calorem ex iſta colluvie produci & foveri conſtet; quum tamen in hisce ſemper attendendum eſt, has congeſtiones, plethoram illam efficaciſſime tollendas, minuendas

e) Oper. T. I. p. 191.
f) Oper. T. I. p. 507.

nuendas eſſe, & citiſſime quidem ante & juxta primarum viarum evacuationem, ne vel ſponte, vel per auctam vaſorum agitationem & congeſtiones, ex ſympathico idiopathicus reddatur morbus; patet egregie hic præmitti & præmittendas eſſe venæſectiones, aliaque revellentia.

Eſt aliud quid, quod uſum emeticorum in his adfectibus dubium ſæpe reddit; veluti enim caput a ventriculo adfecto in conſenſum rapitur, ſic & a capite viciſſim ventriculus ſympathice patitur, ita ut nauſea illa, vomitus, cæteraque ſymptomata adfecti ventriculi non certo emeticorum uſum in his morbis indicent, cum eadem ſymptomata apoplexiæ idiopathicæ comites eſſe poſſunt, uti ſatis luculenter demonſtravit *Illuſtris* TISSOTUS *g*): refugiendum igitur ad alia ſigna, ut morbi natura idiopathica vel ſympathica innoteſcat; ſpectat huc doctrina de juvantibus & nocentibus, quippe maxime attendendum venit, num mali levamen vel ejus exaſperationem experiantur ægri ex illis vomitibus vel propinatis evacuantibus.

Nec omittenda indagatio cauſſarum occaſionalium, quæ Apoplexiam producere poſſunt, pru-

g) In Ep. ad Ill. HALLERUM de var. apopl. &c. in Ep. Med. pract. p. 159, 160. quæ Epiſtola, etiam exſtat in vol. 2. Theſ. Diſſ. æſtumatiſſimi Præceptoris E. SANDIFORT.

prudenter autem etiam hic procedendum, ne in diagnoſi fallamur; quippe quæ utrique ſpeciei producendæ pares ſunt; ſic enim in plethoricis ex leviſſimis cauſſis plethoram commotam vaſorum cerebri rupturam, apoplexias produxiſſe conſtat, ita ut fortior nixus, conatus in exoneranda alvo major, ſternutatio fortior, nixus parturientium, aliaque non raro ſaniſſimos homines lethali apoplexia exſtinxerint; attamen in iisdem hominibus diatheſis ad bilis exſuperantiam adeſt, facillime in his ex animi perturbatione, impedita perſpiratione, diætæ erroribus colliguntur in primis viis ſordes, ſtaſes in viſceribus abdominalibus excitantur, quæ ſenſim ſenſimque apoplexias ſtomachicas producere poſſunt: patet hoc in memorabili hiſtoria, quam refert NICOLAI de ſene quodam, alias vegeto, cholerico, qui in publicis conſtitutus negotiis plenaria corripiebatur ſideratione; miſſo ſanguine, data fuit largior tartari Emetici doſis, unde inſignem pituitatæ craſſæ, & porraceæ bilis copiam evomuit, atque hinc ſenſim ſenſimque ſui compos factus, poſt unum alterumve diem ſuam recuperavit ſanitatem; redeuntibus verò poſt aliquot menſes ſimilis mali prodromis, una cum exundantis in primis viis ſaburræ indiciis, inprimis Emetico reſtitutus eſt.

§. X.

In Paralyſi ſæpiſſime hanc medendi rationem con-

convenire, patet ſatis ex allatis exemplis, & ex ſpontaneis evacuationibus, quæ ſalutari eventu illas plane ſuſtulerunt.

Quod ad utilitatem hujus indicationis in deliriis attinet, breviter de ſummo eorum gradu, phrenitide ſcilicet, ſequentia annotamus.

Licet atrocis hujus morbi cauſſa ſic dicta proxima plurimis Medicis conſiſtere in inflammatione cerebri credita fuerit, fallor tamen, ni ex ſequentibus pateat, hanc non ſemper phrenitidos cauſſam eſſe, ſed ſæpius ex ventriculo ſympathice ſuam originem ducere, & hinc egregie hoc in caſu illa Evacuantia conducere poſſe; etenim, ſi conſideremus cauſſas occaſionales, quæ phrenitidem ſæpe provocant, patet, eas non ita in cerebrum, quam quidem in præcordia agere, quales ſunt animi adfectus, protractæ vigiliæ, excretiones ſuppreſſæ, febres bilioſæ perverſe curatæ: — ſi animum advertimus ad ſymptomata, quæ hunc morbum præcedere vel concomitari ſolent, patet illa ex variis hypochondriorum vitiis oriri; animi illa abjectio, incuria, artuum tremores, & linguæ; pavores, dolores varii, ſubitæ illæ caloris in frigus, ſudoris in ſiccitatem, ruboris in pallorem, mutationes, aliaque phrenitidem præcedentia totidem ſunt Symptomata, quæ Hypochondriacis & hyſtericis accidunt, non ob cerebri vitium; ſed ex ſpasmis abdominalibus: dolores illi, tumores, æſtus,

æſtus, pulſationes, introverſiones præcordiorum, vomitus illi billioſi, æruginoſi, nigri, cardialgiæ, ſingultus, urina alba aquoſa, alvi excrementa liquida, viridia, ſpumoſa, ramentoſa, rubicunda, fætida, cum teneſmo impetuque eliſa nihil aliud indicant, quam quod viſcera abdominalia vel acri materie contenta vel graviori obſtructione vel inflammatione ſpaſtice ſint adfecta.

Comprobat hoc curandi methodus; equidem feliciſſime ſæpe mature exhibitis emeticis, clyſmatibus, fomentis, cucurbitis, veſicatoriis præcordiis applicatis tolluntur, & per ipſam naturam diarrhæa bilioſa ſpontanea ſanantur; totidem auxiliis, quæ ſua utilitate pro maxima parte carerent, ſi cerebrum idiopathice, & quidem per inflammationem laboraret.

Evincit hoc diſſectio cadaverum hominum, qui phrenitide exſtincti erant, in quibus nullum vitium in cerebro repertum fuit, ſed manifeſtæ cauſſæ in ventriculo, ut ex BONETO *h*) MORGAGNO *i*) WEPFERO *k*) MALOUIN *l*) & aliis probari poteſt.

Præterea, ſi rite examinemus hiſtorias ægrorum, in quibus cerebrum poſt mortem inflammatum

h) Sepulcr. Anat. Lib. 1. ſect. 7. Obſ. 13, 14, 16.
i) De ſed. & Cauſſ. Morb. Ep. 7. §. 2, 3, 4, 6, 8.
k) Exercit. de Apopl. p. 545.
l) Memoire de l'Acad. Roy. des ſciences A. 1753.

matum repertum eſt, ſæpe ne minimam delirii, ſaltem phrenitici mentionem factam reperiemus, ut patet ex deſcriptione illius morbi, quem „*Sphalecismum Cerebri*" denominavit HIPPOCRATES *m)* quæ videtur fuiſſe vera Cerebri inflammatio, in qua inter ejus morbi ſymptomata nihil de delirio annotatum videmus. — Per totum fere tempus, quo *Clar.* HOME cerebri inflammatione laborabat, mentis compos erat, ita ut ad omnia ſymptomata, quæ accurate adeo deſcripſit, ipſe attendere potuerit; ex quibus ſatis patet, inflammationem Cerebri & Phrenitidem non ſemper ſibi eſſe ſocias: licet minime inficias eamus, quod interdum Cerebri inflammatio Phrenitidem producere queat, ut poſt metaſtaſes inflammationum, puris, inſolationem, injurias violentiores capiti illatas, quod cadaverum ſectiones ſatis comprobant: attamen ex prægreſſis illis capitis vulneribus & contuſionibus non ſemper videtur concludendum, idiopathicas eſſe phrenitides, quæ ſequuntur, cum conſtet, quam facile abdominalia viſcera perturbentur, ſi caput violentia adficiatur; ex hac cauſſa iis, quibus caput vulneratur, oriuntur vomitus bilioſi, cardialgiæ, nec non icteri, hepatis abſceſſus, aliaque mala.

Videntur hoc confirmare obſervationes, quas *Clar.* ANDOUILLÉ *n)* refert, de ægris, qui poſt

m) De Morbis Lib. 2 & 3.
n) Memoire de l'Acad, Royale de Chir, T. 3, p. 510.

poſt contuſiones & fracturas cranii, ſtupore, deliriis, convulſionibus non liberabantur, licet inciſiones, elevationes depreſſi cranii, cæteraque, quæ externa adfectio requirebat, minime negligerentur, usque dum Emetico vel purgante copioſæ bilioſæ ſordes evacuatæ erant. Et hinc non ſemper nec unice videtur utilitas horum medicaminum derivanda ex eo, quod quieſcentem in cerebro ſanguinem ſolvant & mobilem reddant, quod certe aliquando locum habere, nemo facile negabit, ſed obſervationibus conſtat in ægrorum, qui ſub iisdem plane conditionibus ſtupidi, lethargici, deliri, convulſi mortui ſunt, remediis illis deſtituti, capite diſſecto nullum ſtaſeos vel extravaſati ſanguinis apparuiſſe indicium.

Denique idem quod de Phrenitide ex capitis illis vulneribus, contuſionibus diximus, valet etiam de illis, quæ inſolationem ſequuntur: Nemo negabit, ſatis enim cadaverum ſectione comprobatum eſt, ex hac facillime cerebri inflammationem oriri, unde phrenitis, ſopores, tamen ſemper dubium remanet, num forte ſympathicæ originis ſit illa phrenitis, illi ſopores: ipſe HIPPOCRATES *o)* jam annotavit „inſolationem bilem movere, & choleram excitare". Experientia quotidiana docet, diuturnam in ſole vel loco calido moram vomitus ciere, fortaſſe non aliunde, quam quod ex rare-

o) Epidem. Lib. 7. §. 40.

rarefactione ſanguinis prius caput affici incipiat, unde per conſenſum nervorum vomitus excitatur.

Hæc de diri hujus morbi cauſſa & huic ſuperſtruenda curandi methodo ad noſtrum ſcopum ſufficiant: plura egregie de hac re diſſerit *Doct.* RAHNIUS.

§. XI.

Denique quod ad convulſiones: notamus, horum remediorum uſum jam laudaſſe veteres; ſic HIPPOCRATES *p*) notavit repentinas convulſiones interdum alvi fluxu tolli; & CELSUS ſcripſit, comitiali morbo oppreſſis vomitum neceſſarium eſſe; & certe, licet nonnulli nimis præcociter fere omnes Epilepſias & convulſiones Sympathicæ originis eſſe ſtatuant easque Emeticis & Purgantibus adgrediantur ex eo, quod ſigna læſæ digeſtionis adſunt, non ita attendentes, quod per ipſam morbi idiopathici diuturnitatem, convulſionum frequentiam, ſecretiones & excretiones in toto corpore, & præſertim in organis digeſtionis labefactentur & turbentur, tamen ex allatis ſupra exemplis ſatis patet, quam frequens ſit earum ex ſordibus primarum viarum variis origo, & quam egregie hiſce ex cauſſis, convulſivæ illæ adfectiones tollantur, ita ut facile hiſce acquieſcere poſſimus.

§. XII.

p) Coac. Numero 358.

§. XII.

Tranſeamus jam ad probandam utilitatem alterius indicationis in capitis illis morbis, qui ſympathice a ventriculo adfecto oriuntur, quæ jubet ſenſilitatem nimiam & debilitatem ventriculi tollere: ſufficiet, ſi ad unum alterumve adfectum breviter nonnulla annotaverimus.

Dolores capitis ab hac cauſſa etiam ſæpius oriri, exemplis probavimus & experientiâ SYDENHAMI, BRENDELII, WHYTTII ſatis conſtat; Quantum in his nocerent laudata Evacuantia, patet, ſi conſideremus, hæc medicamina ſenſilitatem augere, tonum ventriculi deſtruere, & ſic mali fomitem intendere.

E contrario ſummæ hic utilitatis erunt, quæcunque ſenſilitatem ſopiendo, ſpasmos ſedando, debilitatemque tollendo pollent. Hujus igitur loci erunt, quæ Antiſpasmodica & Anodyna dicuntur, eaque tam interne, quam externe adhibita: ſæpiſſime ſic per aliquot Laudani guttas, vel pauca Caſtorei grana atrociſſimi capitis dolores tolluntur.

Ab unico cerato ventriculo impoſito contumacem cephalalgiam hyſtericam fugatam vidit CARDANUS *q)*.

Sed & inprimis hic conveniunt illa remedia, quæ roborantium nomine inſigniri ſolent; quanta

 ſit

q) Vid. SCHENKII Obſerv. Med. p. 53.

ſit horum virtus, patet ex caſu illo, quem ex TISSOTO *Cap.* 2. §. 1. attulimus.

Inter hæc Remedia in primis recenſendus eſt Cortex Peruvianus, qui in cephalalgiis illis periodicis cum vel ſine febre vario typo recurrentibus tollendis, mirum quantum pollet; egregie de hisce egit *Clar. Caſ.* MEDICUS *r)*; quæ licet aliquando unice a primarum viarum ſordibus oriantur, hisque excuſſis tollantur, tamen frequentius, absque ullis ſordium indiciis deprehenduntur, &, ſi evacuantibus tractentur, exacerbantur, non niſi debito corticis hujus uſui cedentes, facile autem redeuntes ex quacunque cauſſa, quæ digeſtionis organorum tonum minuunt. Conferri hac de re merentur MORTONUS *s)* & *Clar.* DE HAEN *t)*.

§. XIII.

Adverſus oculorum vitia ſummo etiam cum ſucceſſu hanc noſtram indicationem implebimus, hinc tanta cum laude adverſus ophthalmias chronicas celebratus eſt cortex peruvianus, ab ea ſcilicet virtute, qua ventriculi & inteſtinorum tonum auget, viſcidas & glutinoſas cruditates prævertit, obſtructiones reſolvit, ſecretiones & excretiones promovet *u)*. Eun-

r) De Morb. period. T. 1. p. 16 & 17.

s) Oper. Med. T. 2. p. 147.

t) De febrium diviſ. p. 134.

u) FOTHERGILL in Medicinal Obſerv. and inquir. vol. 1. p. 303.

Eundem hunc corticem in iis ophthalmiis, quæ Hypochondriacos & Hyſtericas aliquando vexant, laudavit *Celeb.* HOFFMANNUS *v*).

In Periodicis ophthalmiis tollendis, omnibus Medicamentis palmam præripit: talem ophthalmiam periodicam ſimulque vehementer dolorificam & Epilepticos inſultus proxime minitantem cortice peruviano ſublatam vidit TORTI *w*).

Egregie hæc indicatio etiam conducere poteſt in amauroſi, quæ ex debilitate ventriculi oritur, ſic enim Amauroſis illa, quam §. 2. *Cap.* 2. ex *Ill.* HALLERO retulimus, roborantibus, ſtomachicis, præcipue cortice Peruviano Limaturæ martis juncto, ſanata fuit *x*).

Moleſtas illas epiphoras, quæ febri bilioſæ Lauſanenſi ſuperveniebant, ut pote ex debilitate & ſenſilitate ventriculi nimia oriundas, ſolis ſtomachicis ſanavit *Illuſtr.* TISSOTUS *y*).

Spectat denique & huc hiſtoria, quam *Clar.* GODART deſcripſit, ſcilicet feminæ hyſtericæ, circa tempus paroxysmorum epilepticorum, quibus obnoxia erat, & qui manifeſte conſenſualem originem habebant, omnia objecta monſtroſæ magnitudinis apparebant, quæ ſanabatur Martialibus & Caſtoreo.

v) Oper. T. 2. p. 166.
w) Therap. ſpec. p. 426.
x) Oper. Min. T. 3. p. 379.
y) L. L. p. 82.

§. XIV.

Hanc indicationem in narium adfectionibus ſummâ cum utilitate ſæpe impleri poſſe, docent caſus illi odoratus depravati in Hypochondriacis & Epilepticis, quippe qui ſatis ſpasmodicam ejus naturam declarant, ut egregie monet *Illuſtr.* MORGAGNUS *z*).

Referendæ huc etiam ſternutationes illæ periodicæ, quæ optime his Remediis debellantur, ut luculenter patet ex hiſtoria ancillæ illius, quam ſupra ex BERGIO attulimus: eodem modo tolluntur illæ ſternutationes, quæ febrium intermittentium paroxysmos comitantur, de quibus egit *Clar.* MEDICUS *a*).

Prudentiores autem eſſe oportet in propinandis hiſce remediis, præcipue opiatis, in narium hæmorrhagiis, in his fere ſemper inutilia eſſe opiata, probavit *Doct.* TRALLESIUS *b*), nocebunt enim ſemper augendo ſanguinis orgasmum & retardando alvi excretiones; licet conducant, quando ex ſola hyſterica ſenſilitate ſpasmi oriuntur, vel hi ob materiam irritantem in teneriori-bus vehementiores fiunt.

Hanc etiam indicationem optime implebimus in catarrhis illis ſpuriis, qui in hypochondriacis frequenter occurrunt, qui videntur oriri a ſpasmo

z) De ſedib. & cauſſ. Morb. Ep. 14. §. 28.
a) L. L. §. 66.
b) De Opio S. 2. p. 15. ſeqq.

mo quodam, glandulas narium mucoſas adficiente, contra quos fruſtra adhibentur Ptarmica, quum non niſi Antiſpaſmodicis tolli poſſunt; veluti omnia mala ſpasmodica, hi etiam decurſum periodicum aliquando obſervant, in quibus tollendis cortex peruvianus omnibus antecellit: tales catarrhos quotidie matutino tempore accedentes & usque ad meridiem perdurantes in viro quodam obſervavit, &. cortice purgantibus admixto, ſuſtulit *Clar.* VAN DER MONDE *c*).

§. XV.

Summæ etiam utilitatis cenſenda eſt hæc indicatio, in aliis externis capitis adfectionibus; ſic egregie aliquando hanc impleviſſe ſatisfaciet in nonnullis odontalgiis, quæ, uti ſupra jam patuit, licet frequentius ex ventriculi ſordibus oriantur, tamen etiam aliquando ex hujus organi ſenſilitate nimia & debilitate producuntur; in hac ſpecie ſi evacuantia propinarentur, dolores admodum exacerbarentur, ſed unice hic conveniunt antiſpasmodica & roborantia.

Memorabilis ab *Illuſtr.* TISSOTO *d*) allata hiſtoria egregie hanc rem illuſtrat; erat ſcilicet Matrona, quæ ſingulis noctibus, & ſæpe etiam diebus per ſedecim menſium ſpatium acerbiſſimâ odontalgia adſiciebatur; exacerbabatur maxime

 hic

c) Recueil period. T. 6. p. 197.
d) LL. p. 87.

hic dolor ex uſu venæſectionum, purgantium, balneorum, aquarum mineralium, veſicatoriorum, & omnis generis refrigerantium: propinavit TISSOTUS ter de die infuſa aromatica & tonica ſtomachica, eo cum ſucceſſu, ut mox remiſerint dolores, &, elapſo nondum menſe, plane ceſſaverint: in aliis ſolius vini uſui ceſſiſſe vidit.

Sed & his odontalgiis non raro ſolemne eſt, ut periodos obſervent, quod & idem Auctor *e*) ſæpius obſervavit, & contra quas egregie corticem peruvianum conduxiſſe, vidit.

Illuſtris TORTI *f*) odontalgiam ſtatâ quotidie horâ recurrentem, contra repetitas venæ ſectiones, purgationes & revulſiones rebellem, ſolo cortice ſanavit.

§. XVI.

Nonnulla adhuc ſubjungere debemus de implenda hac indicatione in capitis adfectionibus internis; cum autem ſatis conſtet, quoties hi morbi oriantur ex ventriculo juſto ſenſiliori & debiliori, neceſſe non eſt, ut in ſingulis horum remediorum utilitatem exemplis probemus: ſequentia igitur annotaſſe ſufficiat.

Cum veritati conſentaneum videtur HIPPOCRATIS *g*) effatum, ſopores interdum aliquid

e) Avis au peuple &c. §. 142.
f) LL. p. 438.
g) Coac. num. 186.

quid convulſivi habere, & tunc tolli antiſpaſmodicis, etiam iis, quæ alias ſomnum producunt; quippe eos a ſenſilitate nimia, & debilitate ventriculi, ut & aliorum viſcerum abdominalium oriri poſſe, ſatis probant Apoplexiæ illæ, quæ Hypochondriacis & Hyſtericis non infrequentes ſunt, quæ aliquando videntur derivandæ a conſtrictionibus ſpaſmodicis vaſorum cerebri, quibus augeretur ſanguinis ad caput determinatio, & extravaſatio excitaretur; ſed cum cadaverum diſſectiones oſtendunt, ſæpe in iis nullum cerebri vitium adfuiſſe, videntur hæ etiam conſenſualis originis eſſe poſſe, nec tollendæ, niſi antihyſtericis & roborantibus *h*).

Hic & ad opiata refugere licet *i*): ſic RIVERIUS *k*) in virgine, quæ quotidie fere paroxysmis hyſtericis vexabatur, ſopore ſemper ſtipatis, ſoporem una cum cæteris ſymptomatibus, laudano ante paroxysmum propinato, ſuſtulit. Et *Illuſtr.* TISSOTUS *l*) ſe ſummo cum ſucceſſu opium adhibuiſſe refert, quotiescunque in debilibus ſpaſmodicus ſomnus variolarum eruptionem præcedebat, eamque impediebat.

§. XVII.

h) TISSOT in Ep. de apopl. &c. p. 169 & 170.
i) Conf. WINTERSON diſſert. de Opii vi refrigerante Groningæ Anno 1775. edita.
k) Obſerv. cent. 2. obſ. 26.
l) Ep. laud. p. 115.

§. XVII.

Quid utilitatis etiam hæc habeat indicatio in tollendis deliriis, quippe quæ ſæpius ex debilitato & ſenſili nimis ventriculo originem ſuam trahant, ſatis probant obſervationes ſupra allatæ; confirmant hoc illæ deliriorum ſpecies, quæ exhauſtos febribus intermittentibus, per Evacuantia nimis propinata tractatis, adfligere ſolent.

Denique & idem tenendum eſt de convulſionibus ex hoc fonte oriundis, quales ſæpe in Hyſtericis obſervare licet; quo & referendæ ſunt periodicæ illæ convulſiones, quæ febres intermittentes præcedunt, vel concomitantur, & ſoli cortici Peruviano cedunt.

CAPUT QUARTUM.

De Cauſſis Sympathiæ Ventriculum inter & Caput.

§. I.

Si ſæpius in Arte Medica confitendum ſit, effecta nobis quidem cognita eſſe, ſed circa cauſſas earumque cum effectis nexum in tenebris nos verſari, id certe ratione Sympathiæ inficias ire minime poſſumus; mirum hinc non eſt, quod in varias opiniones abierint Auctores, ut cauſſam & modum

modum Sympathiæ explicarent; mirum hinc quoque minime, quod mihi imbecillitatis ſatis conſcio, ſæpe animus defecerit, quid hac de re in medium proferrem; ſufficiet, ſpero, ſi breviter aliorum opinionibus refutatis, quid de cauſſis Sympathiæ opiner, annotavero.

§. II.

Celebres in Re Medica Auctores Sympathiam diverſarum partium inter ſe, derivarunt ex communicatione telæ celluloſæ per totum corpus: & certe, ſi conſideremus univerſitatem hujus membranæ, quæ per totum corpus diſperſa eſt, exceptis forſan nonnullis partibus, videtur aliquid huic opinioni probabile ineſſe. Quippe quæ omnibus ſolidis culcitam ſternit, omnes inveſtit & inter ſe conjungit; ipſas fibras & faſciculos muſculorum, tendinum, ligamentorum, nec minus vaſa ac nervos majores æque ac minutiſſimos eorum ramulos tegit & nectit. Omnes variarum partium membranas tegit, & inter has decurrit; ipſas adipis moleculas jungit, & cutis ſubſtantiæ ſeſe conjungit.

Aſt vero ipſa hæc tela celluloſa, in ſtatu naturali, parva aut nulla ſenſilitate gaudet; ideoque omnibus Sympatheticis adfectionibus obnoxia eſſe omnino nequit.

Quod ad illud argumentum ſpectat, quod ejus cellulæ ubivis libere inter ſe communicant, atque

que idcirco aër, aqua, materies purulenta, aliive humores, earum ope, frequenter ab una corporis parte ad aliam deferuntur; cum *Doct.* WHYTT reſpondemus, hoc nihil aliud eſſe, quam quod in ſpóngiis, fruſtulis ſacchari, aliisque corporibus poroſis locum habet, & igitur ad Sympathiam referri nequit.

§. III.

Alii iterum putant, quod Sympathia derivanda ſit ex ſtructura vaſculorum ſanguiferorum: ſcilicet ad hanc ſententiam vindicandam adferunt, quod ſimpliciſſimæ telæ Celluloſæ partes eodem modo, ac cæteræ noſtri corporis partes ſint vaſculoſæ, ne compactiſſimâ oſſis ſubſtantiâ excepta; addunt vaſculoſum etiam eſſe callum, qui diffractum os conglutinat: — concretiones morboſas pulmonum cum partibus adjacentibus in omni ambitu vaſculoſas eſſe; quin imo & cicatricem in cute & quidem in intima ejus ſubſtantia ex vaſculis conflari.

Verum enim vero, licet non negemus, perfectam inter ſanguinem & partes ſolidas vivas obtinere harmoniam, ubi in ſtatu ſano ſunt; omnesque morbos, qui in ſolida agunt, æque agere in fluida & vice verſâ; leviſſimas injurias hanc harmoniam brevi deſtruere; atque id circo, ſi ſanguis non mutaretur, una cum partibus ſolidis, illum materiæ heterogeneæ adinſtar, hiſce pro ſtimulo fore; hinc quidem ſequitur,

quitur, ſanguinem eſſe materiam vivam, non vero quod ſenſationem communicet. Ergo non plura Sympathiæ documenta exhibet ſyſtema vaſorum ſanguiferorum, quam tela celluloſa, eo tantum excepto, quod nervis, qui illa perreptant, debetur, qui æque minutiſſima vaſcula ac majora vaſa concomitari videntur.

§. IV.

Alii Sympathiam explicare conati fuerunt ex ſimili partium ſtructurâ & æquali munere, cui deſtinatæ ſunt.

Ex hac opinione ſequeretur, quod ſi cerebrum, aut nervus quidam læderetur, omnes omnino nervi in conſenſum traherentur.

Si ex duobus muſculis uno eodemque munere fungendo deſtinatis, unus laceſſeretur, vel alio modo afficeretur, alter quoque ſimili modo pati deberet.

Quum vero hæc omni experientiæ contrariantur, nos non amplius morari debent.

§. V.

Denique huc in cenſum venire debet *Clariſſ.* WHYTTII Opinio, quippe qui omnem omnino conſenſum a nervis dependere ſtatuit; quam opinionem egregie refellit *Doct.* J. P. MICHELL *m*), hinc non eſt ut de hac aliquid addamus.

Quas

m) In egregia diſſert. de ſympathia, quæ caput inter & partes generationi dicatas intercedit *L. B.* 1782.

Quas igitur partes, hac in re, quæ ſatis adhucdum obſcura eſt, ſequamur, paucis ſubjungemus.

Quemadmodum vario modo de cauſſis Sympathiæ cogitarunt Auctores, ſic quoque varia a variis datur ejus definitio: nos Sympathiam vocamus „talem partis adfectionem, quam ab adfe„cta alia parte compatitur, ſic, ut ejus adfectio„nis cauſſa primaria non ſit in parte patiente, & „pars primario adfecta ſæpe videatur ſana, dum „ſola pars compatiens adficitur" ſic medulla ſpinalis a congeſtione vix quidquam patitur, dum tamen artus, partes conſentientes paralytici fiunt: — ab excitato in quadam parte ſpaſmo in alia longe diſſita excitatur ſpasmus; minus itaque recte dicitur conſenſus, quia non ſolum per ſenſum, ſed & per motum exſeritur.

Rectius igitur de ſympathiæ fontibus judicare poterimus, ſi adſumamus diviſionem in ſympathiam motoriam, ſenſitivam, & mixtam.

Motoria ſympathia erit, „qua pars viva irritata aliam partem „ſibi ſympathiæ legibus junctam „exagitat & in motum rapit".

Dum Senſitiva dicitur, „cum pars ſentiens ſti„mulo adfecta illius ſtimuli perceptionem cum „alia parte communicat, & ſic eandem grata vel „ingrata ſenſatione adficit.

Cum

„Cum vero pars viva & ſenſilis ſtimulo irrita-„ta hujus ſtimuli & motum & ſenſum cum alia „communicat, Mixta dicitur“.

§. VI.

Prima ſpecies, quam Motoriam diximus, dependere videtur ab illa vitæ facultate, quam irritabilitatem vocant; „ab illa nempe ſolidorum „vivorum facultate, qua, perceptione ſtimuli ali-„cujus, non accedente alia vi externâ, produci-„tur in iis motus, qui contractione, vibratione, „tremore, oſcillatione, palpitatione, corrugatio-„ne, criſpatione, tenſione, aliove modo ſenſi-„bus obſervantis ſe prodit“.

Hæc facultas omnibus ſolidis vivis ineſt, licet, dum in quietis ſtatu verſentur, non ſit conſpicua, nec ſemper eodem gradu in omnibus omni tempore obſervari queat, quippe quæ aliis ſolidis majori, aliis minori, etiam vix obſervabili gradu ineſt.

Differt etiam hæc facultas pro varia diſpoſitione, ætate, ſexu, temperamento, idioſyncraſia, & aliis cauſſis prædiſponentibus.

Differt pro vario applicato ſtimulo, qui cuique parti proprius eſt, ſic bilis inteſtina, lac mammas, ſanguis cor irritat; quam facultatem hi ſtimuli aliis ſolidis adplicati non exſererent; ſic ſapore iners ipecacuanha ventriculum moleſtiſſime

adficit; denique hæc irritabilitas in ſolidâ quadam fibrâ excitata facile ad aliam propagatur, quam in contractionem ciet, licet ipſa modo irritetur; ab hac irritabilitatis proprietate derivanda videtur ſympathia motoria, qua motus partis irritatæ ad aliam etiam diſſitam propagatur.

Jam, ſi conſideremus, ventriculum eſſe organon maxime irritabile, hanc irritabilitatem eſſe majorem in nonnullis, pro ætate, ſexu, temperamento, ſtatu morboſo, hæreditaria diſpoſitione varia, & aliis cauſſis accidentalibus; hujus irritabilitatis effecta eſſe majora prout ſtimulus major ſit, & diuturnior ſit ejus actio; denique ventriculo, ut omni fibræ ſolidæ eam eſſe proprietatem, ut ipſe irritatus aliam partem, etiam longe diſſitam, in contractionem cieat, facile mihi videtur poſſe intelligi, cur ex ventriculo irritato caput adficiatur; & fallor, ni ſimul pateat, hanc ſpeciem proprie conſenſum dici non poſſe, quia absque ſenſationis facultate peragitur.

§. VII.

Altera ſpecies, quæ Senſitiva vocatur, majori jure conſenſus dicitur, & dependet a Nervis, ſine quibus nulla ſenſatio eſt.

Senſatio eſt altera vitæ facultas, quæ mihi dicitur, „illa ſolidorum conditio, quæ facit, ut ſti„mulo addito, perceptio ad ſenſorium commu„ne deferatur“.

Ad

Ad ſenſationem illam in ſolidis producendam requiritur ſenſilitas, quæ eſt „ ea ſolidorum vi„vorum facultas, qua ad percipiendum conta„ctum ſtimuli intus vel foris applicati, apta ſunt“.

Ut ſenſatio hæc, quæ unice competere videtur partibus nervis inſtructis, bene procedat, requiritur, ut per nervos integros & libere cum ſenſorio communi communicantes cohæreant ſolida; abſciſſis enim nervis ad unam alteramve partem tendentibus, ſenſatio in illa parte perit; ſi modice comprimantur, minuitur, ſi fortiter vero comprimantur, ſenſatio tota deperditur; donec, preſſura remota, iterum redeat ſenſatio.

Differt hæc ſenſatio pro varia parte, ex quacunque cauſſa ſenſiliori vel minus ſenſili, differt etiam pro vario adplicato ſtimulo.

Habet & hoc, ut in parte quadam ſolida excitata ſenſatio ad remotas ſæpe propagetur; ex hac proprietate explicari poteſt conſenſus inter varias noſtri corporis partes, qui in ſtatu ſano & morboſo obtinet.

Ex hac ſyſtematis nervoſi proprietate etiam varia phænomena conſenſus inter ventriculum & caput explicari poſſunt; ventriculus enim gaudet multis nervis, quos ab octavo pari, & nervo intercoſtali magno accipit, qui nudiori velati ſunt tegmine, adeoque diſpoſiti, ut ſtimulus magis directe in illos agat, & ſenſationes excitet pro vario ſtimulo diverſas.

Ventriculi hæc ſenſilitas æque ac irritabilitas ex variis cauſſis minui vel augeri poteſt, pro diſpoſitione, temperamento, ætate varia, quibus ſenſatio major aut minor excitatur; quæ quoque differt pro adplicati ſtimuli actione majori, & diuturniori.

§. VIII.

Tertia denique ſpecies Mixta dicitur, ubi pars viva & ſentiens ſtimulo irritata hujus ſtimuli motum & ſenſum cum alia communicat.

Frequentiſſima hæc eſt, quæ ex utriusque memoratæ ſpeciei connubio oritur; adeo enim arctis vinculis inter ſe juncta ſunt ſyſtema ſenſitivum & motorium, ut uno adfecto, alterum facillime quoque adficiatur.

Sic explicari poſſunt capitis adfectiones doloroſæ, ſpasmodicæ, ut convulſiones Epilepticæ & alia mala, quæ a ventriculo oriundæ caput adficiunt; ventriculus enim eſt organon maxime irritabile, ſimul tamen vi ſenſationis magna donatus.

Hæc breviter de ſympathia dicta ſufficiant, ſolummodo, ut cauſſam annotaremus, non ut modum, quo exſeritur, explicaremus, in medium prolata.

Fateor L. B. hæc ulteriori disquiſitione digna ſunt, ſed, præterquam quod acutioris ingenii auctorem requirerent, ob temporis anguſtiam vela contrahere, & hic ſubſiſtere cogor.

TANTUM.

IV.

IACOBI ANEMAET,

Septimontio - Batavi,

Diſſertatio medica inauguralis,

De Mirabili, quæ mammas inter & uterum intercedit, Sympathia.

Lugduni Batavorum,

d. XII. Novembris. 1784.

INTRODVCTIO.

Quoniam quam plurima ex conſenſu partium explicantur phœnomena, non tantum ratione ſanitatis, verum etiam & morborum; non abs re duxi tentamen quoddam medicum ſcribere de *Mirabili, quæ mammas inter & uterum intercedit Sympathia*, quod, ut rite pertractetur, ſequentem mihi normam propoſui; diviſurus nempe hanc materiem in duas Sectiones; quarum prima continebit tria Capita.

Primum Caput Mammarum fabricam, earumque functionem explicabit.

Secundum Caput de fabrica Uteri ejusque functione aget.

In Tertio Capite Mirabilem inter Mammas & Uterum Sympathiam, & ex ea redundantes functiones explanabo.

Sectionem ſecundam iterum diſpeſcam in tria Capita, quorum

Primum Mammarum morbos conſenſuales exponet.

Secundum Caput morbos Uteri conſenſuales pertractabit.

In Tertio denique Capite Regulas quasdam Prophylacticas, ut morbi hi avertantur, tradere conabor.

SECTIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Mammarum fabrica, earumque functione.

§. I.

Accingo me ad illam C. H. partem; qua ſexus amabilis, præter multa alia, a potiori ſexu immaniter diſcrepat, ad mammas puta; quæ fœminis, ut formæ elegantia, ac molliori corporis

ris habitu, viris palmam longe præripientibus, non tantum ad ornatum, ſed maximos etiam ad uſus a SUMMO NUMINE datæ ſunt, ut nempe ſuæ Proli, olim naſcituræ, ubera præbeant, ac lacte ſuo eum in finem ſecreto nutriant; quod Divinum Inſtitutum apud Magnates ac Principes nimis ſane & ſæpius hodie negligitur; quæ ex prava conſuetudine indecorum ducunt, Infantes ſuos, quos per novem menſes utero incluſos fovebant, jam in lucem editos amplius ſuo lacte alere; ſed potius ad nutricem quandam, ſæpe ipſis incognitam, laſcivam non raro, ac pravo vitæ generi addictam, confugiunt, & illis quaſi matribus ſuam Prolem commendant, vel pultibus adimpleri jubent. Sed miſſis ambagibus, ut ſcopum meum attingam, de ipſa Mammarum definitione agam.

§. II.

Mammæ ſunt duo corpora hæmiſphærica, ſexui ſequiori propria, in anteriori, media, eaque elatiori thoracis parte, proxime ſupra muſculum pectoralem majorem, ſita; in virginibus cum quadam firmitate turgentia, in gravidis ac lactantibus mobiliora. Adeſt harum in quovis latere thoracis una; ſuperiori peripheria plerumque ab inferiori margine coſtæ veræ ſecundæ incipiens, ad quintam vel ſextam circiter coſtam extenditur; ambitus lateralis internus ad marginem cor-

poris ſterni lateralem; ambitus externus ad exteriora latera thoracis terminatur.

§. III.

Subſtantia mammarum duplex eſt; Glanduloſa ſcilicet, & Adipoſa. Pars illa glanduloſa ex multis vaſis ſanguineis, nervis, & vaſis lymphaticis formatur, emittitque ductus ſuos excretorios; *Lactiferos*, vel *Galactophoros*, dictos. Fabrica hæc glanduloſa continetur & quaſi involvitur ſubſtantia mammarum adipoſa; quæ ab Anatomicis in duo dividitur ſtrata; ſtratum nempe anterius, & poſterius. Stratum illud anterius fabricæ glanduloſæ incumbens, cuti ſubjacet, & mammam ubique continet, in fabricæ glanduloſæ interſtitia ſe inſinuat, ac ductus excretorios concomitatur. Pubertatis tempore inſignem in modum plerumque increſcit, quo mammæ ſororiari incipiunt, & aptæ reddi ad peragendam functionem, fœminis viro maturis propriam; in vetulis vero, conſumpta hac materie adipoſa, mammæ mole minuuntur, concidunt, & ingrato ſane ſpectaculo pendulæ flacceſcunt; magna præterea hujus pinguedinis eſt utilitas, ut glanduloſa mammarum ſubſtantia, quæ quotidie compreſſioni, ictibus, ac contuſioni eſt expoſita, ab iis incommodis, quantum fieri poſſit, præcaveatur, & conſervetur; quod etiam aſſentit Immortalis MORGAGNI, a) ubi dicit: „*Equidem plures pinguedinis*

a) In Adverſariis ſuis Anatomicis, Adverſ. 5. animadverſ. 5. pag. 147.

nis mammarum utilitates eſſe, cenſeo, & ex iis non poſtremam, ut glandulosa mammarum ſubſtantia, quam ex leviſſimis interdum ictibus, & compreſſionibus vitiari, conſtat, ac indureſcere, mollius, tutiusque in ea jaceat, atque ubi opus eſt, & creſcere, & lacte diſtendi facilius queat". Has etiam ob cauſſas a poſteriori parte talis conſpicitur ſubſtantia adipoſa, muſculo pectorali majori incumbens, non tamen ita denſa, quam pinguedo anterior; videtur enim tantummodo eſſe tela celluloſa tenax ſatis & mobilis, pauca pinguedinis copia gaudens, niſi in puſillis & valde obeſis fœminis, quæ quovis fere in loco telam celluloſam adipe ſatis abundantem habent.

§. IV.

Tegitur hæc duplex ſubſtantia univerſa corporis cute, una cum tela ejus celluloſa, pulvinaris adinſtar his integumentis ubique ſubjacens; quæ parvis folliculis, ſive glandulis ſebaceis eſt inſtructa. Hæc autem cutis non ſolum ad mammas tegendas ac conſervandas, ſed etiam ad formandam areolam, ac papillam ſymbolum ſuum adfert.

§. V.

Areola, ſive Area, eſt circulus ille in junioribus rubicundus; in adultis vero fuſcus, ſubflaveſcens; in anteriori, & media parte mammarum ſitus. Formatur hæc areola a productione cutis, hoc in loco vaſis ſanguineis abundantis; unde

formoſus forte & rubicundus ille color in delicatulis, & tenellis virginibus derivandus; qui crescente ſimul cum viribus & robore, ætate, mutetur in fuscum vel ſubflaveſcentem; ubi ſimul cutis etiam condenſatur, ac rugas contrahit. Hac autem ſub cute, ſive in tela celluloſa, magna illarum glandularum ſimplicium, de quibus §. præcedenti per tranſennam dixi, grannuloſarum datur copia; ibique cryptæ exiguæ delitescunt, oſtiolis ſuis extrorſum patulæ, quæ una cum glandulis humorem ſebaceum, lentum, ac pinguem excernunt, qui diuturna ac fortiori infantum ſuctione, papillam & areolam irritante, dolores inde ortos ſæpiſſime enormes mitigat; easque partes ab excoriatione, ob frequentem humectationem, quando lac inter ſugendum defluit, oriunda, defendit.

§. VI.

In medio hujus circuli, ſive mammarum areola conſpicitur papilla, quæ dividitur ab Anatomicis in baſin & apicem. Baſin appellant illam partem, quæ mammam reſpicit, & areola circumſcribitur. Apex vero anterius, & ſuperius ſeſe offert, quæ ductus galactophoros continet. Formatur hæc papilla a cute, quæ ab areola proveniens, ſi magis magisque corrugans ac crispans, in hoc corpus cylindraceum abit. Intus nihil aliud, niſi tela celluloſa adeſt, per quam ductus excretorii exteriora verſus decurrunt. Continet

hæc

hæc papilla multa etiam vaſa ſanguinea, a vaſis mammariis ortum ducentia, & ingentem numerum nervorum, unde ſenſilitas earum exquiſitiſſima deducenda eſt. Gaudet præterea glandulis ejusdem generis, quibus areolam gaudere dixi, ac eidem operi deſtinatis. Volumen ejus pro varia ætate, temperamento, diverſo ſtatu, ac vitæ genere differre videmus; in gravidis enim & nutricibus altitudo, ſive longitudo notabilior eſt quam latitudo; ut teneri infantes labiis ſuis & ore valde arcto eam eo melius in lactatione circumprehendere poſſunt. De fabrica autem hujus corpuſculi non omnes idem ſentire videntur; dantur enim nonnulli, qui ſtatuunt ſubſtantiam hanc eſſe cavernoſam, & earum erectionem eodem modo peragi, ac in pene virili locum habet; ſed nullo alio, niſi condenſata & plicata cute, tum & tela celluloſa formatur; & hanc papillarum erectionem, quam quotidie obſervamus, quum mammas mulierum, ſive virginum manu contrectemus, vel infantes ſugendi gratia ipſis admoveantur, nullam aliam ob cauſſam oriri puto, quam ob mechanicam nervorum irritationem, qua forte major humorum in ipſarum vaſa oritur impetus, quo intumeſcant papillæ ac prolongentur.

§. VII.

Habet mamma ſuas arterias ab illis, quæ in genere vocantur mammariæ, & dividuntur in

internas

internas & externas. Interna ex arteria ſubclavia in thorace oritur, quæ, poſtquam multos ramos vicinis partibus dedit, recta fere via inter pleuram & coſtarum cartilagines deſcendit; in primo coſtarum intervallo emittit ramum, qui muſculum pectoralem perforat, & ad mammam tendit, ubi ſe per totam ſubſtantiam diſtribuit; ſimilis in ſecundo, ſimilis in tertio, & cæteris coſtarum intervallis emittitur arteria, quæ omnes eodem modo decurrunt, & ſe diſtribuunt. Externæ originem ſuam arteriæ Axillari debent, cujus rami cum arteriæ ſubclaviæ ramis inoſculati ad mammas migrant *b*). Per has arterias, ſanguis ad mammas fertur, hoc nutriuntur mammæ, & lac exinde in gravidis, & lactantibus magna ſæpe copia glandularum ope ſecernitur. His jam arteriis reſpondent etiam venæ ſanguineæ, quæ ex fabrica glanduloſa reduces, ſub areola circulum quaſi formant, & rete venoſum ſubcutaneum efficiunt, unde illum rubicundum & amœne roſeum in virginibus ſub area colorem §. V. deduxi. In hoc rete collectus ſanguis a nutritione redux traditur venis mammariis internis, & externis; quarum mammaria dextra interna in truncum venæ cavæ, ſiniſtra contra in ſubclaviam ſe evacuat *c*). Externa vero in venam axillarem decurrit. *d*). §. VIII.

b) Vid. HALLERI Icones Anatom. Faſcic. 6.
c) Vid. Doct. KOLPIN de Structura Mammarum pag. 16. §. 30.
d) Vid. WINSLOW Expoſ. Anatom. Structur. Corpor.

§. VIII.

Nervi mammarum rami ſunt nervorum dorſalium, ſive coſtalium. Nervi hi coſtales juxta marginem inferiorem cujusvis coſtæ decurrunt, in medio circiter harum coſtarum corpore ſinguli ramum ad exteriorem thoracis partem mittunt, qui muſculos intercoſtales perforat. Truncus vero juxta longitudinem coſtarum excurrit, & in anteriori & laterali parte oſſis ſterni anteriora verſus tendunt. His duobus in locis egreſſi muſculis thoracis, mammis, & cuti proſpiciunt, & horum quidem ramorum quatuor imprimis rami, qui in anteriori, & laterali parte ſterni extus oriebantur, cum ſex ramis poſterioribus, ſive ad medium coſtarum corpus muſculos intercoſtales perforantibus, omnem mammarum ſuperficiem, earumque fabricam & ſubſtantiam perreptant. Ab his jam maxima illa mammarum, earumque papillæ ſenſilitas dependet. Num vero nervi ad lactis naturam vel indolem aliquid contribuant, in medio relinquam, quoniam de Liquidi Nervei exiſtentia inter Phyſiologos hodie nondum convenit.

§. IX.

Scatet præterea mammarum fabrica vaſis ſuis Lymphaticis; de quorum exortu, & inſertione multum adhuc diſputatur. Veroſimile tamen videntur

Corpor. Human. e Gallico Latine verſa Tom. 3. Tractat. de Venis §. 120.

videntur mihi hæc vaſa Lymphatica æque ex ipſis ductibus mammarum excretoriis, quam ex intima glandularum celluloſa oriri; deinde colligi in poſteriori mammarum ſuperficie in plurimos ſurculos majores; qui glandulas conglobatas adeunt, ex his exeuntia procedere ad plexus Lymphaticos axillares, cum quibus conjunguntur ad interſtitium muſculoſum pectoralis minoris, ſerrati antici majoris, ſubſcapularis & latiſſimi dorſi; ſic conjuncti hi ductuli Lymphatici cum plexibus axillaribus diſperguntur in glandulas conglobatas, & ex illis iterum ſurculi Lymphatici exeunt, usque tandem omnes hi rami conjuncti axillares in duos majores trunculos, MECKELIANOS dictos, colliguntur. Unus interdum tantummodo in quovis latere horum trunculorum adeſt; ſi in ſiniſtro latere duo adſunt, inſeruntur in venam ſubclaviam ſiniſtram, oblique ab inferioribus ſuperiora verſus tendentes; in latere vero dextro inſeruntur in angulum venæ ſubclaviæ, & jugularis magnæ, interdum tamen inſeruntur in ſubclaviam, circa primam coſtam, vel & quandoque lateraliter conjunguntur, inter plexum hunc axillarem, & truncum lymphaticum jugularem *e*). Vaſa

e) Qui plura cupit, adeat Celeb. ALEXANDRUM MONRO *Alexandri* Filium, in Diſſert. de venis Lymphaticis valvuloſis, & de earum inprimis origine. Berol. 1757. edita, anno 1760. una vero cum MECKELIANA Diſſert. Lipſiæ recuſa. Tum & Illuſtrem MECKELIUM

Vaſa hæc non minimos habere uſus, ſatis ſuperque conſtat; inſerviunt enim ut lac vel ſuperfluum, vel nimis limpidum, vel, ut in ablactatione locum habet, reſiduum abſorbeant, & ſic mammas ab obſtructione lactea muniant.

§. X.

Ex fabrica porro mammarum glanduloſa ductus illi oriuntur membranacei, excretorii, *Galactofori* dicti, in origine anguſti, in medio latiores, qui papillam petendo denuo anguſtantur. Inſerviunt hi ductus ut lac in mammis ſecretum, data occaſione, in os infantis effundant. Sunt, qui de numero horum ductuum excretoriorum diſputent; Ill. HALLERUS *f*) *Nunquam pauciores quindenis* vidiſſe teſtatur; & alio in loco *g*) *Viginti tubulos* adeſſe affirmat; deinde iterum ſuam repetit ſententiam *h*): „*Per eam*, inquit, *papillam ducuntur viginti & ultra excretorii ductus lactiferi mammæ* ". Dantur alii, qui numerum quindenarium certum & conſtantem ponunt

UM in Diſſert. Epiſtol. quam 1757. ad Illuſtrem Hallerum dedit de venis Lymphaticis glandulisque conglobatis. Confer. KOLPIN l. c. pag. 24. §. 51.

f) Comment. ad Prælect. BOERHAV. part. 2. Tom. 5. pag. 424.

g) L. c. pag. 422. ubi recenſio videri poteſt Auctorum, qui diverſum numerum ſtatuunt.

h) Prim. Lin. Phyſiol. §. 850.

nunt *i*). Sed minoris momenti hæc quæſtio mihi videtur, quapropter eam potius mittam, quia, meo ſaltem judicio, certus numerus vix determinari poteſt.

§. XI.

Supereſt nunc ut de mammarum functione breviter dicam. Nullam partem utilitate carentem in C. H. exiſtere, nullus eſt, qui dubitare poſſit. Mammæ lactis ſecretioni deſtinatæ ſunt; quæ functio in gravidis poſt conceptionem tantummodo incipit, ſecernunt itaque mammæ lac, qui liquor *Chylo l)* fere ſimilis, mammarum fabrica elaboratur, parum modo mutatur, ac ſecernitur. Chylus cum ſanguine circulans ad omnem corporis peripheriam, & ſic etiam ad mammas defertur. Quamdiu vaſa mammaria diametro ſunt arctiora, quam ut chylum admittere poſſint, non niſi humor ſeroſus in mammis deponitur, & per vaſa Lymphatica abſorbetur. Chylus autem in ſanguine abundans, hoc in loco per arterias ſtatim deducitur ad venas cum ipſis communicantes. In graviditate vero, ſed & maxime puerperio, per magnum ſanguinis, vaſis uteri ſeſe contrahentibus, impulſum, vaſa mammaria extenduntur, & apta fiunt ad recipiendum illum humorem chyloſum, nondum tamen meracum, ſed tenuem; hinc primum puerperarum lac tenue eſt, ſecundo vel tertio poſt partum die paululum

i) Vid. KÖLPIN l. c. pag. 28. §. 57.
l) Vid. MACQUER. Elem. de Chym. Pratiq. Tom. 2. pag. 429.

lulum inſpiſſatur, & vulgari nomine apud Veteres *Coloſtrum* appellabatur. Magis dilatatis vaſis mammariis chylus majori quantitate ad ductus ducitur galactophoros, quam ut per venas ac vaſa Lymphatica, quæ antea modo tenuiorem humorem abſorbere ſolebant, revehi poſſit. Augetur ergo lactis in mammis copia, ductus lactiferos implet, eos diſtendit adeo ſæpe ut ſponte ſua per eorum oſcula proſiliat. Ex differentia vero inter lac & chylum, mutationem quandam chylo per mammarum fabricam accedere abunde liquet. Sed quæritur, quænam ſit cauſa, cur exhauſto lacte, continuo novum accedat? ſuctione nempe evacuantur tubuli excretorii, reſiſtentia inde in fines arteriarum minuitur, ſanguis chylo mixtus cedit, ubi minor datur reſiſtentia, ergo ipſa etiam ſuctione ſecretio lactis in ſana muliere augetur.

§. XII.

In præcedenti §. de ſuctione locutus; non incongruum puto, ſi de hac pauca quædam his adjiciam. Ut infans papillam labiis ſuis circumprehendere, & ſatis facile ſugere poſſit, requiritur, ut ea ſit erecta, & paululum prolongata; quam erectionem vel ſola lactis diſtenſio, vel levis titillatio producit. Infans papillam labiis continens inſtinctu Naturæ inſpirat, linguam retrahit, & ſpatium vacuum in ore

format; unde reſiſtentia in papillam & ductus lactiferos diſtenſos minuitur, hinc ad ſingulas infantis ſuctiones, partim vi elaſtica ductuum excretoriorum, partim vero & quidem magis vi aëris externi, ſublato æquilibrio, fortius in reliquam mammarum ſuperficiem agentis, ac lac in os infantis minus reſiſtens prementis. Conſideratur autem hac in ſuctione *Infantum os ut antlia, & lingua tanquam embolus m)*. In ſucculentis, præterea & lacte abundantibus, levi tantum opera lac infans excipit, quum parva ſane preſſione, vel & ſponte in talibus nutricibus ad magnam ſæpe diſtantiam proſiliat.

CAPUT SECUNDUM.

De uteri fabrica, ejusque functione.

§. I.

Uterus apud latinos *Matrix* dictus, quia quamdiu fœtum continet, matris vices in alendo, & conſervando gerit, vel quia inter præcipua pertinet, quibus fœmina a viro differt. Vocatur etiam ὑστέρα a græco verbo ὕστερος, quod poſterior, vel inferior denotat; quia uterus in corpore muliebri humano inferiora, in brutis vero poſte-

m) Vid. MARHERR in Prælect. Tom. 3. §. 688. pag. 683.

poſteriora ſpectat. Appellatur quoque a nonnullis Vulva, Loci Muliebres, Genitura, Poſtrema, Ovum &c.

§. II.

Uterus in fœmina tantum unicus, licet aliquando præter communem Naturæ ordinem duplex vel bipartitus fuerit inventus *n)*, eſt organica, & generationi dicata mulierum pars mollis, pulpoſa, & fibris muſcularibus inſtructa, in Hypogaſtrio, ſive infima parte abdominis, quæ & Pelvis vocatur, inter veſicam urinariam & inteſtinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria, ſita, ſemen ac ovum in fœcundo coitu accipiendo, fovendo, nutriendo, & poſt novem menſes excludendo deſtinata. Figura ejus pro vario fœminarum ſtatu differt; in virginibus enim figuram habet triangularem, pyri compreſſi ſimilem, in gravidis autem rotundiorem quodammodo & ovalem.

§. III.

Duabus gaudet membranis, externa ſcilicet & interna; externa validiſſima eſt, a peritonæo oritur, humore aqueo ſemper madida invenitur, ne cum vicinis partibus concreſcat; fit in gravidis interdum craſſior, ac robuſtior, ut uteri forte ſubſtantia eo magis firmaretur, ac immodicæ dilatationi reſiſtere poſſet, ne alicubi inordinate ex-

 tube-

n) Vid. Comm. Litter. Norib. 1733. Hebdom. 25. & VALISNERI Oper. Tom. I. pag. 357.

tuberaret, vel disrumperetur. Interna membrana epidermidi continua, fibroſa, cum utero firmiter cohæret; multis poris inſtructa, in majori uteri cavitate glabra, circa collum vero rugoſa, ac multis foraminulis pervia exiſtit; rugæ hæ ad latera ſurſumque divaricatæ, ac recurvatæ extenuantur, ac Palmæ arboris ſimilitudinem referunt, quapropter hæ ſimul ſumptæ *Arbor Vitæ* audiunt *o*). Duæ plerumque tales dantur columnæ rugoſæ, altera in anteriori, altera in poſteriori cervicis plano, in utero virgineo diſtinctæ & nitidæ, in gravido non ita conſpicuæ.

§. IV.

Craſſam ac fungoſam habet ſubſtantiam, ex fibris muſcularibus conſtantem, per quam ingens vaſorum numerus decurrit, quæ dilatari, æque ac contrahi poſſunt. In gravidis volumen ejus non tantum ingentem in modum extenditur, verum etiam ſubſtantia valde incraſſeſſere ſolet, ob magnam forſan cellularum ac vaſorum uterinorum in gravidis extenſionem. Contrarium tamen ſe vidiſſe teſtatur Doct. & Expert. NOORTWYK *p*): *Sic uterus*, inquit, *interne conſtitutus erat; diſſecti ejusdam margines illam fere monſtrabant craſſitiem, quam non impragnatus habere ſolet, ita ut, ſi non craſſior,*

o) Vid. Cl. ALBINUM in Annot. Acad, Lib. 5. Tab. I. Litt. f.

p) Hiſtoria Uteri Humani Gravidi p. 12. §. 10.

craſſior, minime ſaltem tenuior evaſiſſet. Idque non jam modo adparuit, verum etiam dum ovo adhuc plenus & æquabiliter extenſus erat; nunc exempto ovo, collapſa, non contracta fuerant uteri latera.

§. V.

Magnitudo uteri non æque conſtans eſt, variat enim pro diverſo objecto, vitæ genere, fœminarum ſtatu, ac aliis quamplurimis circumſtantiis; in genere tamen extra graviditatem parvus tantummodo deprehenditur; in virginibus juſtæ ſtaturæ ab oſtio usque ad fundum trium digitorum transverſorum magnitudinem habere computatur; latitudinem vero in fundo majorem, quam in collo habet; craſſities unum digitum transverſum adæquat.

§. VI.

Dividitur porro in portionem latiſſimam, ſive fundum, & anguſtiſſimam, ſive collum. Situs ejus obliquus eſt; fundus enim poſterius & ſuperius, collum anterius & inferius dirigitur.

§. VII.

Cavitas uteri plana eſt, oblongo triangulo ſimilis, cujus parva linea ſeu coſta fundo uteri directe reſpondet; duæ magnæ lineæ, ſeu coſtæ dextrum & ſiniſtrum latus occupant, cunctæque

tres introrſum verſus ſpatium, quod formant, incurvantur *q*).

§. VIII.

In angulis ad fundum hujus cavitatis oriuntur ſic dictæ Tubæ Falloppianæ, in quovis latere una. Tertius angulus collum uteri juxta longitudinem perforat; quod orificium, multis admodum glandulis granuloſis ac foraminulis ſcatens, ex quibus lympha blanda mucoſa exſudat, papillæ adinſtar virginibus intra vaginam eminet; faciem & figuram glandis penis virilis quodammodo refert, aperturam habet transverſam, virgunculis valde exiguam & anguſtam, imprimis illis, quæ menſium purgationes nondum paſſæ ſunt; in gravidis autem ſenſim ſenſimque hiare incipit, donec tandem inſtante partu, fœtui jamjam naſcituro exitum præbeat; iterum dein ſe contrahit, & in coitu ſemen maſculinum transmittit.

§. IX.

Tubæ Falloppianæ ab Inventore FALLOPPIO ſic nominatæ, vel & Vaſa Deferentia dictæ, ſunt duo canales, molliuſculi, conici & vermiformes, in quolibet uteri latere, ab ejus fundo adusque partes laterales pelvis plus minus transverſim ſiti, oriuntur ab uteri fundo minima capacitate, in progreſſu majores fiunt, & ampliantur inſigniter, in fine vero contrahuntur & arctiores evadunt, ac in multas ſinduntur particulas, quæ non-

q) Vid. WINSLOW. Tom. 4. Tract. de Abdom. pag. 169. §. 593. ſeq.

nonnullis *Fimbriæ*, aliis *Ornamentum Foliaceum*, *Vexillum* audiunt. Fimbriæ hæ naturaliter, dumque extra coitum eſt, vel non concepit mulier, tubam falloppianam in fine claudunt; in coitu autem fimbria talis arripit ovarium, adducit ovum ad tubam, ut eam tuto ingrediatur, & impediatur, quo minus in abdomen cadat *r*). Subſtantia harum tubarum membranacea duplici membrana conſtat, interna ſcilicet & externa. Prior ab interiori uteri membrana molliori ac non ita corrugata, quam in tuba, originem ſuam trahit. Poſterior eadem eſt, quæ externam uteri ſuperficiem inveſtit; plana hæc & lævis eſt, ad originem craſſior, ad extremitates vero magis attenuata exiſtit. Intus humore lubrico madidæ ſunt, mediam fere ovariorum partem e longinquo circumducunt, quibus alarum veſpertilionum interventu alligantur. Capacitas horum canalium æque ac longitudo pro vario fœminarum ſtatu, ætate, & corporis habitu differt. Tubæ hæ, æque ac ovaria a ſpermaticis vaſa ſua accipiunt. Uſus earum in eo conſiſtere videtur, ut ſemen maſculinum ad ovarium ducant, ex ovario vero accepto ovo viam ad uterum concedant; quod SANCTORINI *s*), RUYSCHII *t*),

 alio-

r) Vid. R. DE GRAAF Opera omnia Cap. 16. pag. 311.

s) In Obſervat. Anatom. Cap. II. pag. 226.

t) In Adverſar. Anatom. Dec. I. Cap. I. pag. 3. & in Theſauro Anatom. Tom. I. pag. 55.

aliorumque *u)* obſervationes demonſtrare videntur.

§. X.

Ovaria, ſive Teſtes muliebres dicti, quia cum teſte virili quandam ſimilitudinem habent, ſed ratione fabricæ multum ab illo diverſi, ſunt duo corpora albicantia, ovalia, complanata, & longiuſcula, in infima abdominis cavitate ſita; duos circiter digitos transverſos ab uteri fundo Veſpertilionum alarum ope cum tubis falloppianis conjunguntur, peritonæo præterea membranarum ope, quæ vaſa ſpermatica involvunt, circa regionem oſſis ilei tam firmiter annectuntur, ut ab utraque parte fixa ſint, ac extra graviditatis terminum eandem fere cum utero altitudinem obtineant. Magnitudo eorum pro ætate ac temperamento multum etiam diverſa eſt; in ſanis, libidinoſis, & ætatis flore gaudentibus ſesqui drachmam plerumque ponderant; in provectiori vero ætate, ac decrepitis aniculis pondere valde minuuntur, ac ſenſim ſenſimque marceſcunt, non tamen plane abolentur, nam *Minimos Vetularum teſticulos ſcrupulum adhuc ponderaſſe* notat DE GRAAF *v)*. Conſtant ex multis parvis corpuſculis, ſive veſiculis ſphæricis, ovorum ſimilitudinem quandam referentibus, humore quodam pellucido, ad ignem, ut

u) Vid. R. DE GRAAF l. c. Cap. 16. pag. 314.
v) l. c. Cap. 12. pag. 225.

ut albumen ovi, coagulabili impletis; extus membrana quadam a peritonæo orta firmiter continentur; arteriis, venis, & nervis quamplurimis ſcatent. Ovaria hæc eum in finem videntur deſtinata, ut ova in ſe retineant, nutriant, ac foveant, ad ſtimulum venereum irritent, & coitum fœcundum reddant; bruta enim caſtrata a venere plerumque abhorrent, abſtinent, & ſi unquam marem admittant, nunquam tamen gravida fiunt: talis quoque exſtat hiſtoria *x*) cujusdam Caſtratoris Germani, qui, cum filiam ſuam valde libidinoſam haberet, in tantam converſus eſt iracundiam, ut, aperto latere, caſtraret puellam, eo quidem effectu, ut nunquam poſtea igniculos venereos fuerit experta.

§. XI.

Ligamenta uteri duplicia ſunt, lata ſcilicet & rotunda. Ligamentum latum a peritonæo oritur, cum utero & vagina non tantum, ſed etiam cum tubis falloppianis, ovariis &c., ut meſenterium cum tubo inteſtinali connectitur, eſt ligamentum membranoſum, latum, molle, contractile, dilatabile, duplici conſtans membrana, cui multum celluloſæ interjectum eſt. Portio ejus, quæ inter tubam & ovarium intereſt, & hanc illi conjungit, in medio ad alæ ſimilitudinem lateſcit, unde nonnullis ſub *Alæ Veſ-*

x) Vid. Ill. HALLERUM in Comment. ad Aphorism. BOERHAV. Tom. 5. Part. 2. p. 126.

pertilionum nomine venit. His ligamentis uterus firmiter retinetur, ne deſcendere, vel parvo fœminarum nixu prolabi poſſit.

§. XII.

Ligamenta uteri rotunda, funiculo ſimilia, teretia, duplici peritonæi lamella incluſa, initio lateſcentia, progreſſu vero tenuia, a fundi lateribus uteri ante tubarum originem oriuntur; extra abdomen progrediuntur, per hiatum muſculi Obliqui Externi abdominis, ſive per annulum abdominalem, ut funiculus ſpermaticus in viris, ex pelvi deſcendunt; oblique ſupra oſſa pubis verſus pinguedinem & inguina excurrunt, ubi in multas partes fibroſas & vaſcula diſpeſcuntur. Eorum fabrica interna vaſculoſa; externa vero membranoſa, non autem muſculoſa eſſe videtur *y)*. Retinent hæc uterum, ne in hunc, illumve locum inclinare poſſit, ultimo præſertim geſtationis termino; & hinc falſam eſſe fœminarum ideam, quæ paſſione hyſterica affectæ de adſcenſu uteri ad hypochondria, immo in fauces queruntur, ſatis liquet.

§. XIII.

Gaudet præterea hoc organum, generationi dicatum, & a me, quantum per ingenii imbecillitatem licuit, deſcriptum, ſyſtemate ſuo ſanguineo, nerveo, & lymphatico. Vaſculoſum ejus

y) Vid. MORGAGNI Adverſ. Anat. 4. Animadverſ. 27. & EUSTACHII Explic. Tab. Tab. 13.

ejus ſyſtema inſigne eſt; habet enim arterias ſuas non tantum ſpermaticas, in anteriori parte arteriæ Aortæ, infra Emulgentem ſiniſtram oriundas, quæ binæ deſcendendo ramos ſuos ad uterum, tubas falloppianas, & ovaria diſtribuunt; ſed acquirit etiam arterias Hypogaſtricas, ab Iliacis originem trahentes, quæ ad inferiora uteri inſignes ramos mittunt, ac ſurſum decurrendo cum vaſis ſpermaticis per anaſtomoſin anfractuoſe, & in plexus quaſi reticulares conjunguntur. Venas ejusdem nominis ac arterias habet, ſcilicet Spermaticas & etiam Hypogaſtricas; ſpermatica ſiniſtra inferiori parti venæ Emulgentis ſiniſtræ, dextra vero ipſi venæ Cavæ trunco inſeruntur. Venæ hæ cum arteriis ſpermaticis conjunctæ, & productione peritonæi involutæ, ſic dictum funiculum ſpermaticum conſtituunt, ac per ligamenta lata, ovaria, & uterum decurrunt. Venæ porro Hypogaſtricæ rami ſunt venarum Iliacarum; hæ variis in locis, ſed & imprimis ad uteri latera per multas anaſtomoſes ſibi invicem conjunguntur *z*). Uſus horum vaſorum multiplex eſt; nutriunt enim generationis organum, irrorant ſuperficiem uteri internam, ne ejus parietes inter ſe concreſcant; in fœminis pubertatis ſtadium obtinentibus menſtrua purgatio ab illis peragitur; in gravidis porro fœtui nutrimentum præbent, & lochia poſt partum cauſſantur.

§. XIV.

z) Vid. DE GRAAF l. c. Cap 8. pag. 110. & Doct. NOORTWYK l. c. §. 10. N. 3. p. 11

§. XIV.

Nervis etiam quamplurimis uterus donatus eſt, accipit enim ramos, a nervis Lumbaribus, Sacris, a trunco Intercoſtalis Magni, ſive *Sympathici Magni* WINSLOWIO *a)* dicti, & a plexu Renali, & Meſocolico; ex his maxima uteri ſenſilitas dependet, nullibi magis conſpicua, quam ad orificium uterinum, quo leviter titillato, mox uterus ſe contrahit *b)*.

§. XV.

Vaſa lymphatica externam uteri membranam perreptant, conjunguntur ſenſim, & rivulorum adinſtar eorum numerus increſcit, donec tandem in ductum chyliferum deſinant. MORGAGNI *c)* cum Amicis ſuis doctiſſimis ea quam diſtinctiſſime vidiſſe in puerpera quadam mortua teſtatur.

§. XVI.

Omnibus in deſcriptione uteri ad ſcopum meum ſatis, ut videtur, explanatis, tandem ad ipſius functiones neceſſarias transeundum mihi eſt. Miras corporis mutationes pubertatis tempore ſexui ſequiori ſupervenire omnibus in confeſſo eſt; hoc enim vitæ ſtadio corporis ſtatura ſubito ſæpe increſcit, mammæ ſororiantur, pubes in pudendis

a) In Tract. de Abdom. pag. 177.
b) Vid. MARHERR Prælect. Tom. 3. pag. 633.
c) Adverſ. Anatom. 4. Animadverſ. 43. p. 135.

dis excreſcere incipit, genitalia madent, humor tenuis, ſeroſus, ſubalbidus, ſenſim rubellus, ac denique ſincerus cruor ex pudendis ſtillat, igniculis venereis incitantur virgines, appetunt ſexum potiorem, & omnia aptantur ad dandum & accipiendum *d*); fluxus ille iterum minuitur, ceſſat in ſanis, donec exacto circiter menſis ſpatio revertatur; hinc evacuatio hæc Menſtrua, Fluxus Menſtruus, vel, κατ' ἐξοχὴν, Menſes vocatur; humor qui excernitur vulgari nomine, humor Menſtruus, vel humor Menſium appellatur. Incipit hæc menſium evacuatio decimo tertio, vel decimo quarto plerumque ætatis anno, ac deſinit ſemper fere, ſaltem his in regionibus, ad annum quadrageſimum nonum vel quinquageſimum: licet dentur exempla puellarum octavo, vel nono ætatis anno menſtruantium *e*), quod in calidis regionibus haud infrequens videre eſt; in his autem citius quoque deſinunt; & quamvis dentur etiam mulieres, quæ ad maximam ſenectutem, ut ad octogeſimum, nonageſimum, centeſimum, immo ad annum centeſimum ſextum *f*) hanc experiantur evacuationem menſtruam; generalis tamen horum menſium terminus intra decimum quartum, ac quinquageſimum annum computatur, quo vigente tempore fœminæ

d) Vid. ALBINUS de Natura Hominis p. 231. ſeq.
e) Vid. Ill. SWIETENIUS Commentar. ad Aphoriſ. BOERHAVII Tom. 4. pag. 395.
f) Vid. SWIETENIUS l. c. pag. 396.

minæ fœcundæ ſalutantur; ceſſante vero effœtæ fiunt; interim tamen ſunt, quod certe inter rariora numerandum, quæ menſtruis plane deſtitutæ, conceperint, ac poſt novem menſes fœtum in lucem ederint *g*). Quantitas hujus fluxus pro varia hominum conditione differt; abundantius fluunt laxis, otioſis, laute viventibus, laſcivis, climati calido inhabitantibus fœminis; parcius vero robuſtis, exercitatis, laborioſis, viraginibus, ſub cœlo frigidiore degentibus, victu minus lauto contentis; durant plerumque quatuor, ſeptem, octo, vel & plures vel pauciores dies, gradatim deinde deſinunt, donec poſt menſem circiter ſubactum, nonnullis quidem accuratiſſime, redeant; quamvis dentur exempla fœminarum, quibus quatuor hebdomadarum ſpatio bis fluunt; gravidæ porro, ac lactantes, non autem conſtanter, his deſtituuntur. Copia vero hujus fluxus exacte definiri nequit, licet in hac determinanda quantitate multum admodum ſudaverint Viri Clariſſimi, quos inter Cel. DE HAEN *h*) non infimum meretur locum, qui ut eam exacte determinare poſſet, imbuit linteamina ſanguine recens e vena miſſo, calente adhuc, cujus pondus ſibi cognitum erat; exſiccavit ea, & magnitudinem macularum inde oriundarum exactiſſime notavit. Hoc experimento ſæpius inſtituto, ſe didiciſſe

g) Vid. SWIETENIUS l. c. Tom. 4. pag. 410.
h) In Ratione Medendi Part. 4. Cap. 6. pag. 204. Edit. Vindob.

diciſſe ait: ſanguinis quantitatem linteaminibus excepti accurate & quovis depoſito pretio determinare, atque inde ſe etiam potuiſſe definire copiam ſanguinis menſtrui, ſub una periodo prodeuntis. Obſervavit ita „*Nonnullas fœminas menſtruo tempore tres uncias ſanguinis dimittere, alias quatuor & quinque; pauciores eſſe, quæ ſemilibram; raras admodum, quæ uncias decem evacuarent, niſi uteri quopiam defectu laborarent* “. Quanquam etiam ingenioſe a Cel. DE HAEN hic calculus fuerit excogitatus, pro certo tamen, ac fallere neſcio, meo ſaltem judicio, haberi nequit; quoniam maculæ hæ nunquam, vel ſaltem rariſſime, eandem obtinent figuram, earumque magnitudo ex ſolo conſpectu determinari debet, in qua determinanda facile error committi poteſt. De ortu & indole fluxus menſtrui multum diſputatum eſt; ſunt, qui putent eum eſſe peculiarem, & in ovariis ſecretum; ſunt, qui ortum ejus ex vaginæ tantum vaſis repetant; alii huic indolem venenatam tribuunt; horum vero nemini aſſentire poſſum, dum hic fluxus mihi videtur eſſe ſincerus ac minime venenatus ſanguis, ex ipſis vaſis uterinis propter plethoram uteri topicam cum quibusdam motibus ad uterum determinatis, (ut cum Cl. VAN DOEVEREN, quem Præceptorem habuiſſe glorior, ſed morte nimis eheu præmatura nobis ereptum doleo, loquar) provocatus & probabiliter

biliter quidem per vaſorum anaſtomoſin evacuatus *i*).

§. XVII.

De conceptione, quantum inter functiones utero proprias pertinet, pauca tantummodo & mihi probabiliora proferam. In ipſo ſcilicet coitu fœcundo per ſtimulum illum venereum, ac gratám partium genitalium irritationem, vaſa uterina ſanguine plena turgent, tubæ falloppianæ multo humore intus lubricæ rigent, ampliantur, ac per fimbrias ſuas ovarium amplectuntur, & oſtium ſuum ovulo applicant *l*), quod membranis ſuis incluſum a tuba falloppiana ſuſcipitur, ac per ejus aperturam ad uterum deducitur; ovum ſemine maſculino imprægnatum in utero continetur, fovetur ac nutritur, uterus una cum ovo volumine valde increſcit, & quidem ad tantam nonnunquam altitudinem, ut ultimo graviditatis menſe ad inteſtinum colon, & ventriculum adſcendat, ac partes vicinas mole ſua, maximo gravidarum incommodo, enormiter premat, donec poſt peractos novem menſes, felici partu, fœtum una cum ſecundinis excludat; dein ſenſim ſenſimque contrahitur, vaſa ejus, quæ lochia fundunt,

i) De variis cauſarum fluxus menſtrui ſententiis conferri meretur MARHERR l. c. Tom. 3. a pag. 529. usque ad 545.

l) Vid. DE GRAAF l. c. pag. 269.

dunt, coärctantur, quibus coärctatis fluxus ille minuitur, & jam non niſi rubellum ac tenuem, carnis loturæ adinſtar humorem refert, donec vaſis uteri in priſtinum ſtatum reſtitutis, plane deſinat, & uterus functionibus ſuis de novo peragendis adaptetur.

CAPUT TERTIUM.

Mirabilem mammas inter & uterum ſympathiam, & ex ea redundantes functiones exhibens.

§. I.

Sympathiam inter C. H. partes veteribus notam fuiſſe ex ſcriptis HIPPOCRATIS *m*) abunde liquet, dum ſcribit „*Conſenſus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia*". Neque eam hodie negligi Recentiorum monumenta docent. De cauſſis vero ſive fontibus ſympathiæ variæ variorum dantur ſententiæ, quibus omnibus accuratiſſime recenſitis calculum ſuum adjecit Ill. REGAN *n*); quas cauſſas ex communicatione nervorum, vaſorum ſanguineorum, & continuatione membranarum, ope ſcilicet nervorum,

m) Lib. de aliment. Sect. 4. pag. 381. Ed. FOËS.
n) In Diſſertatione Medica de Sympathia, ſeu de conſenſu partium corporis humani p. 24 ſeq.

rum, repetere mihi debere videor; & forte his addere poſſem ſimilitudinem humoris, qui in utero æque ac in mammis ſæpiſſime ſecernitur. Diſtinguendum porro mihi videtur inter conſenſum naturalem, ſive conſenſum Actionum, & inter præternaturalem, ſive conſenſum Paſſionum: Priorem vocandum eſſe cenſeo: *Conſpirationem quandam plurimarum partium, ad hanc vel illam actionem perficiendam concurrentium;* poſteriorem cum Ill. REGA o) voco: *Compaſſionem, aut condolentiam partium, qua fiat, ut, una male affecta, alia pars diverſa ſimili, vel diverſo, triſti tamen ſenſu condoleat.* Quomodo jam, & per quænam media conſenſus ille inter mammas & uterum peragatur & quænam ex eo in ſtatu nempe ſano oriantur functiones, hoc capite mihi exponere incumbit, conſenſum vero præternaturalem ſequenti ſectione pertractare conabor.

§. II.

Ad hunc peragendum conſenſum, nervorum communicationem primum obtinere locum, omnibus in confeſſo eſt, *contactus enim papillarum libidinoſus inſuetis puellis igniculos movet venereos, & ſunt, quibus ab iis jocis clitoris in conſenſum trahitur p).* Quomodo autem communicatio

o) L. c. pag. 1. ſeq.

p) Vid. HALLERI Elem. Phyſiol. Tom. 7. Part. 2. pag. 24.

nicatio illa peragatur, rem explicatu difficillimam teſtatur Magnus Anatomicus VERHEYEN q): *Fateor*, inquit, *communicationem inter nervos uterinos & mammarios non ita demonſtrari poſſe per Anatomiam, tum quia illius beneficio nondum oſtendi poteſt certum ac determinatum nervorum principium, tum quia nervi plurimis in locis ita ſibi invicem ſunt impliciti, ut deinde vel nullo modo, vel ſaltem difficulter obſervetur, quænam præciſe filamenta ad hunc, quænam ad illum nervum pertineant, unde dictarum partium nervi inobſervabili nexu conjungi poſſunt.* Sed quamvis demonſtratu difficillimum ſit, quænam præciſe filamenta ad hunc illumve nervum pertineant, facile tamen, ut videtur, hanc communicationem inter dictas partes invenire poſſumus. Mammæ ſcilicet, ut vidimus, a dorſalibus ſive coſtalibus, qui a medulla ſpinali oriuntur, nervos ſuos accipiunt; uterus nervis ſuis a lumbaribus & ſacris oriundis, qui medullæ ſpinali originem quoque debent, inſtructus eſt; ergo ex eadem origine, qua unica conſenſus peragi poſſit, nervis hæc bina organa gaudent. Sed præterea uterus nervos etiam ab intercoſtali magno acquirit, qui cum omnibus fere C. H. partibus communicat, unde nonnullis *Sympatheticus major* vocatur. Nervus hic in cavo cranii a ramo ſexti paris oritur, cum ramo quinti paris in unum truncum conjunctus per canalem caroti-

q) Supplem. Anatom. Tract. I. Cap. II. pag. 46.

roticum egreditur, juxta latera corporum vertebralium colli, thoracis, lumborum, & oſſis ſacri deſcendit; in hoc itinere variis fibris nerveis cum coſtalibus conjungitur, immo ab omnibus triginta paribus nervorum ſpinalium, inter quos coſtales pertinent, duos acquirit *ramulos acceſſorios*, variosque ramos, plexusque nervoſos, inter quos renalis, & meſocolicus, a quibus uterus ſuos quoque ramos accipit, ſunt nominandi: quibus omnibus rite indagatis, hunc ſympathiæ fontem levi opera inveſtigari poſſe, patet.

§. III.

Syſtema ſanguineum ad hoc commercium adjuvandum multum conferre mea fert opinio, per anaſtomoſin nempe vaſorum mammariorum cum vaſis uterinis, quam ſequenti modo probaturus ſum. Arterias mammarias duplices eſſe antea dixi, externas ſcilicet, & internas, hæ ex ſubclaviis ortæ recta fere via inter pleuram & coſtarum cartilagines deſcendunt, & poſtquam ramos ſuos ad vicinas partes imprimis ad mammas emiſerunt, inter extremum ſternum, & marginem coſtarum cartilagineum exeunt, deorſum deinde inter peritonæum, & rectum abdominis muſculum excurrunt, ſupra umbilicum introrſum & lineam albam deflectunt, ubi in multos ramos abeunt. Mammariæ externæ ex arteria axillari ortæ uno præcipuo ramo, poſtquam multos ad muſculos vicinos emiſerunt, extra thoracem ante muſculum

pecto-

pectoralem ad mammas deſcendunt, per earum adipem & cutim ſe diſtribuunt, ac denique quamplurimis ſurculis intermediis cum mammariis internis communicant. Uterus vero arterias ſuas a ſpermaticis ac iliacis accipit, quæ binæ ab arteria aorta oriuntur: verum præterea, iliaca externa ſuper muſculum iliacum oblique deſcendens, infra ligamentum Poupartii ex abdomine egreditur, paucas tantummodo arteriolas hoc ſuo decurſu ad partes vicinas emittens, & infra ligamentum illud tendinoſum excurrens, ſtatim ante ipſius ex abdomine exitum, duos notabiles ramulos, unum internum, alterum externum emittit: internus iſte ramuſculus, arteria epigaſtrica vocatus, mox transverſim per aponeuroſin muſculi transverſi verſus partem poſteriorem Recti abdominis oblique iterum ad duos circiter vel tres digitos transverſos ſupra os pubis adſcendit, juxta longitudinem poſtea hujus muſculi ſuperiora verſus tendens, ſupra aponeuroſes muſculorum vicinorum in plures parvos ramos ſe dividit, ac tandem per quamplurimos ramuſculos cum mammariis internis veram anaſtomoſin efficit, qualem inter venas mammarias ac epigaſtricas locum habere, plus ſemel obſervatum eſt. Hac anaſtomoſi, hac vaſorum communicatione ſympathiam pro parte abſolvi ſtatuo; non quidem ſic, ut nonnulli ſtatuunt, ac ſi per hanc anaſtomoſin ſanguis, vel humor quicunque ab utero directe ad mammas & vice verſa deferatur, ac inde hæc ſympathia

pathia dependeat; ſed quatenus vaſa hæc ſuis gaudeant nervis, qui per iſtam vaſorum communicationem etiam invicem conjungantur.

§. IV.

Mirabilem certe inter fibras ac membranas totius corporis intercedere conſenſum, nullus eſt, qui negare poſſit, dum conſtat pleraſque partes membranoſas ſenſibiles a dura matre ac fibris medullaribus cerebri produci; quam ſententiam variis in locis comprobavit, & experimentis ac obſervationibus confirmavit Ill. BAGLIUS *r*). Omnes enim membranæ & in omni puncto maxime ſenſiles obſervantur; quod fieri nequit niſi quodlibet membranæ punctum, quantumvis etiam exiguum, nervulo ſuo gaudeat *s*); nam ſi membranam quandam, in quavis etiam parte, leviter tantummodo pungamus, mox totus ſæpe convellitur homo. Et quidni per membranas ſympathia floreret, dum hæ per totum corpus, immo per omnes corporis partes latiſſime expanſæ ſunt, ac fibras ſuas ad quæcunque organa diſpergunt, ita quidem, ut nonnulli putent, totum corpus eſſe membranaceum, liquore quodam diverſo, variis organis ac partibus deſtinato, repletum. Hæc dum ita ſint, dubium ſupereſſe nequit, quin eadem ſympathia per membranas mammas inter & uterum quoque vigeat; ad explican-

r) De Fibra Motrice.
s) Vid. REGA l. c. p. 41.

plicandam vero rationem cur membrana quadam uteri affecta, afficiantur mammæ; non autem aliæ partes, quamvis utero viciniores, ac cum eo quoque communicationem alentes, res eſt mihi, Artem ſalutiferam a limite tantum ſalutanti, explicatu perquam difficilis, quam difficultatem ipſe BAGLIVUS *t*) animadvertens, *Oritur*, inquit, *a ſimilitudine, & continuitate illa generali, ac profecto mirabili inter omnes partes membranoſas noſtri corporis, cujus ope incredibilia fere, & captum noſtrum fugientia in operationibus corporis animati ſuccedunt, adeo, ut ſæpiſſime cedere debeamus naturæ renuenti revocari.* Conatus deinde eſt magnus ille Vir hanc difficultatem ſequentem in modum enucleare *v*), dicens: *Hujus mechanices cauſſâ, inæqualis nempe impetûs, & reſiſtentiæ inter fibras, ſæpe ſuccedit, ut exiſtente alicubi dolore, non ibidem, ſed in parte longè remota excitentur tumores, inflammationes, abſceſſus &c. id eſt, vel in parte, in qua terminus eſt fibræ dolore criſpatæ, & oſcillantis, vel in alia, quæ ob peculiarem tonum, reſiſtentiam habet ſuperiorem, atque validiorem impetu fibræ oſcillantis.* Hinc cum Ill. REGA *x*) ſtatuo, motus oſcillatorios in centro nonnunquam eſſe minores quam in circumferentia, ac certis terminis determinari; cum fibræ aliquando adeo

t) Prax. Med. Lib. 2. fol. 216.
v) L. c. fol. 337.
x) L. c. pag. 51. &c.

reſiſtant, ut ibidem ſupprimantur: fibra vero ſi magis expandatur ac ſit elaſtica, eo magis conſentiet; ſi vero in viſceribus vel glandulis quibusdam deſinat, peculiaris tunc cum illis aderit conſenſus. Et ſic ob peculiares fibrarum progreſſiones, unionesque, conſenſus oriuntur peculiares, pro ut fabrica, tonus, elater membranarum ſibi continuatarum, per quas oſcillationes propagantur, differunt, etiam oſcillationes variabunt, ac majores vel minores fient; fieri enim poteſt, ut oſcillationes quædam directiones quasdam peculiares verſus certas partes habeant, & ibi affectiones ſuas communicent: & ex his clare demonſtrari poſſe videtur, cur utero affecto, mammæ, non vero aliæ partes, quantumvis etiam viciniores, afficiantur. Nam poteſt in utero affecto talis adeſſe fibrarum corrugatio, ut verſus mammas propagetur, verſus alias autem partes, quaſi per vinculum quoddam nervo injectum præpediatur.

§. V.

Alium adhuc nonnulli hujus ſympathiæ fontem ex ſimilitudine humoris, qui a mammis ſecernitur, & qualis in utero ſæpiſſime invenitur, repetunt; quam a Cl. Viris, inter quos HALLERUS *y*) eminet, productam ſententiam in totum abrogare vix audeo; exſtant enim quamplurima obſervata, ſimilem in utero inventum fuiſſe

y) Elem. Phyſiol. Tom. 7. Part. 2. pag. 23.

fuiſſe liquorem, qualis a mammis ſecernitur: *Nam*, inquit HALLERUS *z) præter lac mammarum utriusque ſexus, ſimillimus, albiſſimusque humor in utero reperitur, tenerisque in virgunculis, etiam nondum natis, caveam tenerrimi viſceris replet.* Cel. CRANZIUS *in vaſis uteri ſub tempore puerperii vidiſſe ſe liquorem lacteum teſtatus eſt a).* Doct. NOORTWYK *b)* narrat ſe *inter ſeparandum uno loco exiguum quid liquoris craſſiuſculi albicantis ſupra Chorion effuſum inveniſſe; qui cremorem lactis non inepte referebat.* Teſtatur & WINSLOW *c)* provecta graviditate in utero ductus lacteos adeſſe. Idem confirmat Cel. ASTRUC *d)*, & juxta experimenta ejus, uterus fœminæ ultimo graviditatis menſe, vel in ipſo partu mortuæ, ſi invertatur, & tota ſuperficies interna, cui placenta non adhæret, prius deterſa leviter prematur, numeroſiſſimæ tunc liquoris lactei guttulæ per poros minimos tranſſudabunt, qui pori ſunt extrema vaſorum, quæ lacteum hunc liquorem a ſanguine ſeparant, ſi vero talis uterus in aceto aliquamdiu maceretur, & dein tunica interna caute ſeparetur, numeroſiſſima apparebunt vaſa exigua, vermicularia, alba, ſetam porcinam craſſitie ſuperantia.

 tres,

z) Elem. Phyſiol. Tom. 2. pag. 367.
a) Vid. MARHERR Prælect. Tom. 3. pag. 548.
b) L. c. pag. 10.
c) Expoſ. Anat. Traité du Bas Ventre No. 623. pag. 578.
d) Traité des Malad. des Femm. Tom. 1. p. 12.

tres, quatuor, quinque lineas longa, liquore lacteo plena, qui ex vaſis his læſis exit. Dantur denique virgines fluore albo laborantes non maligno, vel venereo, neque etiam mucoſo, ſed benigno, & vere chyloſo, ex lauto nimis victu oriundo, quarum etiam tunc temporis mammæ lacte ſimul gaudent, ac abundant, ſic quidem ut nutricum vices agere poſſint.

§. VI.

Hoc jam mirabili conſenſu rara obſervantur phœnomena: circa pubertatem enim mammæ incipiunt increſcere, ſimulac pubes effloreſcat, inſtante fluxu menſtruo turgent, ſubſident vero ſoluta uteri plethora, ſic eadem cauſſa mammarum incrementum urgere, ac uterum expandere videtur. Graviditatis porro tempore, menſibus evaneſcentibus, propter inſigne illud commercium mammarum intumeſcentia augetur, majori ſanguinis chylo pleni copiæ recipiendæ, lactique ſecernendo redduntur aptæ, & lac, puerperii imprimis tempore, dum fluxus lochiorum minuitur, in illis ſecernitur *e)*, ut infans eo nutriatur.

La-

e) In ampliſſimum ſane campum hic exſpatiari poſſem, ſi cauſſas hujus ſecretionis omnes explicare vellem, quas explicare Diſſertationis Meæ Materies forſitan juberet; ſed L. B. de his relegare debeo ad excellentiſſimum, de *Lacte Muliebri*, Tractatum ad Societatis Scientiarum HOLLANDIAE Quæſtionem a Doct. & Expert. LAMBERTO BICKER Belgico Idiomate editum. Imprimis Cap. 6. pag. 70. &c.

Lactantes porro mulieres menſibus plerumque deſtituuntur, ſi autem fluunt, quod raro admodum contingit, parcam hanc adeſſe evacuationem videmus; a ſuppreſſis ſubito menſibus mammæ valde intumeſcunt, ac non raro ſanguinem fundunt, e contra ſi fluxus menſium nimis eſt, ſtatim gracileſcunt, quo in caſu cucurbitam ad mammas applicandam eſſe, monet HIPPOCRATES *f*). Propter eundem conſenſum in gravidis, ſi mammæ ſubito extenuentur, abortus periculum ſignificant *g*); ſi lac copioſe profundant, fœtus imbecillitatem indicare idem affirmat HIPPOCRATES *h*). Quibus omnibus rite perpenſis magnam hanc ſympathiam in Praxin clinicam habere utilitatem abunde patet, quotidie enim inter has partes morbi obſervantur conſenſuales, quales ab Auctoribus, tam Veteribus, quam Recentioribus productos, aliorumque doctiſſimorum Virorum obſervationibus ſtabilitos ſequenti ſectione proferam, ordinem, quantum per vires liceat, ſervaturus, aſt ſi forſan quædam inſunt, quæ haud bene poſita videntur, ignoſcas quæſo B. L. ac ingenii mei imbecillitati tribuas.

f) Aphoriſm. Sect. 5. Aphor. 50.
g) Vid. HIPPOCRATES L. c. Aphor. 37 & 53.
h) L. c. Aphor. 52.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

De mammarum morbis conſenſualibus.

§. I.

Morborum omnium, qui muliebres vocantur, uterum in cauſſa eſſe monet HIPPOCRATES *i*). Et certe uterum ex mirabili illo cum toto corpore conſenſu, plurimorum malorum cauſſam eſſe, neminem latere poteſt; imprimis vero cum mammis intime conſentiens, earum innumeras affectiones procreat, quarum cauſſæ præcipuæ ſunt: ſuppreſſio menſium, graviditas, uteri hæmorrhagia, lochiorum ſuppreſſio uteri inflammatio, fluor albus, lues venerea, & tandem coitus neglectus. Ex quibus morbi mammarum oriuntur varii, quos omnes & ſingulos referre temporis anguſtia vix permittit, præcipuos tamen enarrare, ac obſervationibus aliorum adornare ſequentibus mihi lubet.

§. II.

Suppreſſio menſium inter cauſſas pertinet primarias, quibus ſexus fœmineus quamplurima patiatur mala, inter quæ mammarum affectiones merito

i) De locis in Homine pag. 423.

merito ſunt numerandæ: ſuppreſſa enim evacuatio menſtrua non raro per mammas ſe evacuat, quod HIPPOCRATI *l*) jam innotuit, dicenti *concluſi uteri menſes ad mammas remittunt, & ad pectus adſcendere cogunt.* Huc ſpectat hiſtoria, quam narrat nobis Ill. PARAEUS *m*) de fœmina quadam, cui ſingulis menſibus per mammas ſanguis menſtruus exibat, ſic ut tria vel quatuor requirerentur mantilia, ad hunc ſanguinem excipiendum. Similem fere caſum memoriæ mandatum legimus apud STALPARTUM VAN DER WIEL *n*) de quadam muliere quadragenaria, quæ ſubitanea ira excandeſcens fluentibus menſtruis, mox e papillis tantam ſanguinis copiam evacuavit, ut reliquum corpus prolueret.

A ſuppreſſis porro menſibus mammarum inflammationes haud infrequentes eſſe ſatis ſuperque notum eſt *o*). Sed & varii inde ſæpiſſime oriuntur tumores, *quippe*, inquit MERCATUS *p*), *glan-*

l) De Morb. Mulier. Lib. 2. Cap. 20. Charter. Tom. 7 pag. 807.

m) Oeuvres D'AMBR. PARE Liv. 24. Chap. 62. pag. 631.

n) Obſervat. Rarior. Part. 1. pag. 342. Obſerv. 179. Confer. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. 2. Ann. 5. Append. pag. 41. Obſerv. 70.

o) Vid. MERCURIALIS in SPACHII Gynæc. pag. 252. Et R. A CASTRO de Morb. Mulier. Sec. 2. Cap. 16. pag. 70. Confer. Ephem. Nat. Curioſ. Cent. 1. Obſ. 67. pag. 136 &c.

p) In SPACHII Gynæc. pag. 870.

glandulas fieri turgentes contingit vel menſtruis deficientibus, recurrentibusque ad mammas. Rariſſimum talem caſum apud HOFFMANNUM *q*) legimus de fœmina quadam honeſta, ad animi commotiones, terrorem æque ac excandeſcentiam facillima, menſium defectui obnoxia, qui quidem regulari tempore erumpebant, vix autem per horulæ ſpatium fluentes, parcum admodum cruorem fundebant, cujus purgationis menſtruæ defectu variis ſolicitabatur ſymptomatibus, ac in mamma ſiniſtra obſervabatur tuberculum ſenſibiliſſimum, absque rubore, & magnitudine nummum octo groſſos valentem referens; ſimulque ex illa liquor lacti ſimilis ſæpius exprimebatur. In conſilium vocatus HOFFMANNUS ad quæſtionem: *an*, ſcilicet, *allegata ſymptomata, & maxime liquor lacteus ex mamma ſiniſtra propullulans, menſium imminutioni debeantur?* reſpondit: *Tumorem mammæ ſiniſtræ, & lacteum humorem ex illa ſtillantem ex eodem omnino menſium defectu proficiſci arbitror: quoniam cruor, per uterum excernendus, ad glandulosſam, & ſpongioſam mammarum compagem rapitur. In omnibus enim hisce humorum congeſtionibus, maxime poſt partum, inſignis uteri cum mammis deprehenditur conſenſus: quid? quod attenta doceat experientia, hæcce mammarum tubercula ex menſium ſuppreſſione ſuborta, his inſtantibus plerumque exacerbari magis ac doloribus pungitivis*

q) Opera omnia Tom. 4. pag. 100. &c.

tivis affici. Huc etiam referri debet obſervatio quædam Ill. MORGAGNI *r*) in quadam virgine, cui dum menſes aliquot dies tardius prodibant, tumor ovo columbino major, non inæqualis, nec cutis colorem mutans, ſed duriſſimus, & in proximi brachii motibus dolorem creans, non raro naſci ſolebat in altera mamma, eaque ſiniſtra; mox prodeuntibus menſtruis nullo præſidio adhibito, nulloque ſui relicto veſtigio, nedum celeriter detumeſcebat, verum penitus abibat.

Hunc denique fluxum menſium ſuppreſſum ſcirrhi ſæpiſſime, immo & cancri ſequuntur. *Quippe*, inquit, MERCATUS *s*), *cum purgatio illa craſſo, melancholicoque ſanguini expurgando idonea ſit, ſi quando ſupprimi, aut vitiari contingat, vitiatos in corpore ſupereſſe humores nulli fore dubium arbitror, quos ſane in grave aliquod malum prorumpere certum eſt, præſertim circa eam partem, cum qua majorem habet uterus communionem, & colligantiam, quo fit, ut fœminarum mammæ ſubinde facile in hæc vitia prolabantur, præterquam quod receptioni excrementorum ob laxitatem mammarum ſubſtantia pronæ ſit.* BOERHAVIUS *t*) inter cauſſas ſcirrhi *ceſſantem* quoque *conſuetum menſtruum* *vel*

r) Epiſtol. Anat. 50. Art. 39.
s) In SPACHII Gynæc. pag. 872. confer. R. A. CASTRO Lib. 1. Cap. 20. pag. 80.
t) In Aphoriſmis de cognoſc. & curand. morb. Aph. 485.

vel hæmorrhoidalem fluxum, refert. DIONISIUS *v)* ex viginti muliebribus, quæ cancro laborant, quindecim hoc malo affici intra quadrageſimum quintum, & quinquageſimum ætatis annum, quo tempore menſes plerumque ceſſare incipiunt, teſtatur: additque porro, ſe in itinere per GALLIAE Provincias in ſingulis fere urbibus plures hoc morbo affectas vidiſſe in cœnobiis, ſemper autem circa modo dictam ætatem: ſi vero in junioribus occurreret hoc malum, menſtrua evacuatio in illis deficiebat. Rarum talis cancri exemplum narrat RIVERIUS *x)* nobilis cujusdam Matronæ annum quinquageſimum primum agentis, temperamento bilioſo melancholico præditæ, quæ ante decennium ex repentina infantis ſui morte, a nutrice incauta interfecti ſubito terrore afficiebatur. Hinc menſium fluxus plane ſupprimebatur, nec unquam amplius ab eo tempore apparuit. Poſt duos annos in parte ſuperiori mammæ ſiniſtræ oriebatur tumor ſubdurus & oblongus, digiti craſſitiem æquans. Paulo poſt in ejusdem mammæ parte inferiori tumor alius exiguus & rotundus apparebat, qui intra paucos dies foveam efficiebat in eadem parte exiguam & ſine dolore, quæ ſovea ſenſim incrementum ſumebat, ut intra biennium dimidiam fere totius mam-

v) Cours d'Operations de Chirurgie Demonſtr. 9. pag. 314.

x) Opera omnia Cent. 4. Obſ. 57. pag. 544. Confer. Acta Hafnienſ. Vol. 2. pag. 195.

mammæ partem ad interiora retraxiſſet, & in fundo illius cutis coſtis adhærere videretur. In ambitu vero illius fundi quædam percipiebatur durities, quæ compreſſa digitis, doloris ſenſum inducebat. Aegra aliquando in tota illa parte dolorem pungitivum percipiebat, ſed exiguum, & raro evenientem: habito conſilio ſancitum fuit hunc affectum ad cancri occulti naturam accedere. Sed quamvis morbus hic periculoſiſſimus non ſemper a ſuppreſſo fluxu menſtruo oriatur, ſæpe tamen, ſi adſit, inſtantibus vel ſuppreſſis menſibus, deterior redditur. Sic mulieri cuidam febre lenta laboranti, ac valde debili, ingens & doloroſiſſima, juxta papillam inflammata, amputata fuit mamma, eo quidem eventu, ut vulnus conſolidaretur, ac mulier vires ſuas amiſſas acquireret, quamvis tuſſis continua, & pulmo morboſus tabis metum incuterent; mirum ſane erat, quod tempore fluxus menſtrui dolor non tantum increſceret, ſed quod tota mamma ſudore mephitico, cancroſam materiem olente, obtegeretur *y*).

§. III.

Graviditas, licet ad ſanitatis ſtadium pertineat, rara tamen nonnunquam mammarum, præter

y) Vid. Cl. SANDIFORT, Præceptor meus ad Rogum colendus in Bibliotheca Phyſico Medica Tom. 8. pag. 69.

ter lactis ſecretionem, phœnomena provocat, inter quæ earum intumeſcentiæ ac tumores ſæpiſſime occurrunt. Intumeſcentiam talem ſingulariſſimam Ill. SWIETENIUS *z*) bis in eadem muliere obſervavit, cui dum gravida eſſet, dextra mamma absque dolore, tumere incepit, quotidie mole adeo increvit tumor, ut octavo graviditatis menſe femur attingeret, & ſuſpenſorio ſuſtineri deberet, aliter incedere non potuiſſet miſera. In vaſta hac mamma diſtinctiſſime ſex tubera ſibi invicem non cohærentia, pugnum mole æquantia, ſatis mobilia, tangere poterat; dum peſſima quæque metuebat, mirabatur valde, poſt felicem partum, totam hanc molem minui, tubera ſolvi, ita ut intra bimeſtre ſpatium mamma rediret fere ad ſolitam magnitudinem, nec vel minima durities tactu percipi poſſet, magis tamen flaccida & pendula erat, quam ſiniſtra, nullum autem remedium adhibuit: poſt biennium denuo gravidæ omnia eadem ac eodem pariter poſt partum eventu contingebant. Ex graviditate porro non raro mammarum oriuntur inflammationes &c. Hic ſpectat caſus, quem narrat RIVERIUS *a*) Mulieris cujusdam, quæ circa nonum graviditatis menſem tumore mammæ ſiniſtræ afficiebatur, cum tenſione, rubore & pulſatione: Chirurgus cataplasma ex mica panis

z) In Comm. ad Aphor. BOERHAVII Tom. 4. pag. 641.

a) L. c. Cent. 4. obſ. 74.

nis apponebat, tumor vero increvit. Admoverunt deinde cataplasma ex farina fabarum in oxycrato cocta, intra duodecim horas inflammatio ablata eſt, & tumor valde imminutus intra paucos dies plane evanuit. Sic & graviditatis tempore, vel & poſt eam uteri hæmorrhagia haud infrequens eſt, quæ ſuos etiam in mammas effectus notabiles ſæpiſſime edit. Talem legimus *b)* ſingularem uteri hæmorrhagiam Matronæ nobilis, temperamenti cholerico ſeroſi, vigeſimum tertium ætatis annum agentis, quæ, dum poſt primum puerperium per tres ſeptimanas alvi conſtipatione laboraſſet, ex conſilio vetulæ medicaſtræ umbilico admovit ſalviam cum butyro frixam, eo effectu ut poſt aliquot horarum ſpatium alvus ſolveretur, verum tanta ſimul per uterum excitaretur hæmorrhagia, ut in ſupremo vitæ diſcrimine verſaretur ægra; notabilis quoque mammarum antea lacte turgidarum ſubitanea obveniebat flacciditas, & momentanea lactis evaneſcentia, nec alimentis, nec medicamentis lactificis poſtmodum reſtaurabilis.

§. IV.

Lochiis poſt partum ſuppreſſis, variis ac peſſimis fœminæ exponuntur malis, & mammæ fre-

b) Vid. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. 1. An. 4. Obſ. 154. pag. 291.

quenter admodum inde afficiuntur c) Hyeme An. 1746. obſervabatur in puerperis morbus quidam epidemicus. Aquæ, dum parturiebant, effluebant, nec lochia ſolito modo fluebant, ſed uterus ſiccus, durus, dolens tumebat. Morbus a ventris fluxu incipiebat, ſequebatur dolor ventris, imprimis circa locum, quem occupant ligamenta uteri lata, tenſum erat abdomen, caput dolebat, & quandoque aderat tuſſis. Tertio vel quarto poſt partum die, mammæ, quæ tunc turgere ſolent, flacceſcebant, & quinto vel ſeptimo die puerperæ moriebantur, quæ mala omnia lochiis ſuppreſſis a Medicis tribuebantur d). Similem fere J. F. HENKELS Medicinæ & Chirurgiæ Doctoris legimus obſervationem ſequentem e): *By eene jonge, gezonde, kraamvrouw wierden de kraamzuiveringen niet na behooren ontlaſt, en het zog ging uit de borſten, wordende verplaatſt naar de heupen en onderſte leden, vooral van de linker zyde, welke tot aan de teenen zeer ſterk zwollen. Na eenige dagen wierd de Schryver geroepen. De Schryver liet op de borſten weekmaakende middelen leggen, en aan dezelven naarſtig zuigen, als ook wryvingen doen. Om de kraamzuiveringen te voorſchyn te doen komen,*

c) Vid. HIPPOCRATES de Morb. Mulier. Lib. I. Cap. 37, 38. CHARTERI Tom. I. p. 751.
d) Vid. l'Acad. des Sciences l'An. 1746. p. 160.
e) Vid. Cl. SANDIFORT l. c. Tom. 10. p. 147.

men, wierden op de teeldeelen, ſtoovingen, pappen gelegd, en inwendig wierden de Rhab. croc. myrrh. en nitrum benevens verdunnende middelen gegeeven. Deeze poogingen waren vrugteloos, en hy zag zich genoodzaakt, andere ontlaſtende middelen te gebruiken. Hy verkoos de Aloë, ſquilla, myrrha, ſal. amm. depur., tinct. antim. acris, ſapo alcal. ſtarck., Thea medicata ex amar. aromat. & acrib. eindelyk ook de ſucc. rec. expr. rad. Ireos noſtr. Alle deeze middelen waren van eene voortreffelyke werking, wanneer dezelven gepaard wierden met het uitwendig gebruik van aromatieke poeders, kampher, ſpaanſche zeep, een goed verband, en behoorelyke plaatſing der onderſte leden, &c. Raros etiam tales obſervaſſe ſe binos caſus mecum communicavit Vir doctiſſimus, Artem ſalutarem inter Roterodamenſes ſumma cum Dexteritate, ac Felicitate exercens Amicus integerrimus F. A. VAN LIER: ſcilicet Matrona quædam die 25 Julii 1782 in Pago ASSEN in Regione DRENTHIA proſpere peperit, & optime ſeſe habebat, donec die 10. Auguſti ex incendiis ſummopere perterrefactæ, lochia, quæ adhuc fluebant, ſubito ſupprimerentur, altero die ſiniſtra mamma adeo intumuit, ut inflammatio inſtare videretur; lac colore, ſapore, odore, & ſpiſſitudine maxime erat degeneratum, adeo ut recens nata ſugere amplius nollet, nec poſſet. Fomenta ex vino albo calida applicabantur, &

propinabantur remedia aperientia eo cum ſucceſſu, ut poſt quinque dies lochia parva quantitate ſeſe manifeſtarent, & ſimul cum iis lac melioris indolis evaderet, ac mamma in ſtatum naturalem ſubito abiret. Menſe Martio 1784. Uxor quædam Architectæ, nomine A. M. SORG, in eodem pago, ASSEN dicto, Filiam peperit, poſt partum optime cum infante ſe habenti, ſeptimo puerperii die ex iracundia lochia ſubito ſupprimebantur, altero die mammæ erant flaccidæ, & lac, quod antea copioſe ſecernebatur, protinus evanuit, ac Puerpera ſummis cruciabatur alvi doloribus. Vocatus Doct. VAN LIER præſcripſit Mixturam ex Aquæ Meliſſ. Rutæ ana ℥ vj Rhob. Junip. ℥ j. Sal. Borac. ʒ ij Syrup. e 5 Rad. Aper. ℥ j ß, ut caperet Aegra omni hora cochlear. Poſt uſum hujus remedii, lochia poſtridie fluere incipiebant, eodemque die lac in mammis regenerabatur, ac mulier in priſtinum ſanitatis ſtatum reſtituta fuit.

Inflammationem uteri, quæ cauſſa ſæpe, vel & effectus ſuppreſſionis lochiorum exiſtit, ſimiles tales, vel & alios in mammas efficere poſſe effectus dubium ſupereſſe nequit: teſtatur illud Ill. SWIETENII *f*) obſervatio cujusdam fœminæ hydrope anaſarca laborantis, cui dolor in dextro ileo ſatis vehemens oriebatur, poſt partum per vulvam prodibat olidiſſimum pus, quod copia minori ſenſim, & poſtea album, inodorum, quotidie

f) Comment. Tom. 4. pag. 622.

tidie ad ſeptimum usque a partu menſem fluxit, aderat ſimul cruris & femoris dextri imbecillitas, dein ex mamma dextra pus exivit, & lente convaluit.

§. V.

Leucorrhœa fœminis adeo nociva, ſed ipſarum culpa ſæpius provocata, ſi ſubito ſupprimatur, varios producere poteſt morbos, quos inter mammarum morbi præcipue ſunt numerandi. Sic legimus apud SCHENKIUM *g*): quod uni ex Ancillis Cœnobii ſæpe & jam per aliquot annos pus e mammillis flueret, quæ olim leucorrhœa laboraverat. Memorat quoque Ill. TRNKA DE KRZOWITZ *h*) de quadam muliere, triginta circiter annos nata, temperamento ſanguineo, & graciliori corporis textura prædita, quæ viginti annos matrimonio degit, ac aliquot liberos peperit: hæc, menſium fluxu immodico præcedente, ſemper aliquot diebus fluore albo a multis retro annis, ſine ullis tamen moleſtiis, laborabat; & quod valde mirum, ex utraque mamma liquidum aliquod ſpiſſius, coloris longe nigerrimi, quotiescunque volebat, exprimere potuit, quod linteamine exceptum intra ſpatium 24 horarum æruginis adinſtar viride evadebat, & ſimul, ut videbatur, naturam corroſivam induebat; quotiescunque vero lactavit, ſaniſſimum lac prolibus

Cc 4 ſugen-

g) Obſerv. Med. Lib. 2. fol. 309.
h) Hiſtor. Leucorrh. Part. I. pag. 109.

ſugentibus exhibuit, neque hujus phænomeni ullum veſtigium, ſicut alias, intermedio tempore apparuit.

§. VI.

Quomodo a lue venerea tota C. H. patiatur œconomia, non eſt, quod dicam; quomodo vero mammæ ab ea affici poſſint, diſcimus ex ſequenti hiſtoria *i*); Aderat, ſcilicet, fœmina quædam, quæ lue venerea laborabat; hæc dum infantem ſuum lactare vellet, mammæ ipſius ſanguinem una cum lacte fundebant; ſuadebatur ipſi, ut ablactaret filium, ne noxam caperet ab inſolito hocce & improportionato nutrimento; cui morem gerebat cum ſalute filioli.

§. VII.

Quænam ſubinde ex matrimonio vel coitu neglecto oriantur mala ſatis ſuperque notum eſt; & exinde non raro cancroſos mammarum tumores oriri ex dictis RAMAZZINI *l*) patere videtur: *In mulierum*, inquit, *mammis ob uteri exorbitantias, generari perſæpe cancroſos tumores, quales in Monialibus magis, quam in cæteris mulieribus obſervantur, non ob menſtruorum defectum, ſed potius, ut reor, ob cælibem vitam:* pergit porro: *Mihi enim ſæpius obſervare contigit, Veſtales Virgines bene coloratas,*

i) Vid. Ephem. Nat. Curioſ. Dec. 2. An. 7. Obſ. 45. pag. 89.

l) De Morbis Artiſ. pag. 324.

tas, menſtruis purgationibus rite fluentibus, ſed ſalaci natura præditas ex horrendis mammarum cancris miſere obiiſſe, & quoniam in Italia quælibet civitas complures habet Religioſos Virginum Cœtus, perraro fit, ut Monaſterium aliquod exſtet, quod tam diram peſtem intus non alat. Hæc dum ad effectus ex uterinis in mammas redundantes affectionibus explicandos ſufficere videntur, ad cætera transeo.

CAPUT SECUNDUM.

De morbis uteri conſenſualibus.

§. I.

Morbis mammarum quamplurimis ex utero oriundis enarratis, eadem ratione morbi uteri conſenſuales mihi conſiderandi veniunt, & ad horum cauſſas præcipuas referre debeo contrectationem mammarum inſolitam & inordinatam, impeditam lactis ſecretionem, neglectam ſuctionem, mammarum ſcirrhum, earumque cancrum; quas ordine ſequentibus pertractare, earumque effectus in uterum ſane mirificos enarrare conabor.

§. II.

Contrectatione mammarum inſolita, & inor-

dinata virginibus rara ſane nonnunquam obveniunt phænomena: *Admirandum*, inquit BERNARDUS RAMAZZINUS *m) hunc inter mammas & uterum conſenſum, binos libidinis fontes, abunde teſtatur earundem mammellarum confricatio, quæ in fœminis, ut Ipſæmet fatentur, non leve eſt veneris languentis irritamentum.* Pergit porro: *Obſervat* CARPUS, *mammarum contrectationem, ac præſertim papillarum, quæ ad modum virgæ arriguntur, ſopitam venerem excitare.* Illo ſcilicet ſtimulo ſanguis majori copia ad mammas ruit, menſtrua purgatio propter commercium ſæpe deſinit, ac lac in mammis harum, cæterum caſtarum virginum, non raro ſecernitur *n)*. Sic ancillæ cuidam, quæ infanti, cum quo ſingulis noctibus uno eodemque lectulo dormiebat, maxima libidine incitata ubera præbebat, menſes fuere ſuppreſſi, & lac in mammis ſecernebatur *o)*. Talis etiam datur hiſtoria cujusdam virginis, quæ patrem ſuum in carceribus detentum lacte ſuo per longum tempus aluit *p)*.

§. III.

Secretionem & excretionem lactis propter organica

m) De Morb. Artif. pag. 324.

n) Vid. SWIETENIUS Comm. Tom. 4. pag. 609. confer. HALLERUS Elem. Phyſiol. T. 7. Part. 2. pag. 17. &c.

o) Vid. Doct. BIOKER Verhand. over het Zog der Vrouwen pag. 71.

p) Vid. FRANK DE FRANCKENAU Satyra 15.

organica non tantum mammarum vitia, ſed & alias cauſſas quamplurimas non raro impediri, ſæpiſſime obſervare licet; indeque multa in uterum agentia oriri mala ſatis conſtat; inter ea imprimis numeranda eſt metaſtáſis illa lactea ad uterum; qualis per terrorem nata menſis ſpatium durans cum lactis evaneſcentia in mammis obſervata fuit *q*).

§. IV.

Lactationem a nonnullis laudari, ab aliis vero culpari omnibus in confeſſo eſt. Qui contra lactationem militant; putant mulieres lactantes fieri ſteriles. Aſt hæc opinio certis & quotidianis obſervatis repugnare videtur, nam ingens eſt certe numerus mulierum, quæ quotannis fere infantem pariunt, ipſumque lacte ſuo nutriunt; Ill. SWIETENIUS *r*) Matronam novit, quæ octodecim infantes peperit, omnes lactavit, & ab ultimo partu reſurgens, nihil de venuſta forma amiſerat, ita ut filiarum ſoror potius, quam mater videretur: e contra a ſuctione neglecta quamplurima non raro oriri mala, uno ore teſtantur Practici. Nam præter mala mammarum topica, quæ ex lactis ſtagnatione oriri poſſunt, lac in ſanguinem regurgitans, ideoque per totum corpus cum ſanguine circulans, tandem frequenter ad partem quandam nobilem per metaſtaſin depo-

q) Vid. Doct. BICKER l. c. pag. 75.
r) Comment. Tom. 4. pag. 669.

deponitur, inflammationes ibi cum ſuis effectibus, vehementiſſimis ſymptomatibus ſtipatas producit, quas inſequuntur dolores intolerabiles, anxietates, convulſiones, deliria perpetua, ac ſæpiſſime miſerrimæ hæ ſubito moriuntur. Sed præterea uterus ipſe hinc nonnunquam afficitur, lochia enim rubra mutantur in alba, lactea, ac fluor albus frequenter inſequitur *s*). Inter mala porro, inquit TISSOT *t*), quæ a neglecta lactatione oriuntur, unum dolendum profecto pertinet, quoniam propagationem hominum minuit, cujus nemo hactenus mentionem fecit, ſpecies puta quædam uteri paralyſeos cum fluore albo chyloſo, unde matrimonii officio & voluptati inutiles, ac procreationi ineptæ redduntur. Sed quamvis ſuctio omnibus mulierculis, ſaltem iis, quæ munere hoc apte fungi poſſunt, eſt ſuadenda, inficias tamen ire nequeo, fieri nonnunquam, quod nutrices, infantem ex impuris parentibus natum lactantes, vel & puerperæ, quæ ad coloſtrum aut lac reſtagnans exſugendum, fœminam labe quadam ſæpe infectam adhibent, mala inde quamplurima contraxerint: ſpectat huc hiſtoria, quam legimus in Actis Naturæ Curioſorum *v*); *cum ſcilicet aliquando* MEDIOBURGI *in* ZELANDIA, *per unicam mulierem, quæ puerpe-*

ris

s) Vid. Doct. BICKER Raadgeevingen voor de gezondheid der groote en ryke Lieden pag. 282.

t) Vid. Doct. BICKER l. c. pag. 158.

v) Vol. 3. pag. 17.

ris coloſtrum, aut lac moleſte reſtagnans exſugere conſueverat, harum brevi tempore plures ita fuerunt inquinatæ, ut primo in papillis & uberibus maligna erumperent ulcera, deinde per totum corpus longe lateque malum ſpargeretur; & ex Actis Anglicanis talem quoque caſum memorat Ill. SWIETENIUS x) Mulier quædam, *ſolita ſugendo evacuare puerperarum mammas, ulcus venereum habebat in ore; quod celabat, ne quotidiani lucri jacturam faceret; unde plures & quidem melioris ſortis matronas infecit peſſime. Egregius Medicus* BARRY, *qui opportunitatem habuit videndi plurimas ex infectis his, mirabatur celerem malignæ luis progreſſum; quem ſic deſcribit: Papillæ primo leviter inflammabantur, dein ſequebatur excoriatio, plorans liquidum tenue, in circuitu loci excoriati ſparſim emergebant puſtulæ rubræ, quæ & gradatim per pectus diſpergebantur, &, niſi medela adhiberetur, ulcera producebant. Paulo poſt inficiebantur pudenda, cum pruritu vehementi, ſequebantur cancri in his partibus, qui parum liquidi plorabant, & poſt paucum temporis ſpatium puſtulæ ſpargebantur per totum corpus. In plerisque lues ſic ſuſcepta trium menſium ſpatio decurſum ſuum abſolvebat; mariti ab uxoribus inficiebantur, & cancros habebant, a quibus virus venereum cito diſpergebatur, ita ut ſequerentur ulcera oris interni, & puſtulæ rubræ per corporis habitum.*

§. V.

x) Comment. Tom. 5. pag. 30.

§. V.

Scirrhus denique & imprimis mammarum cancer ſuos etiam ſæpiſſime effectus in uterum edunt, ita quidem ut uteri cancer inde obſervatus fuerit. Qualem caſum in nobili quadam Matrona obſervaſſe ſe narrat Cl. BOERHAVIUS *y*), quæ, dum ipſi cancer erat in mamma, LUGDUNUM BATAVORUM venerat, ad exſtirpationem ſubeundam; re vero examinata, altera quoque mamma cancro affecta deprehendebatur, hinc illi exſtirpationem diſſuadebant, attamen eam fieri voluit. Feliciter quidem facta, ſanata fuit. Aſt anno elapſo rediit; exſtirpationem alterius mammæ expetens, diſſuaſum fuit, voluit tamen, facta eſt. Sed paulo poſt cancrum in ſubaxillaribus glandulis & utero, priori atrociorem, fuit perpeſſa. Similem fere legimus hiſtoriam apud Cl. SANDIFORT *z*) de Matrona quadam nobili, quæ multos annos ſcirrhoſo tumore in mamma ſiniſtra ſine dolore laboraverat, tempore vernali exanthematibus cum febre corripiebatur, ſanata fuit; balneo utens, exanthemata iterum apparuerunt, quæ a perito quodam Medico ilico ſanabantur; autumnali tempore febris quartana ipſam aggreſſa fuit, corpore prius præparato, condito ex cortice Peruviano utebatur: dimidia hujus conditi parte adhibita, febris

y) Comment. ſic dict. ſpur. Part. 2. pag. 257.
z) L. c. Tom. 10. pag. 789.

febris plane deſiit. Sed Medico ſuo obedire, & medicamento præſcripto dum amplius uti nollet, poſt quatuordecim dies febris redire cœpit, alteram conditi partem ſumpſit, & febris evanuit: omnibus neglectis conſiliis & adhortationibus febre de novo afficiebatur, quæ non tam cito tunc uſu corticis Peruviani ſanabatur, nam tumor mammæ ſcirrhoſus hactenus neglectus dolere ac tumere incipiebat, ac quatuordecim dierum tempore adeo increvit, ut ovi anſerini magnitudinem ſuperaret: decem hebdomadum ſpatio, ad febrim ſufflaminandam, & humores corrigendos requiſito, mamma tres fere libras valens amputata ac feliciter ſanata fuit, ægræ victus ſuadebatur tenuis, ſed cibis aromaticis aſſueta, conſilium illud obliviſcebatur: exponebat ſe præterea ſæpiſſime aëris mutationibus, unde humores ipſius corrumpebantur, anno poſtea elapſo uteri cancro afficitur, conſumebatur plane, ac miſerrime animam efflavit.

En B. L. morbos omnes, quos per breve temporis ſpatium colligere licuit, plures his addi poſſent, ſed ad mirabilem illam uterum inter & mammas ſympathiam explicandam mihi ſufficere videntur, quapropter ad ultimum caput tranſeo, quo breviter regulas quasdam prophylacticas, quibus fœminæ ab iis incommodis immunes maneant, tradere conſtitui.

CAPUT TERTIUM.

Regulas, quibus hi morbi avertantur, exhibens.

§. I.

Morbi hi conſenſuales quamplurimi ipſa ſæpe fœminarum culpa oriuntur & imprimis Magnates & Nobiliores noſtræ propter victum, nec non vitæ regimen inordinatum haud raro ab iis afficiuntur; quæ ut, quantum fieri poſſit, ab iis liberæ maneant, officium ac ratio a me exigere videntur, ut amabili ſexui regulas quasdam prophylacticas tradam, quibus munitæ morbos hos pro maxima ſaltem parte evitare poſſint. Et dum antea vidimus affectiones fœminarum plurimas a ſuppreſſione menſium oriri; prius de hac præcavenda agere incipiam.

§. II.

In omni vitæ fœminarum ſtadio, quo menſium eruptio inſtat, quo fluunt menſes, ac deſinunt, maxima inter urbanas & ruri degentes datur differentia. His enim quamvis eruptio tardius procedat, fluxus certe fere ſemper regularis eſt, & quarta quavis hebdomade, eodem modo, tempore, & quantitate ſufficienti ſolita redit, niſi cauſſæ graviores adſint, quibus turbari poſſit. Aſt e contra Urbanis noſtris Nobilioribus menſes ſæpenu-

penumero irregulariter valde fluunt; quia in ſex rebus non naturalibus frequenter vitium committunt. Spectat huc aër gelidus, imprimis veſpertinus, cui frequenter adeo ſe exponunt: mos enim multarum eſt, quod æſtivo tempore ſolem admodum ferventem fugiant, ne cutis earum mollis, eboris adinſtar nitens mutetur in flavum, minus amabilem colorem; ſed tempore veſpertino, aurà in noſtris ſaltem regionibus non raro valde refrigeratâ, domus ſuas relinquant, ut ambulatiuncula quadam gaudeant. Sed quam pernicioſus ille mos ſit audiamus: ad veſperam aër gelidus & nimis procelloſus ſæpius obſervatur, quo fibræ ſolidæ accurtantur, denſantur, roborantur, actio earum in humores augetur, humores coguntur, denſantur, canalium cava arctantur, contentis ſpatium minuitur, reſiſtentiæ creſcunt; & tanto major erit conſtrictio, quia ſenſus frigoris etiam ſtimulo agit in vim vitalem, hinc menſium fluxus retardatur, vel ſi adſit, ſupprimitur. Ex oppoſito aër nimis calidus & æſtuans *Humorum partem tenuiorem, volatilem, ſpirituoſam, aquoſam, de poris ſuperficiei corporis externæ, internæ, aëri expoſitæ diſſipat. Hinc oritur defectus ſubtiliorum, craſſamenti inſpiſſatio, immeabilitas, diathesis atrabilaria, inflammatoria, ſolidi exſiccatio, vaſculorum obſtructio a)*; & menſes iterum

a) Vid. Cl. GAUBII Inſtit. Patholog. §. 424. N. 6. §. 427. N. 1. & 2.

iterum vel retardantur, vel ſupprimuntur. Sed mira forte cuidam hæc mea videbitur aſſertio, quum antea dixerim, quod ruri degentes & opus ruſticanum quotidie exercentes, huic menſium ſuppreſſioni minus ſint obnoxiæ, dum tamen hæ ſubitaneis ac quotidianis aëris mutationibus exponantur. Sed mirari deſinat, dummodo ſciat conſuetudinem alteram eſſe naturam; nam revera, ſi ſexus ſequior corpus ſuum quotidie magis magisque moveret, quavis anni tempeſtate omnibus aëris mutationibus pedetentim ſe exponeret, vitam ſedentariam, quantum res domeſticæ permitterent, evitaret, & rebus peragendis, quas antea, ut ſibi rudiores, ac nimis graves abhorrebat, ſe aſſueſceret, ad minimam Atmosphæræ mutationem non adeo ſenſilis eſſet, ut fluxus inde menſtruus tam facile ſupprimeretur.

Cibus & potus etiam conſiderandi veniunt, ne copia vel qualitate noceant: vix autem neceſſarium eſſet noxas a nimia ciborum copia enumerare, quoniam rariſſime vitium in ea committunt urbanæ, quia arctis veſtibus valde compreſſæ, imprimis virgines, concoctionem turbant, atque adeo appetitum depravant. Aſt dum exceſſus in ea committi poſſit, monitas eſſe velim, ne nimia quantitate alimenta ingurgitare velint; ab expanſione etenim ventriculi vaſa ejus comprimuntur, digeſtio prohibetur, oriuntur cruditates, ſpontaneæ ingeſtorum corruptiones, multiplex hinc

chyli

chyli vitium, & mala tum in primis viis, tum in toto corpore innumera, ut convulſiones, contractiones ſpasmodicæ & plura alia *b)*; atqui hinc facile menſes ſupprimi poſſe non eſt, quod memorem. *Delinqui gravius in victu nimis tenui, quam in paulo pleniore* recte monet Cl. GAUBIUS *c)*. Nam minori ingeſtorum copia, ob defectum neceſſariæ refectionis, functiones languere incipiunt, humorum quantitas minuitur, emaciatur & extenuatur corpus, ventriculus ac inteſtina contrahuntur, ciborum oritur intolerantia, liquores menſtrui acres fiunt, blandi chyli datur inopia, ſolida deteruntur, humorum pars tenuior diſſipatur, vaſa inaniuntur, calor nativus imminuitur, oritur ſqualens macies & totius corporis ſiccitas, ſalium, oleorumque in humoribus ſumma acrimonia, ex qua motus ſpasmodici, convulſiones &c. *d)*. Qualitas vero alimentorum quam maxime attendenda eſt, dum vehementer a noſtratibus in ea peccatur, quæ aromaticis & imprimis acidis valde delectantur: acida enim difficillime digeruntur, ac acidum in primis viis creant; unde ſpasmi, convulſiones, cardialgia, cephalalgia, flatus, anxietates, animi deliquia; quod ſi cum ſanguine commiſceatur, humores corrumpuntur, ſolida debilitantur, nervi irritantur, oriuntur paſſiones hyſtericæ, hypochondri-

b) Vid. Cl. GAUBIUS l. c. §. 448. &c.
c) L. c. §. 455.
d) Vid. Cl. GAUBIUS l. c. §. 452. &c.

acæ &c. Et imprimis virgines nobiliores acidis illis maxime indulgent, forſitan ad formoſum colorem pallidum acquirendum; immo vidi nonnullas, quæ ſæpius de die acetum vini, ſaporis gratia ut ajebant, hauriebant. Sed mos ille maxime diſplicet, & plane diſſuadendus videtur: formoſitas enim virginum adeo cæterum laudanda deperditur, color amœne roſeus in pallidum *e)*, ſubflaveſcentem, minus amabilem mutatur, redduntur hæ miſeræ cacochymicæ, debiles, ac valde irritabiles, nervorum exponuntur morbis, & procreationi redduntur inutiles. Nocent, præterea nimis acria, rançida, oleoſa, viſcida, & vi adſtringente prædita, medicamenta fortiora, ac calidiora incongruo tempore adhibita, quorſum etiam venena ſunt ducenda; abſurda præterea varia, ut creta, calx, carbones, cineres, ceſpites, argillæ, fiſtulæ tabacariæ, cruda oryza, alica, ex fabis caffé poſt infuſionem relictæ fœces, & neſcio quæ incondita, quæ fœminæ nonnullæ devorare gaudent. Deſiſtant ab iis, & diætam mutent in ſimpliciorem, evitent alimenta illa adeo calida ac valde aromatica; minime tamen velim, ut hæc ita ſtricte obſerventur, ac ſi alimenta fortiora plane omittere deberent, e contra, calida aquoſa, emollientia, jura carnium leniora, lacticinia, potum Caffé & Theé illis diſſaudeo, utantur potius alimentis ſiccis, fortioribus ex carnibus & oleribus, ſi modo digeſtu facilibus; pinguia,

e) Vid. Ill. SWIETENIUS Comm. Tom. I. p. 87.

guia, acida, dulcia, & dulcificata minus ſunt laudanda; optimus potus ſit ex aqua frigida, vino generoſo rubro modice adhibito, vel & cereviſia bene cocta; diverſitas porro ciborum ac potuum evitetur, & ſtudeant magis corpus ſuum reſtaurare, quam ſapori indulgere.

Motus corporisque quies moderanda ſunt: ſi enim motus nimius ſit, fluida & ſolida nimium attrita diſſolvuntur, mobiliora diſſlantur, & humores reſidui diatheſin inflammatoriam induunt, unde varia mala, inter quæ menſium ſuppreſſio primum meretur locum. Ab altera parte vitâ ſedentariâ, & otio tranquillo vis muſculoſa minuitur, ſuffocatur, circuitus ſanguinis languet, unde humores lenti, ſpiſſi, viſcoſi, atque inertes evadunt, ſecretiones & excretiones impediuntur, maxime ſi prono corpore ſedeant, alimentum imperfecte coquitur, lente propellitur, mora longiore corrumpitur, utile non ſatis emulgetur, nec depuratur, accumulantur fœces: *Unde omne genus vitiorum chyli, ructus, flatus, ſpasmus, anxietas, alvus tarda & tumens, anorexia, univerſæ officinæ infirmatio, menſtruorum inertia, degeneratio varia, meſenterii vaſculorum obſtructio, aliaque innumera mala naſcuntur f).* Et hinc non immerito cantat OVIDIUS *g*)

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut vitium capiant, ni moveantur aquæ.

 Quæ

f) Vid. Cl. GAUBII Inſt. Pathol. §. 515.
g) Eleg. ſexta.

Quæ dum ita ſint, ad præveniendа illa mala ne diutius ſedeant, quam res domeſticæ requirant, vehantur quotidie rheda, vel ambulatione quadam campeſtri gaudeant, ut die ſanæ vivant.

Quam nocivum fœminis ſit, animi pathematibus indulgere, & quam facile menſes exinde ſupprimi poſſint ex ſequentibus patebit. Gaudium ſi moderatum ſit, circulationem, ſecretionem & excretionem auget; immoderatum vero & improviſum inſomnia, inſaniam, virium reſolutionem, quin mortem provocat apoplecticam. Amor protractus & ægritudo de perdenda re amata, inquietem, languorem, anorexiam, chloroſin, tabem, noſtalgiam, melancholiam, erotomaniam &c. inducit. Ira non ſine ratione furor brevis dicitur, ſummâ enim irâ excandeſcens homo nihil differt a furibundo phrenitico: ingens enim accenditur æſtus, pulſus fit plenus, celer & validus, truces & ſcintillantes prominent oculi, ſanguine ſæpe ſuffuſi, facies torva eſt, & vultuoſa, periculoſa quævis ſpernit, & ſibi, aliisque ſæpiſſime nocet.

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculi: dicisque, facisque, quod ipſe
Non ſani hominis, non ſanus Juret Oreſtes h).

Ira etenim nervi irritantur, convelluntur, muſculi contrahuntur, ſanguis & bilis exagitantur: hinc oriuntur furores, inflammationes, febres ardentes,

h) Vid. A. PERSII Satyr. 3. in fine.

tes, P. V. turbæ enormes, errores fluidorum omniſarii, conſtrictiones ſpasmodicæ, infarctus vaſorum, ſtagnationes, obſtructiones, & menſes ſupprimuntur *i*). Odium, ac livor perſeverans, pervigilium, febrim lentam, appetitum proſtratum, inediam, pallorem, torporem, maciem, cachexiam &c. infert. Mœror vim nerveam languentem reddit, tonum partium deſtruit, motus vitales imminuit: unde pulſus tardus, contractus, circulatio lenta, inviſcatio humorum, ſanguinis coagulum, concoctionis ac nutritionis defectus, diarrhœæ, obſtructiones, ſcirrhi, melancholia, icterus, hydrops, ſomni diuturni, lethargus, catalepſis &c.; menſtruam evacuationem inde ſuppreſſam narrant FORESTUS *l*), FEL. PLATERUS *m*), & Ill. SWIETENIUS *n*). Metu dum ſaniſſimus etiam homo ſubito percellitur, illico pallidæ mortis imaginem refert, ſpasmo ſubitaneo contrahuntur vaſa cutanea, & ſanguinem in majores truncos propellunt: unde oriuntur pallor, ſiccitas, perſpirationis ſuppreſſio, attractio major, anxietas, viſcerum vitalium oppilatio, per anguſtata vaſa libera impeditur circulatio, ac naturæ ad munera ſua naſcitur impotentia. Terror cæterorum pernicioſiſſimus ſyſtema nerveum violentiſſime quaſſat, ſpas-

i) Vid. HOFFMANNI Conſ. Med. Sect. 1. Caſ. 38.
l) Obſerv. Med. Lib. 28. Obſ. 9.
m) Obſervat. Lib. 1. pag. 245.
n) Comment. Tom. I. pag. 855. & Tom. 2. p. 585.

mos, convulſiones, epilepſiam, ſtuporem, imaginationem depravatam inducit, conſtricta ſubito vaſcula minora humores verſus majora cogunt, cor inde palpitat, pulmones in angorem conjiciuntur, pallor, frigus, congeſtiones, & abortus fiunt, evacuationes ſupprimuntur, ac ſubito ſæpe moriuntur ægræ: ſic legimus apud HOFFMANNUM *o*), de quadam vidua ultra quadraginta annos nata, ſanguineo cholerica, habitus corporis ſpongioſi, ſed animi valde ſenſibilis, quæ ſub recta vivendi ratione Juventutis annos in proſpera tranſegerat valetudine; neque etiam matrimonii tempore, in quo quinque librorum felix erat mater, gravioribus infeſtata fuerat ægritudinibus: at crebram mœrorum atque ſolicitudinum habebat occaſionem; quadraginta annos nata ex vehementi terrore ſubitaneam menſium paſſa eſt ſuppreſſionem, quam cum nihil curaret, horrendi capitis dolores, vertigine, apoplecticis inſultibus, cæteriſque gravioribus ſymptomatibus ſtipati exceperunt.

Ex his dum ſatis patet, minimo etiam animi pathemate ſupprimi poſſe menſes, unicum tantummodo ſupereſt, ut moneam, quo quidem modo optime hæc pathemata ab amabili ſexu compeſci queant, quod tribus imprimis modis peragi poteſt: ratiocinio ſcilicet, excitamento contrarii affectus, & divertendo *p*). *Ra-*

o) Conſult. Med. Sect. 3. Caſ. 24. confer. Ill. SWIETENII Comment. Tom. 4. pag 418.

p) Vid. BOERHAVIUS de Cognoſc. & Curand. Morb. Aphoriſ. 104.

Ratiocinio nimirum mentis humanæ attento, quod primo videbatur gratum, meliore indagine fieri poteſt ingratum, nam placens illud vel diſplicens plerumque ab imaginatione noſtra, ab intellectu non ſatis puro, ab ideis dudum præconceptis pendet, aut ab aliis ejusmodi conditionibus, hinc diſplicet ſæpe alteri, quod alteri placet; his itaque conditionibus mutatis, mutatur etiam illud placens vel diſplicens, illa boni malive æſtimatio, ſi ergo mutetur hæc cauſſa, effectus mutetur neceſſe eſt: ſi itaque id efficere poſſent fœminæ ratione, ut idea alias ſummopere diſplicens ſibi fieret adiaphora, aut ſaltem minus diſplicens, jam affectum animi aut penitus ſupprimere, aut certe refrenare poſſent. Fateor equidem difficile eſſe hos impetus refrenare; id omnes experimur, tam parum enim rationis in his pathematibus adhibemus, atque iis tam raro obluctamur, ut ſæpiſſime etiam manifeſta mentis voluntas juncta ſit: ſed ſufficit mihi hos animi affectus refrenari poſſe.

Excitamento contrarii affectus: ſic ſupplicii metus furentem irâ hominem compeſcere poteſt, ubi pulcherrima Ethices præcepta fruſtra adhibentur. Hinc requiritur, ut cognoſcamus oppoſitos animi affectus: iram ſupprimit ſummus metus; meticuloſiſſimus homo ira fit audax; & hinc apparet, oppoſitos effectus in corpore facere animi affectus contrarios, & unum animi af-

fectum alterius eſſe poſſe medelam. Idem etiam demonſtrare poſſem, ſi cætera ſibi mutuo oppoſita animi pathemata percurrere vellem, ſed ne nimis exſpatiar, hæc allata pro exemplo ſufficiant.

Divertendo: mirabilem mens noſtra poſſidet proprietatem, quod poſſit ideas cogitatas alligare quibusdam ſignis mere arbitrariis, inter quæ & ideas cogitatas nulla plane datur ſimilitudo, poſtea tamen viſis his ſignis, eadem idea menti præſens redditur, paucis litteris varie adunatis excitantur in mente ideæ, quas ante annos habuimus, quarum idearum omnis periſſet memoria, niſi hæc ſigna arbitraria conſervaſſent; & idem in animi affectibus verum eſt. Dum ergo ideas, per hæc ſigna renovatas, comitatur illud gratum, vel ingratum, animi pathemata renaſcuntur acriora, & ſic tandem reddi poſſunt perpetua: tunc illud infinite extenſum in cogitatione, quo mens humana gaudebat, perit & relabitur in hunc unum affectum; voluntas antea infinita non vult, niſi hoc unicum, & vocatur tunc delirium; ſi ſumma violentia adſit, dicitur furor; ſi febres naſcantur & humores exagitentur, phrenitis; ſi hæc abſint, mania; ſi ſimul omnes res negligant, ſtultitia nominatur. Hinc omnes illæ notæ corporeæ, quæ has ideas renovant, ſive per ſenſus, ſive per memoriam tollendæ ſunt, quæcunque alia ipſis offerantur, ut aliæ oriantur ideæ; quæ ſenſim minuant, vel deleant nimis validam illam impreſ-

impreſſionem: ad divertendum itaque ſufficit, ut quocunque modo mutetur cogitatio, ne eadem idea diutiſſime hærens tandem totam occupet mentem, & fiat poſtea plane indelebilis; ubi vero tam validi ſunt animi affectus, ut totum inde turbetur ſyſtema nerveum, quod hyſtericæ ſæpius experiuntur, confugiant tunc ad illa omnia, quæ nervorum turbas ſopiunt, quale imprimis auxilium habebunt in ſucco papaveris parca copia ſumto, vel vini uſus in non adſuetis modicus ſimilia efficit, magnam nempe hilaritatem procreat, validos animi affectus lenit, & tandem optatam omnium malorum requiem, ſomnum inducit.

Caveant porro mulieres, ne ſomni vel vigiliarum exceſſum committant, quo multis quoque exponerentur morbis: vigiliis etenim protractis motus humorum augetur, tenuiora blanda diſſipantur, craſſa coguntur, & acria fiunt, ſic partes ſolidæ debilitatæ, continuo motu attritæ, acri humore deſtruuntur. Nimium vero dormientibus univerſæ functionum animalium officinæ torpor, ac lentor circulationis naſcitur, increſcit obeſitas, & eadem fere effecta, quæ nimia quies producere poteſt, exinde oriuntur; id enim quod exhalari deberet, accumulatur, ſpiſſitudine frigida humores afficiuntur, ſecretiones & excretiones ſupprimuntur, ac menſtrua evacuatio vel retardatur vel plane ſupprimitur.

Excreta & retenta ne naturæ limites egrediantur,

tur, *Nam ut ſuus corpori vigor conſtet, egeſtorum non minus, quam ingeſtorum, certa quædam ratio & modus eſſe debet, nec excerni retinenda, nec retineri excernenda. Utrumvis enim acciderit, id nocumento eſt q)*. Spectant huc imprimis ſuppreſſio alvi diuturna, lotii retentio, perſpiratio modum excedens, & nimia ſudatio; quas omnes multorum malorum cauſſas facillime evitare poſſunt mulieres. Sed & alia adhuc hic memorari debet cauſſa, nimia nempe ſanguinis jactura per quaſcumque vias facta, qua virium oritur defectus, circulatio languet, naſcitur pallor, & omnes infirmantur actiones, & ſæpiſſime hæc mala fœminæ ipſa ſua culpa ſibi adſciſcunt: ſunt enim quamplurimæ, quæ ad minimam etiam a ſtatu ſano aberrationem, ſtatim ſibi venam ſecari velint, imo quæ ſemel, bis, ter, vel & quater quotannis licet ſaniſſimæ V. S. inſtitui jubent, qua menſium ſuppreſſio præter plura alia frequentiſſime provocatur. Sed ut natúra omnibus tempore adſueſcat, ita vel præter neceſſitatem inſtitutæ ſanguinis miſſiones etiam in conſuetudinem abeunt, nec tunc omitti impune poſſunt; nam ſi ſemel modo omittatur, plethora, circuitus ſuffocatio, motus irregulares, ſpasmi, congeſtiones, inflammationes cum ſuis oriuntur ſequelis *r*). Sic etiam haud minus periculoſum eſt, ſanguinis effluvium naturale, vel cui natura

adſueta

q) Vid. GAUBII Inſt. Pathol. §. 555.
r) Vid. Cl. GAUBIUS l. c. §. 565.

adſueta eſt, ſupprimere, nam in plerisque ſanis ad colligendum humorum ſuperpondium pronitas ineſt, qua neceſſariæ & tolerabiles redduntur evacuationes: ſuppreſſa præterea menſium evacuatio per alias ſæpe vias ſe evacuat, ut per oculos, aures, nares, gingivas, pulmones, œſophagum, vaſa meſenterica, hæmorrhoidalia, per veſicam, mammas, & varia corporis loca; quas evacuationes præternaturales quidem, ſed ſalutari Naturæ molimine provocatas, ſi ſupprimerent fœminæ, malum malo adderent: hinc recte monet HIPPOCRATES *s)*: *Mulieri, menſtruis deficientibus, ſanguinem ex naribus fluere, bonum.*

Inter applicata, a quibus abſtinere debent mulieres ne menſtrua ſupprimantur, pertinet imprimis aër frigidus, nebuloſus aut craſſus calenti corpori admotus, quo vaſa omnia, inter quæ etiam uterina, ſubito ſæpe ſpaſtice conſtringuntur, ac menſium evacuatio ceſſat: ſic a ſaltu in aquam eo tempore, quo fluebant, ſuppreſſa menſtrua fuiſſe apud FORESTUM *t)* legimus. Et narrat HOFFMANNUS *u)* de quadam fœmina generoſa, duos & viginti annos nata, quæ in conjugio, quo jam per quinquennium fungebatur, ſterili vivebat, inito matrimonio cruorem menſtruum, qui antea nunquam

s) Aphor. 33. Sect. 5.
t) Lib. 28. Obſ. 2.
u) Conſ. Med. Sect. 3. Caſ. 33.

quam fluxerat, partim ipſius matrimonii, partim multorum remediorum ope, reddere demum cœpit. Accidit autem aliquando, ut dum menſes fluerent, ſub itinere gelidiſſimo hyeme facto, ex rheda in nivem præcipitata, vi frigoris pariter ac terroris protinus lunare tributum perſolvere deſierit, quod cum primo ex puerili verecundia, vel ignorantia reticuiſſet, abhinc diris ſollicitabatur ſymptomatibus. Frigus præterea pedum valde nocivum eſt & ſubito ſæpe menſes ſupprimit: hinc conſuetudo illa multarum eſt diſſuadenda, quæ ut domicilia ſua nitida & ſordibus repurgata conſervent, quotidie pavimentis frigidis præcipue marmoreis ſine calceamentis incedant; ſolent enim ab hac cauſſa, contractis ſpasmodice inteſtinis, dolores oriri colici moleſtiſſimi, vaſa uterina conſtringi, & fluor menſtruus ſupprimi *v*). Nocet porro balneorum, pedilaviorum, epithematum, fomentorum uſus incautus frigidus, quæ, ſi adhiberi debent, adhibeantur tepida, ut frigus impediatur, & calor ſervetur naturalis. In his maximopere laboravit HIPPOCRATES, ut calore blando humectante foveret hæc loca: ſic *x*) aquam calidam ad uteros, & ambientia loca affundere, eosque ac crura excalefacere juſſit. Totum corpus *y*), ac præſertim uteros leniter foveri,

v) Vid. SWIETENIUS Comment. Tom. 4. p. 438.

x) De Morb. Mulierum Lib. 2. cap. 27. CHARTERI pag. 816.

y) L. c. cap. 28.

foveri, & bis de die calida lavari præcepit. Dum autem reliquum corpus non indigeret medela, *ſed uteri per ſe morbum haberent* ſolos uteros fovebat balneo vaporis, ſic directo per arundinem, ut calentis aquæ, non tamen nimium fervidæ, adſcendens vapor in uteri cavum venire poſſet, ſimulque ibi methodum & cautelas neceſſarias deſcribit *z*). Alio in loco *a*) ſuadet, ut ventri applicentur pelles agninæ calidæ, lana ſua adhuc tectæ, & ſimilia plura hinc inde paſſim laudat. Nocent porro capitis intempeſtiva refrigeratio, & denudatio, eo imprimis tempore, quo menſtruantur, veſtes & ligaturæ nimis ſtrictæ, atque arctæ, quibus mulieres, præcipue tamen virgines adeo gaudent, quibus circulatio libera impeditur; vaſa comprimuntur, obſtruuntur, & tandem inflammantur. Poſſem hic in campum ſane ampliſſimum exſpatiari, ſi noxas ex loricis illis balænaceis explicare vellem, dum vero poſtea de his agere inſtitui, nunc, priusquam huic §. finem imponam, ſexui amabili ſuadeo, ne unquam poſt puerperium remedia adſtringentia, utero vel vaginæ admoveant, quæ a multis applicantur, ut utero conſtricto, ac vagina coarctata, coitus eo voluptuoſior poſtea celebretur; ſed licet hæc vera ſint, uſus tamen horum remediorum valde nocivus eſt, & cauſſa ſæpius ſuppreſſio-

nis

z) L. c. cap. 20. pag. 808.
a) De ſuperfœtat. cap. 17. ibid. pag. 869.

nis menſium exiſtit. Virgines denique pudicitiæ, honeſtatis, ac nitoris gratia, menſtruationis tempore, vaginæ ſuæ linteamina ſupprimentia, ſpongias, & multa alia admovent, ne induſia ſua, & cætera veſtimenta ſanguine menſtruo tingantur; ſed perverſa ſane pudicitia noxasque plurimas provocans: vaſa etenim inde comprimuntur, menſes ſupprimuntur, obſtructiones, inflammationes & plura oriuntur mala, quæ omnia præcaveri poſſent, ſi inutilia illa & inaudita amoverentur.

§. III.

Quamvis graviditas pro morbo habenda non ſit, atque adeo pauca ex ea provocentur mala, gravidas tamen, ut minus uteri hæmorrhagiæ, abortui & malis inde oriundis exponantur, monere debeo, a quibus imprimis caveant, inter quæ animi pathemata primum obtinent locum: his enim, imprimis ira & terrore, ingentes generis nervoſi oriuntur turbæ, paſſione hyſterica afficiuntur, non raro abortiuntur, vel & moriuntur. Sic fœmina quædam triginta annorum robuſta & proceræ ſtaturæ, quotidie fere in foro verſabatur, quo rixis quotidianis indulgere ſolebat; quum jam graviditatis termino proxima eſſet, ſubita excandeſcit ira, dum vicina mulier puerum ejus quinque annos natum percuteret; mox aliquid inſoliti ſentiens in corpore, prædixit ſe inde morituram; poſt aliquot dies ſubito

pro-

profuſa uteri ſequitur hæmorrhagia, unde convulſa periit, antequam quid tentari poſſet, ut ſervaretur: in cadavere inveniebantur bini fœtus generis maſculini, ſanguine nigro, coagulato undique tecti, quo & uterus plenus erat, propter placentæ, ejusque vaſorum rupturam *b*). Hinc diſcant gravidæ, quantum ab animi affectibus cavere debeant, ut & adſtantes, ne imprudentia prægnantes irritent, vel inopinato nuncio, bono vel malo, illas percellant: qualem caſum vidit SWIETENIUS *c*) in quadam gravida, quæ placidiſſime dormiverat, dum in vicinia periculoſum erat incendium; mater ejus ſollicita, mane accurrit, & gratulabatur filiæ, quod blandus ſomnus omnem timorem arcuiſſet: mox incepit tremere miſera toto corpore, & angi, totus ſimul lectus inundabatur ſanguine, ſequente animi deliquio, & convulſionibus; aſt tamen a periculoſa hac uteri hæmorrhagia convaluit, ſed fœtum quadrimeſtrem abortiens perdidit. Motus præterea corporis nimii valde nocent, & ſæpiſſime uteri hæmorrhagiam & abortum provocant; hinc patet, quanto ſe periculo exponant gravidæ, quæ choreis ducendis indulgent, vel itinera ſuſcipiunt, præſertim ſi celeriter in viis aſperis vehantur, vel nixum edunt validum, pon-

b) Vid. PEU Pratique des Accouchemens Liv. I. chap. 8. pag. 70.

c) Comment. Tom. 4. pag. 497. ſeq.

pondera elevant graviora, vel labuntur, &c.; quod doluit MAURICEAU *d*) contigiſſe propriæ ſorori, quæ, ultimo graviditatis menſe in genua prolapſa, tumente abdomine humo impegerat, & dum non multùm incommodi per unum alterumve diem perciperet, neglexit quietem corporis adeo neceſſariam; at tertio die ſubito ſenſit validos abdominis dolores, mox ſequente valida uteri hæmorrhagia, qua periit. Cantatrici, quæ conceperat, juſſit HIPPOCRATES *e*), *ut in terram deſiliret: quum jam ſeptiesl exſiliiſſet, genitura in terram defluxit, & fiebat ſonitus.* (Ex quo conſilio abunde patet, HIPPOCRATEM hujus libri minime eſſe Auctorem, quum Jurijurando aperte contrariatur). Caveant porro a cantu, vociferatione nimia, coitu immoderato, petulantiore *f*). Veſtes ſint liberæ, abſint thoraces illi balænacei, quibus tot oriuntur mala. Effugiant quoque remedia illa, *Emmenagoga* dicta, quæ tam frequenter a nonnullis adhibentur: exſtant enim plures tales mulieres, quæ Medicos decipere tentant, dum fœtum perdere velint, ut ignominiam tegant, imprimis graviditatis initio, dum nondum aucta abdominis moles certam graviditatem

d) Traité des malad. des femm. groſſ. Liv. I. Chap. 21. pag. 162.

e) De Natura Pueri Cap. 2. CHARTERI Tom. 5. pag. 312.

f) Vid. Cl. GAUBII Inſt. Pathol. §. 8 9.

ditatem monſtrat, conqueruntur tunc de menſium ſuppreſſione, ſimulque valida remedia petunt, aſſerentes firmum adeo corporis robur eſſe, ut a lenioribus nihil ſperare liceat; immo ſunt, quæ hortis ſuis ſabinæ frutices alant, ut ejus uſu, absque graviditatis metu coitum celebrare poſſint; ſed revera præſtaret, ut tales licitum inirent matrimonium, & nefanda talia omitterent. Purgantia denique acriora vitentur a gravidis, quum non tantum moleſta abdominis tormina, ſed & teneſmum circa inteſtinum rectum faciant; qui, teſte HIPPOCRATE *g*), *ſi mulieri utero gerenti oboriatur, abortum efficit: quia tali contentione, & moleſta ſollicitatione cum totum corpus, tum præ cæteris uterus, recto inteſtino coaleſcens, laborat h*).

§. IV.

Ut morbi mammarum conſenſuales ex lochiorum ſuppreſſione & inde nata ſæpius uteri inflammatione, cæterique morbi ex puerperio oriundi, evitentur, multum conferre poſſunt puerperæ, dummodo animi pathematibus non indulgeant: ſic a terrore valido lochia ſuppreſſa vidit SWIETENIUS *i*); a terrore, & iracundia eosdem obſervavit effectus Doct. VAN LIER *l*).

Ee 2 Vix

g) Sect. 7. Aphor. 27.
h) L. c. Tom. 9. pag. 305.
i) Comment. Tom. 4. pag. 622.
l) Vid. ſupra Sect. 2. cap. 1. §. 4.

Vix enim credi poteſt, quam mobiles ſint puerperæ in toto genere nervoſo, præcipue ſi teneræ, molliter educatæ, ac malo hyſterico ſint obnoxiæ: triſtiſſimos iræ & terroris effectus narrat PEU *m)*. Nocent hinc etiam importunæ amicarum gratulandi gratia viſitationes; & præcipue abrogandus ille mos, qui apud Nobiliores adeo invaluit, quod ſcilicet vix obtinere poſſit, ut in aliud conclave remotius a puerpera illæ conveniant, quæ ex amicitia vel more quotidie accurrunt, puerperam ſalutaturæ. Omnes ergo motus animi ſedulo vitandi ſunt, ob omni cura domeſtica arceantur puerperæ, lætus vel triſtis amoveatur nuncius, ne pacata mentis tranquillitas turbetur: hunc in finem prudenti lege HARLEMI (quæ HOLLANDIAE urbs eſt) cautum, ne toto puerperii tempore quid fiat, quod neceſſariam puerperæ quietem turbare poſſit, ſignum affigitur Januæ domus, in qua decumbit puerpera, quo viſo, non licet lictori, apparitori, vel alii cuicunque juſtitiæ miniſtro hanc domum ingredi. Tantam Reſpublica curam habendam voluit mulieris, quæ civem Patriæ dedit! Optimi cives venerari fœcundas matres a teneris aſſueti omnem a vicinia ſtrepitum ſollicite arcent. Pulchrum ſane, & imitatione dignum exemplum! Nocivi præterea ſunt fragrantes illi odores, quibus multæ tam frequenter abuti ſolent,

m) La Pratiq. des Accouch, Liv. 1. Chap. 8. pag. 75.

lent, ut mutatis veſtibus tota cutis illis imbuta maneat, unde enormes capitis dolores, deliria, lochiorum ſuppreſſiones ſæpius oriuntur *n)*; ſpectant huc quoque noduli ex fœtidis uterinis compoſiti, qui puerperarum lectis adnecti ſolent, & ſua quandoque graveolentia haud raro moleſti ſunt. Quies præterea corporis quam maxime neceſſaria eſt, eamque abſolutam ad plures dies protractam voluit SYDENHAMUS *o)*, nam credebat ex illis, quæ in puerperio moriuntur, vix decimam quamque perire ob defectum virium, aut toleratos labores, ſed ideo tantum, quod debito citius e lecto ſurrexerint, *quamobrem*, inquit, *iſtis, quæ me audiunt ubique autor ſum, ut ad diem ſaltem decimum in lecto ſe contineant, ſi modo naturæ paullo debilioris ſint, præcipue ſi vaporibus, qui vulgo dicuntur, jam pridem fuerint tentatæ.* LEVRET *p)* in illis, quæ flaccidum corpus habent, & vitam egerunt ſedentariam, caveri juſſit, ne ante duodecimum diem vel pedem lecto efferant. Abdomen porro molliter fulciatur, nam faſciæ valide conſtrictæ maximopere nocent: mirabatur PEU *q)* accedens ſecundo poſt partum die juvenem puerperam, quam feliciter liberaverat, anxiam jacere, oculis ſcintillantibus ob immanem capitis dolo-

n) Vid. PEU l. c. pag. 230.
o) Diſſert. Epiſt. pag. 532.
p) l'Art des Accouch. pag. 139.
q) L. c. pag. 139.

dolorem, inſomnem penitus, aderant nauſea, tuſſis, animi leve deliquium, fœtidi ructus, dolor lateris ſiniſtri, lochiorum ſuppreſſio: ſubito binæ inſtituebantur venæ ſectiones in brachio, tertia in pede, & tamen augebantur omnia ſymptomata; dum ulterius inquirebatur in cauſſam tot malorum, inveniebatur abdomen faſcia valide adeo ſtrictum, ut mirum videretur, illam potuiſſe reſpirare; ſolvebatur faſcia, mox redierunt lochia, & omnia cætera mala ſymptomata plane evanuerunt. Urina in recens enixis puerperis retineri non debet, nam utero vacuo, veſica facillime extra modum absque ullo mingendi nixu, extenditur: hinc ſemper monendum, ut, poſtquam aliquot horas quieverint, tentent excernere urinam, quamvis nullum ad mingendum ſentiant ſtimulum; ſic & alvus ſi ſtricta poſt partum ſit, tuto ducatur injecto clysmate, ſed leni tantum, ex decocto emollienti cum una alterave olei Amygdalarum Uncia, & eadem ſyrupi Altheæ quantitate; nam ſcopus tantummodo eſt, lubricare vias, & fœces emollire, ut facilius exire poſſint. Multi porro nimis religioſe quietem in puerperio ſervandam jubent, ut piaculum credant, ſi induſia mutentur citius quam circa decimum a partu diem r). Sed quamvis libenter concedam, aërem frigidum puerperis imprudenter admiſſum plurimum nocere, imprimis ſi partibus

r) Vid. LEVRET l. c. pag. 139.

tibus inferioribus applicetur, negari tamen nequit, lochiis conſpurcata linteamina calore corporis cito corrumpi, unde fœtor peſſimus puerperis adeo nocivus oriatur *s*): hinc conducit ut lintea citius, ſed maxima cum cautela mutentur, ne humida vel frigida adhibeantur; hunc in ſcopum utantur induſio breviori ad umbilicum tantum pertingente, reliquum corpus tegatur linteo, quod procinctorii adinſtar circumapplicetur, & cito & facile absque mutatione corporis, mutari poſſit; ſed ſicciſſima hæc omnia, tepida, vel & fumo Olibani, vel Maſtiches, imbuta adhibeantur: quæ omnia ut facilius peragantur, Ditiores binos conſtruere ſolent lectulos, ſibi invicem exacte contiguos, qui faciliime, & ſine ſtrepitu removeri poſſunt; pedes horum lectulorum rotulis, in omnem directionem volubilibus, inſtructi ſunt; & dum contigui ſunt hi lectuli, facile puerpera ex uno in alterum devolvitur, & ſic omnia depurari poſſunt, unde magnum ſane levamen percipiunt. Victus debet eſſe mollis, levis, facilis digeſtionis, ſed alendo corpori aptus ex avena, hordeo, oryza & ſimilibus, juſculis carnium non nimis meracis, ſæpius de die, ſed parca copia exhibitis; abſtineant a carnibus, donec febris lactea ceſſaverit, concedantur dein ſenſim carnes albæ, minori prius, deinde prudenter

s) Vid. SWIETENIUS Comm. Tom. 4. p. 626. confer. PEU l. c. Liv. 2. Chap. 1. §. 3. p. 268.

aucta doſi, prout appetitus, & digeſtio vegeta creſcant. Potus pariter blandus, tenuis & copioſus ſit, ut diluantur humores ac meabiles maneant; a vino primis ſaltem diebus abſtineant, niſi languor aliquam ejus copiam requirat; adſuetis aqua prodeſt, ſic & blandæ emulſiones, infuſiones ex herbis emollientibus, cereviſia recens bene defœcata, mollis &c. ſed bene attendendum, ut potus, qualiscunque ſit, concedatur ſubtepidus, nunquam frigidus, ne tormina, horrores, ac lochiorum ſuppreſſio oriantur. Ut feliciter denique abſolvatur puerperium, garrulæ nimis cuſtodes amoveantur, muta ſint miniſteria, in loco ſuboſcuro, ac dubia in luce decumbant, vitentur omnia, quæ ſenſus valide afficere poſſunt.

§. V.

Morbi mammarum per ſympathiam ex leucorrhœa naſcituri optime præveniuntur, ſi ejus evitentur cauſſæ, quibus licet quotidie expoſitæ ſint mulieres, multum tamen conferre poſſunt, ut ab ea immunes maneant. Et hic iterum animi pathemata quam maxime arcenda ſunt, amor etenim inſanus valde nocet: a terrore ac mœrore ortam leucorrhœam narrat Cl. TRNKA DE KRZOWITZ (t). Caveant ſibi ab aëre frigido & humido, qualis in locis depreſſis, aquoſis, menſibus inprimis autumnalibus, hybernis, ac

t) Hiſtor. Leucorrh. Part. I. Cap. 4. §. II.

ac primo vere regnante *(u)*; a pavimentis lapideis præcipue marmoreis; a frequenti pavimenti aquâ frigida deterſione, unde ſexus ſequioris, maxime puerperarum & infantum fata: hinc pauperes, quæ in quibusdam ANGLIAE Urbibus ob caritatem aliarum habitationum in cellis ſubterraneis vitam degunt, plurimis morbis & præcipue huic fluxui expoſitæ cernuntur. Evitentur cibi crudi, viſcoſi, glutinoſi, difficilis digeſtionis, acida, dulcia majori copia aſſumta, potus nimius aquoſus tepidus Caffe & Theé (v). Abſtineant ſe ab immoderato & perverſo uſu croci, quo humores mirifice diſſolvuntur, ab emmenagogis fortioribus, vel incaute adhibitis, a purgantibus draſticis, fortibus, repetitis, & ſudoriferis intempeſtive uſitatis. Quies nimia, vita ſedentaria, ac ſomnus nimius evitentur, ut & vigiliæ protractæ, quatenus cacochymiam inducere valent; ſed e contra utantur illis, quæ motu vaſa & fibras roborant, effugiantur omnia, quibus menſtrua retardari, ſupprimi, vel nec ſolito ordine ſuccedere poſſunt. Nocent porro linteaminum in lixivio ſaponaceo lotiones, balnea,

Ee 5 pri-

u) Vid. TRNKA DE KRZOWITZ l. c. §. 13.

v) Vid. SWIETENII Comment. Tom. 3. pag. 333. Ut vero noxæ ex abuſu aquæ calidæ evidentius pateant, totus hic elegantiſſimus ſane immortalis GAUBII ex Pathologicis Aphoriſmus 474. conferri meretur.

fomenta, cataplasmata laxantia, emollientia, inprimis calida partibus applicata, teſtæ prunis ardentibus inſtructæ pedibus ſuppoſitæ, lectuli excalefacti &c. *x)*; venus præmatura, immodica valde nociva invenitur: orgasmo etenim venereo humores uberius ad muliebria provocantur, vaſa laxantur, ac fluor albus oritur, ut quotidie in meretriculis, quæ frequenter admodum hoc fluxu laborant, obſervari poteſt, ſic & in recens nuptis rei veritas vel maxime etiam ſæpiſſime eluceſcit, quæ admiſſo per principia crebrius marito, haud ita multo poſt voluptatis immoderatæ pœnas ſæpius luunt *y*): crebrior genitalium, ac præſertim vaginæ titillatio & irritatio eosdem effectus procreare poſſunt, qualiscunque etenim ſtimulus mechanicus vaginæ applicatus leucorrhæam interdum provocare valet, qualem nobis caſum narrat TRNKA DE KRZOWITZ *z*): *Puellæ*, inquit, *cum inſigne ſpongiæ marinæ fruſtum vaginæ* (*neſcio cur*) *inditum aliquot intra horas adeo intumuiſſet, ut ſeſe non amplius eximi pateretur, poſt complures dies obortus fluxus, albo ſimilis, teterrimi fœtoris, accedente lotii ardore, ſymptomatibusque gonorrhææ virulentæ ſolennibus: donec detectâ ſpongiâ, multoque cum fœtore*

x) Vid. Doct. BICKER Raadgeeving. voor de gezondheit der groote en rijke Lieden p. 174.

y) Vid. TRNKA DE KRZOWITZ §. 14. pag. 43. ſeq.

z) L. c. pag. 45 & 46.

fœtore eductâ, fluxus ille conquievit. Spectat & huc horrendum quoddam, cui nonnullæ in detrimentum ſui ipſius, ac totius generis humani ſæpe indulgent, intelligo nempe *Tribadiſmum*, quo ſe ipſas, alias, ac prolem, ſi unquam poſtea naſcituram perdunt, ac Συνδρομὴν malorum ſibi adſciſcunt, quæ mala optime expreſſit TISSOTUS *a*).

§. VI.

Ut lues venerea, qua imprimis afficiuntur meretrices & morbi mammarum inde oriundi evitentur, optimum conſiſtit prophylacticum in eo, ut mulieres coitum celebrare deſinant: ſapienti vero Naturæ inſtinctu, ne genus humanum brevi perderetur, pubertatis tempore igniculis venereis incitantur omnes, & ſexus alter alterum appetit: *trahuntur, ruuntque eo absque diſcrimine omnes b).* Quapropter ut malum hoc peſtiferum non tantum, verum & cætera mala ex cœlibatu oriunda, tum & ea, quibus puellæ ex inſano amore recondito, vel & laſcivis genitalium contrectationibus, ſæpiſſime afficiuntur, effugiantur, optimum erit, ut licitum ineant matrimonium, quo moderata venere gaudeant, ac generis humani procreationi incumbant. Et quam utile

a) De Onanismo pag. 51.
b) Vid. Cl. ALBINUS de Nat. Hom. p. 232. §. 1406.

utile & neceſſarium HIPPOCRATES *c*), virginibus matrimonium putet, patet ex ejus dictis, dum moleſta recenſet ſymptomata, quibus viro maturæ virgines afficiuntur: *cum*, inquit, *ſanguis in uteros confluit, velut effluxurus, & tamen effluvium non habet;* deinde dicit: *Ego vero impero virgines his pathematis affectas, quam citiſſime viro jungi.* Et alio in loco *d*), poſtquam varia ad menſium ſuppreſſionem tollendam ſuaſit, addit: *morbo autem liberabitur, ubi conceperit.* Et majorem adhuc effectum ſperavit, ſi mulier peperit; *de mulierum morbis*, inquit *e*), *ſic enuncio, mulierem quæ non peperit, gravius & celerius a menſibus, quam partum expertam, ægrotare; quum enim peperit, ei venulæ ad menſtrua ſunt meabiliores; meabiles autem ipſas faciunt lochia, quæ purgatio quædam eſt &c. His ita conſtitutis, quum mulier puerperii purgamenta experta fuerit, minus laborioſe menſtruis purgatur; quod ſi mulieri, quæ jam peperit, affectio aliqua oboriatur, ita ut procedentes menſes rite repurgari nequeant, ea facilius, quam ſi haud peperiſſet, laborem feret. Aſſueti namque ſunt uteri & corpus, ut impleatur, idoneum, nimirum utero gerenti, ſimulque magna eſt in corpore amplitudo.* Et mirabilem certe caſum, ma-

c) De Virginum Affect. l. c. Tom. 7. p. 679. ſeq.
d) De Natur. Mulieb. cap. 8. Ibid. pag. 685.
e) De Morb. Mulier. Lib. I. cap. I. Ibid. pag. 728. ſeq.

matrimonii utilitatem demonſtrantem ex Actis Pariſinis nobis narrat Ill. SWIETENIUS *f*) cujusdam ſcilicet, *fœminæ, quæ decimo ſexto ætatis anno nupſerat, vagina erat adeo anguſta, ut vix calamum admitteret, dolorem tenſivum in utero ſentiebat menſtruorum tempore, quæ libere non fluebant, unde credebatur vaginam adhuc anguſtiorem eſſe prope uterum, quam circa exterius orificium. Fruſtra tentaverat juvenis & validus maritus viam parare; nihil tentari poſſe, crediderat Chirurgus. Poſt undecim annos gravida invenitur, licet vagina æque arcta foret, ac ante. Omnes de partu futuro deſperabant; verum circa quintum graviditatis menſem ſponte vagina incepit dilatari, atque circa finem, inſtante partu, debitam amplitudinem acquiſivit, & mulier feliciſſime peperit.* Et narrat TRNKA DE KRZOWITZ *g*) de quadam fœmina, cui, dum virgo eſſet: menſtruæ evacuationi plerumque ſuccedebat fluor albus, fruſtulis craſſioribus, albuminis ovi cocti adinſtar ſtipatus, neque ante deſiit hoc vitium, quam cum viro conſueſceret; tunc enim ſuppreſſo illo fluxu, menſtrua ſola ordine profluxerunt. Ex his dum clare eluceſcit, matrimonium, ac moderatum veneris uſum ſexui ſequiori optimum prophylacticum, & multorum malorum exiſtere remedium, illud ideo ſatis laudari

f) Comment. Tom. 4. pag. 436.
g) Hiſtor. Leucorrh. Part. 2. Cap. 12. p. 283.

dari nequit. Sed hic iterum perverſus mulierum mos regnat, quod nempe ipſis illiceat amores ſuos occultos cum viris, quos clandeſtine amant, communicare, priusquam ſexus potior de amore ad illas verba quædam fecerit, lex ſane amabili ſexui dura nimis ac ſevera, quæ ſi locum non haberet, morbi virginum præcaverentur plurimi, rixæ maritos inter & uxores eſſent pauciores; nec & matrimoniorum divortia tam frequentia eſſent, ac hodie videmus.

§. VII.

Abſolutis jam mammarum morbis; ex utero oriundis, videamus breviter, quid fœminis agendum, ut morbi uteri per conſenſum ex mammarum affectionibus redundantes, avertantur. Quarum affectiones dum plerumque easdem agnoſcunt cauſſas, his ſimul ſumtis evitandis regulas quasdam tradere tentabo. Et hic iterum animi pathemata primo loco ſunt nominanda, imprimis fortiora illa, quæ omnino ſunt compeſcenda, nam præterquam quod ab illis lactis ſecretio, & excretio ſæpiſſime impediantur, ſcirrhi quoque, & cancri exinde provenire poſſunt; vidit enim Ill. SWIETENIUS *h)* mulierem ſanam, ſubito terrore affectam, mox tumore in mamma correptam, qui, licet optimis tractatus remediis, in ſcirrhum irreſolubilem induruit. Sed præter hos animi affectus compeſcendos, ſuctio

h) Tom. I. pag. 190.

ſuctio neceſſaria quam maxime eſt, hac etenim neglecta, ſecretio lactis impeditur, & varia inde in toto corpore, præter morbos mammarum topicos, oriuntur mala *i)*, quæ omnia effugere poſſent, dummodo infantem ſuum lactare vellent: ſed peccant potius contra ſapiens ac divinum Naturæ inſtitutum, quas pudet infantes proprios lacte ſuo alere; immo noſco nonnullas mulieres, matrum nomine plane indignas, quæ ſtatim, ac partum enixæ fuerint, mammis ſuis remedia quædam repellentia & exſiccantia applicant, ut lactis ſecretio impediatur, ne mammæ venuſtam ſuam amittant formam, quæque infantem ſuum alterius ſtatim curæ committant, &, ne ejulatu ipſius aggraventur, puerperii tempore in alterius habitaculum transportari jubent, ut ibi pultibus adimpleatur, & a lacte humano abſtineatur. Sed abſit pudor! dum hiſtoria ſacra & profana teſtatur, Reginas & Principes uxores ubera dediſſe propriis infantibus, immo ipſis fuiſſe piaculum, ſi naturali huic legi non obedirent *l)*, & ſumant exemplum ex hiſtoria, quam narrat BROUZET *m)* de Regina quadam GALLIAE, quæ filio ubera præbebat, nec ceſſare voluit, licet ægrotaret; dumque paroxyſmi febris intermittentis

i) Vid. Doct. BICKER over het Zog der Vrouwen pag. 43. ſeq.

l) Vid. VAN DER MONDE ſur la maniére de perfectionner l'Eſpèce Humaine T. 2. Chap. 5.

m) Sur l'Education Medic. pag. 166.

tis tempore alia Matrona mammas porrexiſſet ſitienti & ejulanti puello, ægre hoc adeo tulit, ut digito in os infantis immiſſo vomitum excitaverit, nolens, ut alia materno ſuo munere fungeretur. Quapropter ſuadendum ſemper eſt puerperam, *totam integram eſſe matrem filii ſui, quod eſt enim hoc contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus, peperiſſe ac ſtatim abjeciſſe abs ſeſe? aluiſſe in utero ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret, non alere nunc ſuo lacte quod videat, jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem? an tu quoque putas, Naturam fœminis mammarum ubera quaſi quosdam nævulos venuſtiores, non liberorum alendorum, ſed, ornandi pectoris cauſſa dediſſe? ſic enim, quod a vobis ſcilicet abeſt, pleræque illæ prodigioſæ mulieres fontem illum ſanctiſſimum corporis, generis humani educatorem, arefacere & exſtinguere, cum periculo quoque averſi corruptique lactis, laborant, tanquam pulchritudinis ſibi inſignia devenuſtet &c. n*). Sed exſtant tamen hodie nonnullæ quidem mulieres, quæ, ratiocinio utentes, infantes ſuos libenter admodum lacte ſuo alere vellent, ſed propter organicam mammarum fabricam deſtructam deſiderio ſuo ſatisfacere impediuntur. quarum deſtructionem ipſæ ſæpe cauſſantur, ſive per laſcivas luctationes, quibus adeo deditæ ſunt noſtræ virgines, per

n) Vid. GELLII Noct. Attic. Lib. 12. pag. 281.

per contuſiones, attritus validos, vulnera &c.; ſive per veſtimenta nimis arcta, quibus mammæ in naturalem formam excreſcere nequeunt, papillæ apta altitudine deſtituuntur, tumores, indurationes, ſcirrhi & exinde cancri ſæpiſſime ſuboriuntur, & quibus perverſa matrum cura a teneris jam aſſueſcunt virgunculæ, ut pubertatis tempore juſtam infundibiliformen habeant ſtaturam, Magnatibus valde laudatam, ſed ſanitati maxime nocivam; innuo nempe imprimis thoraces illos balænacios, quorum ingentes noxas, ut finem diſſertationi imponam, nunc denique referre lubet. His enim non tantum muſculorum actiones, omniumque organorum functiones impediuntur, hinc non immerito ſequentia ſcripſit Doct. BICKER: o) *Door hunne ſterke pranging verengen zy de ruimte of holligheid van borſt en buik, zoodanig dat zy de ademhaaling benaauwen, de ſpysverteering belemmeren, den omloop des bloeds ſtremmen, en alle de ingewanden in hunne werkingen verhinderen — Verder drukken, perſſen en kneuzen zy de ingehouden zoo wel als de houdende deelen van borſt en buik dermaate, dat' er dikwyls gevaarlyke verſtoppingen, ontſteekingen, verhardingen, verzweeringen, knæſtgezwellen, eu kankers in dezelven door ontſtaan.* Sed & membra

o) Raadgeev. vour de groote en rijke Lieden pag. 163.

membra continua preſſione redduntur deformia, uti ſæpe in Primatibus Mulieribus obſervatur, quamobrem Auctor *p*) quidam jure dixit: *de Natuur heeft haar misnægen over deze gewoonte op de zigtbaarſte wyze betoond, door meer dan de helft der Vrouwen van fatzoen, in meerderen of minderen graad wanſtaltig te maaken, wanſtaltigheid is aan het beſchaafde gedeelte van het Menſchdom eigen, en meeſtal onzer eigen handen werk.* Immo pudet illas ſine his loricis anxie vinctis in publicum prodire, quod optime expreſſit Ill. FORMEY *q*): *dit ſchandelijk gebruik is in* HOLLAND *in zulk eene hoogachting, dat zelfs de burger Vrouwen niet zonder baleinen Keurslyven in 't openbaar verſchynen durven.* Et rectiſſime his adjecit Doct. BICKER *r*): quod nempe Noſtrates mulierculæ ſuam crederent expugnare pudicitiam, niſi thorace balænacio arctiſſime vinctæ in publicum prodirent, vel aliquem admitterent. Sed credant potius, quod ſummus CREATOR homini perfectiſſimam conciliaverit formam, & ſimul ſatis curaverit, quod absque talibus inutilibus, quin perniciosiſſimis vinculis elegantiſſimam homo acquireret ſtaturam, eamque ſervaret. Nonne mammæ muliebres optime & elegantiſſime for-

matæ

p) Vid. Doct. BICKER l. c. pag. 166.
q) Vid. Doct. BICKER l. c. pag. 162.
r) L. c.

matæ ſunt? nihil certiſſime omni veritate majus, licet plurimæ virgines & mulierculæ huic venuſtati mammarum naturali diffidant: nam mammas ſuas talibus loricis adeo ſæpe comprimunt, ut pars organica illarum deſtruatur, ideoque propriam ſuam ſobolem lacte ſuo nutrire impediantur: en quantum publico commodo detrimentum! Sed quod magis eſt, & omni omnino vituperatione dignum, quin illicitum, pudet ſæpe Mulierculas Primates, & forte alias nonnullas urbanas, eſſe gravidas, licet per legitimum matrimonium gravidæ factæ ſint; & hinc tunc temporis longe arctius, quam ſolebant hisce loricis, in ſui ipſius, tum & prolis naſcituræ detrimentum, ſe vinciunt, ne aliquis videat, quod graviditatis ſtatum adertæ ſint: ſic Ill. LUDWIG *s*) narrat ex tali lorica inventum fuiſſe veſtigium in fronte infantis. En graviditas jam inſignis evaſit ignominia! ſed miror valde virgines ita perverſe cogitantes matrimonium tamen ſæpe inire, cur non potius ab illo tunc abſtinent, ut a tali infamia (graviditate) liberatæ maneant? interim illis, quæ ita cogitant, matrimonium vehementer diſſuadeo, ne orbis terrarum morboſis talibus, quibus adeo ſcatet, adimpleatur adhuc miſerrimis; ſunt certe miſerrimi! vix enim artis ope, & matris periculo tenellus ex carcere ſuo liberatus, quin iterum faſciis ſtrictiſſime vinciatur, &

Ff 2 ſic

s) Vid. UNZER in Lib. den ARTZ Tom. 5. Part. I. pag. 166.

ſic tenetur, donec deformis, tortuoſus, emaciatus, & ad omnem laborem ineptus fiat, adeoque inutile ſocietatis membrum evadat. Poſt partum præterea laborioſum mater tenellum ſuum ob deſtructam organicam mammarum fabricam nutrire nequit; aſt Natura ſemper actuoſa brevi poſt partum recens nato nutrimentum præparat, idque verſus mammas determinat, quæ pernicipſiſſima loricarum compreſſione vitiatæ, lac illud affluens recipere nequeunt, vel ſi poſſunt, ſubitiſſime tamen nonnullæ matres ejus excretionem impediunt, ne infanti ſuo nutrimentum illud præbere cogantur; Natura vero ſubito ſe de illarum audacia vindicat, illas miſerrime nempe cruciando, lac in mammis detentum inſpiſſatur, coagulatur, producit inflammationes, mammarum ſuppurationes, cum febre acuta, vehementi cephalalgia, tumoribus eriſypelatoſis, febre purpura, aliisve perturbationibus; lac inſuper in ſanguinem regurgitat, producitur febris lactea periculoſiſſima, & non raro peſſimæ ad partes nobiliores fiunt metaſtaſes lacteæ: unde horrenda oriuntur ſymptomata, quæ differunt pro parte affecta, dolores acutiſſimi, vel & anxietates, convulſiones, delirium, phrenitis, aliaque, & ſubito ſæpe inſequitur mors. At licet ab hisce malis forte liberæ maneant, nihilominus afficiuntur aliis, ut diuturnis crurum tumoribus, uteri hæmorrhagia, fluore albo, diarrhœa, febre hectica,

hectica, paralyſi, ſyſtematis nervoſi affectionibus, aliisque malis chronicis. Ex his jam ſatis ſuperque conſtare videtur, quam male ſibi conſulant Primates, aliæve urbanæ Virgines, & cæteræ mulieres, ſemet ipſas arctiſſime thoracibus illis balænaceis vinciendo, ſi ab his abſtinerent, Naturæ, Religioni, ac erga ſobolem Amori ſatisfacere poſſent, & easdem, quas Ruſtica quadrata ſequentes mererentur laudes: *Gelukkige Bœrin indedaad! zy volgt eenvoudig en gewillig de duildelyke ingeeving der Natuur; zy gehoorzaamd aan haare bevelen met even zoo weining bedenking als alle de dieren, die nooit de vruchten haarer liefde aan anderen te zoogen geeren; en zy kent even daarom, zoo min als dezen, de heilloozé gevolgen, die uit het niet zoogen ontſtaan, in tegendeel zy geniet er niet als vreugd en genægen van, en zy brengt 'er haare gezondheid en leeven, en die van haar kind de grootſte voordeelen door tæ t).*

Sed ne Lectores longiori ſermone morer, vela contraho; plura quidem de hac materie dici potuerant, ſed ejus dignitatem juveniles meos ac crudos ſuperaſſe labores ingenue fateor; quapropter L. B., ſi qua forte minus congrua ſint propoſita, vel, quæ huc ſpectabant, omiſſa, æquitate ſua corrigere, vel & ſup-

t) Vid. Doct. BICKER Lib. ſæpius citat. pag. 158.

ſupplere velit, etiam atque etiam rogo: Legibus Academicis ſatisfacere ſatagens, hæc, ut Sexui Fœmineo conſulerem, elaboravi; ſi itaque ex iis diſcant Amabiles Illæ Naturam in genere ſequi, ut plurima, quibus hodie afficiuntur, mala effugiant, ac lætam attingant Senectutem, reputabo, tuliſſe me pretium operæ luculentiſſimum.

T A N T U M.

Schleizae,

Litteris Maukianis.